This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3433 06823931 2

THEOLOGIA
DOGMATICO-MORALIS

Secundum Ordinem Catechiſmi
CONCILII TRIDENTINI.

EDITIO OMNIUM ACCURATISSIMA,

Plurimis ACCESSIONIBUS, & NOTIS, variis EPISTOLIS, & MONUMENTIS aucta, illuſtrata, & locupletata.

TOMUS SEXTUS,

UBI AGITUR

De Sacramento Matrimonii; De peccatis in genere, & Morum Regulis.

AUCTORE

R. P. F. NATALI ALEXANDRO
Ordinis FF. Prædicatorum, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctore, & emerito Theologiæ Profeſſore.

Typis Principalis Monaſterii B. V. M. Finſidlenſis,
Per Franciſcum Xaverium Kälin. Anno MDCCLXXI.

390248

THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI
Concilii Tridentini
LIBER SECUNDUS.
TRACTATUS
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUoniam Paſtoribus beata, & perfecta chriſtiani populi vita propoſita eſſe debet (inquit Concilii Trid. Catechiſmus) iis quidem maxime optandum eſſet, quod Apoſtolus ſe cupere ad Corinthios ſcribebat his verbis: *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum.* Nimirum ut omnes continentiæ virtutem ſectarentur; nihil enim beatius in hac vita hominibus contingere poteſt, quam ut animus nulla mundi curâ diſtractus, ſedataque, & reſtincta omni carnis libidine, vitæ Angelicæ æmulator, in uno pietatis ſtudio, & cœleſtium rerum cogitatione conquieſcat. Sed quoniam (ut idem Apoſtolus teſtatur) *Unuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic;* & matrimonium magnis, & divinis bonis ornatum eſt, ita ut inter alia catholicæ Eccleſiæ Sacramenta vere, propriequè numeretur; ac Dominus Nuptiarum celebritatem præſentia ſua honeſtaverit; ſatis apparet ad Theologiam eccleſiaſticam Tractatum quoque de

1. Corinth. 7.

matrimonio pertinere : cum præſertim Apoſtolorum Princeps, & S. Paulus pluribus locis accurate ſcripta reliquerint, quæ non ſolum dignitatem, ſed & officia matrimonii ſpectant. Divino enim Spiritu afflati, optime intelligebant, quanta & quam multa commoda ad chriſtianam ſocietatem pervenire poſſent, ſi Fideles matrimonii ſanctitatem cognitam haberent, & inviolatam ſervarent ; contra vero, ea ignorata, vel neglecta, plurimas, maximaſque calamitates, & detrimenta in Eccleſiam importari.

CAPUT PRIMUM.

De Natura, & inſtitutione Matrimonii.

Varia Matrimonii nomina.

Varia ſunt matrimonii nomina. Primo, *Matrimonium* dicitur, quia femina idcirco maxime nubere debet, *ut mater ſiat* ; (inquit *S. Auguſt.* lib. 21. *contra Fauſtum Manichæum* cap. 26.) Vel quia, prolem concipere, parere, educare, matris munus eſt : ipſique infans „ Ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus eſſe noſcitur, „ (ut ait *Greg. IX.* cap. *Ex litteris*, Extra *de Converſione Infidelium.*)

Conjugium dicitur a conjungendo ; quod legitima mulier cum viro quaſi uno jugo adſtringatur. *Connubium* vocatur, quia vir, & mulier ſimul nubunt. Interdum appellatur *Conſortium* ut L. *Si donatium*, C. *de Nuptiis.*

Denique matrimonium ſæpe *Nuptias* juriſconſulti, & Theologi appellant, a nubendo, id eſt velando ; quia mulieres, poſtquam nuptæ ſunt, velo caput quaſi nube cooperire, & velatæ incedere debent, & hoc in ſignum ſubjectionis, & obedientiæ viro debitæ ; ut dicitur Can. *Feminæ*, qui ex *S. Iſidoro*, lib. 2. *De officiis*, cap. 19. ſumptus eſt : „ Feminæ dum „ maritantur, ideo velantur, ut noverint ſe ſemper „ maritis ſuis ſubditas eſſe, & humiles „. Hinc Apoſt.

1. ad

1. ad Corinth, cap. 11. *Non eſt* (inquit) *creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Hinc *Rebecca* Iſaac deſponſata, ſtatim atque ipſum venientem procul conſpexit, flammeo ſe cooperuit, *Geneſ.* 24. 65. quem locum explicans *S. Ambroſ.* lib. 1. *de Abraham*, cap. 19. ex quo refertur Can. *Nec illud.*, Cauſa 30. qu. 5. ait „„ Nec illud otioſum, quod cum veniret Rebecca, vidit Iſaac deambulantem; & cum interrogaſſet, quis eſſet, cognito quod ipſe eſſet, cui duceretur uxor, deſcendit, & caput ſuum obnubere cœpit, docens verecundiam Nuptiis præire debere; inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ ſe obnuberent „„. Vel quia honeſtas Nuptiarum quaſi nubes cooperuit turpitudinem naturæ corruptæ; & ſicut nubes homines tuetur ab ardore Solis, ita nuptiæ ab ardore libidinis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Matrimonium.

Definitio Matrimonii quatenus eſt officium naturæ.

Matrimonium Trident. Concilii Catechiſmus ex communi Theologorum ſententia ſic definit: *Matrimonium eſt viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.*

Dicitur *Conjunctio*: Cum enim in perfecto matrimonio plurima reperiantur, ſcilicet conſenſus interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium conſummatur; nihil tamen horum matrimonii vim, & rationem proprie habet, niſi obligatio illa, & nexus; qui conjunctionis vocabulo ſignificatur.

Additur, *Maritalis*: Quoniam alia pactionum genera, quibus viri, & mulieres obligantur, ut ſibi mutuam operam præſtent, vel pretii, vel alterius rei cauſa; prorſus aliena ſunt a matrimonii ratione.

Additur, *Inter legitimas perſonas*: Quoniam qui a

Nuptiarum conjunctione legibus omnino excluſi ſunt, ſeu naturali, ut pueri, eunuchi, frigidi, & in primo gradu conſanguinei; ſeu poſitivis, ut qui intra ſecundum, tertium, vel quartum gradum propinquitate conjuncti ſunt, aliudve impedimentum habent, Divina, vel eccleſiaſtica lege conſtitutum, ad matrimonii juſta fœdera ineunda apti eſſe non poſſunt.

Dicitur, *Viri, & mulieris*, ad excludendam polygamiam, veteribus quidem Judæis permiſſam, Legis autem Evangelicæ tempore omnino prohibitam, ut ſuo loco oſtendetur.

Dicitur, *Individuam vitæ ſocietatem retinens*: Quibus verbis declaratur indiſſolubilis vinculi natura, quo vir, & uxor conjunguntur. Quod quidem in vinculo matrimonii natura, & ratio conſiſtit. Nam quod *Hugo a S. Victore*, aliique clariſſimi Theologi, matrimonium definiunt conſenſum, vel contractum legitimum maris, & feminæ, id ita intelligendum eſt, ut conſenſus cauſa ſit effectrix matrimonii, ut docet *Eugenius IV.* in decreto Unionis Armenorum poſt Conc. Florentinum edito. Conſenſus ſiquidem internus, & pactio externa ſunt actus tranſitorii, & momentanei: matrimonium autem permanet, dum ambo conjuges ſuperſunt. Quamobrem ratio ejus neque in conſenſu interno, neque in externa pactione, quæ mutuum conſenſum verbis exprimit; ſed in obligatione, vinculo, & nexu mutuo, qui ex conſenſu interno, & pactione externa inter virum, & mulierem oritur, collocanda eſt.

Cum autem ſpectari dupliciter poſſit matrimonium, primo ut naturæ officium, ſive ut naturalis conjunctio; (non enim ab hominibus, ſed a natura inventum eſt;) vel ut Sacramentum, cujus vis naturalium rerum conditionem ſuperat; ad ipſum priori modo conſideratum hæc definitio pertinet. Ut Sacramentum vero ſic definiri poteſt.

Definitio Matrimonii quatenus Sacramentum eſt.

Matrimonium eſt ſignum ſenſibile conjunctionis Chriſti cum Eccleſia a Chriſto inſtitutum, promiſſionem habens gratiæ, perſonas legitime conjunctas ad individuam

duam vitæ ſocietatem unientis. Cum enim Dominus vellet arctiſſime illius neceſſitudinis, quæ ei cum Eccleſia intercedit, ſuæque erga nos immenſæ charitatis certum aliquod ſignum dare, tanti Myſterii divinitatem hac potiſſimum maris, & feminæ ſancta conjunctione declaravit; quod quidem aptiſſime factum eſſe intelligi ex eo poteſt, quod ex omnibus humanis neceſſitatibus nulla inter ſe homines magis quam matrimonii vinculum conſtringit; maximaque inter ſe vir, & uxor charitate, & benevolentia devincti ſunt. Atque idcirco fit, ut frequenter ſacræ literæ Nuptiarum ſimilitudine divinam hanc Chriſti, & Eccleſiæ copulationem nobis ante oculos proponant.

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit acceptio Matrimonii.

Matrimonii diviſio.

Matrimonium tripliciter dividitur. Aliud dicitur *Legitimum*, id eſt, ſecundum leges Gentium legitime contractum, non autem in Fide Chriſti, quale eſt matrimonium Judæorum, & infidelium, de quo in cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, Extra *de Divortiis*; quos inter matrimonium conſiſtit, ex mente, *S. Thomæ*, ut ad naturæ officium pertinet, non autem ut Sacramentum eſt. Quin & apud veteres Judæos, etſi matrimonia majori ſanctitate prædita eſſent quam apud Gentes, quia cum promiſſionem accepiſſent, fore aliquando, ut omnes Gentes in ſemine Abrahæ benedicerentur, magnæ apud eos pietatis officium merito eſſe videbatur, filios procreare, electi populi ſobolem, ex qua Chriſtus Dominus Salvator noſter, quod ad humanam naturam pertinet, ortum habiturus eſſet, propagare; ſed tamen illæ conjunctiones vera Sacramenti ratione caruerunt ut docet Concilii Trid. Catechiſmus. Matrimonium legitimum.

Aliud matrimonium dicitur *Ratum*, id eſt, ab Eccleſia approbatum, quod inter Chriſti Fideles legitime contrahitur. De quo *S. Ambroſ.* Canone, *Cave*, Cauſa 28. qu. 1. relatus, „ „ Cave, Chriſtiane, Gentili, aut Judæo filiam tuam tradere; Cave (*inquam*) Matrimonium ratum.

Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam a fide tuam uxorem accerſas tibi, &c „ „.

Genes 2. Matth. 19. Matrimonium conſummatum.

Aliud matrimonium dicitur *Conſummatum*, quod carnali copula interveniente facit, ut *Duo ſint in carne una, & Jam non ſint duo, ſed una caro.* Et hoc dicitur perfectum matrimonium; perfectum intelligo quantum ad ſignificationem. Quamvis enim matrimonium ante copulam perfectum ſit quantum ad vinculum, & ſanctum ſanctitate Sacramenti, imo tanto ſanctius, quanto magis a carnali conjunctione alienum; tamen perfectum non eſt quantum ad ſignificationem, quia non omnia illa ſignificat, quæ ſignificaret carnali copula conſummatum. Matrimonium enim ante copulam ſignificat quidem charitatem, quæ conſiſtit in conjunctione Dei cum anima juſti, ſecundum illud Apoſtoli: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Poſt copulam vero ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ corpus ejus myſticum eſt, & quam ſibi deſponſavit per Incarnationis Myſterium, ut docet *Innocent. III.* cap. *Debitum*, Extra *de Bigamis non ordinandis*, quo *Metenſi* Epiſcopo reſpondet: „„ Cum duo ſint in conjugio, videlicet conſenſus animorum, & commixtio corporum; quorum alterum ſignificat charitatem, quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum, & juſtam animam; ad quod pertinet illud, quod dicit Apoſtolus: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo.* Reliquum vero deſignat conformitatem, quæ conſiſtit in carne inter Chriſtum, & Eccleſiam, ad quod pertinet illud, quod Evangeliſta teſtatur: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Profecto conjugium illud, quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud conjugium deſignandum, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per Incarnationis Myſterium eſt contractum; juxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplaſtus: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori*

2. Cor. 6.

Joan. 1.

Epheſ. 5.

uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: ſtatim ſubjungit: *Hoc autem dico magnum Sacramentum in Chriſto, & Eccleſia* „ „.

Conſummatio tamen matrimonii ad illius eſſentiam non pertinet. Verum enim matrimonium interceſſiſſe inter Deiparam Virginem, & S. Joſeph, quem *Virum Mariæ* Evangelium vocat, univerſi Theologi catholici docent; cum tamen fidei dogma ſit, beatam Virginem nunquam virum cognoviſſe, & intemeratam, ac illibatam virginitatem perpetuo ſervaſſe. Matrimonii conſummatio ad illius eſſentiam non pertinet.

Id *S. Auguſt.* conſtanter docet, præſertim lib. 1, *de Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 11. „ „ Quibus vero (*inquit*) placuerit ex conſenſu, ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius, concordiuſque ſervanda ſunt, non voluptariis nexibus corporum, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo ideo & ſanctius, & mirabilius jucunda ſuo viro, quia etiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolum illa mater, verum etiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. *Et infra*: Sed cum illo non ſeminante illa peperiſſet, profecto nec ipſius formæ ſervi ambo parentes eſſent, niſi inter ſe etiam ſine carnis commixtione conjuges eſſent „ „. Verum Matrimonium inter S Mariam Virginem, & S. Joſeph. Matth. 1. S. Maria Virgo Joſeph Viro ſuo prole diſpar, fide compar.

Et cap. 12. „ „ Omne itaque Nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; fidem, quia nullum adulterium: Sa-

cramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnis pudenda concupiſcentia; quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati... Non eſt igitur hæc libido nuptiarum bonum, ſed obſcœnitas peccantium, neceſſitas generantium, laſciviarum ardor, Nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex conſenſu concumbere deſinunt; ſi manſerunt conjuges Joſeph, & Maria, qui concubere non cœperunt „„.

Et Serm. 51. alias *de Diverſis* 63. cap. 13. „„ Non itaque (*inquit*) propterea non fuit pater Joſeph, quia cum Matre Domini non concubuit, quaſi uxorem libido faciat, non charitas conjugalis „„. *Et cap.* 20. „„ Jam vero illud, quia movere non debet, quare per Joſeph, & non per Mariam generationes numerentur, ſatis dictum eſt; quia ſicut illa ſine carnali concupiſcentia mater, ſic ille ſine carnali commixtione pater. Per illum ergo deſcendant, & per illum aſcendant generationes. Nec eum propterea ſeparemus, quia defuit carnalis concupiſcentia. Major puritas confirmet paternitatem; ne ipſa ſancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen ſuum præponere noluit marito ſuo; ſed dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Numeremus ergo per Joſeph; quia ſicut caſte maritus, ſic caſte pater eſt. Sed præponamus virum feminæ ordine naturæ, & Legis Dei. Nam ſi remoto illo illam conſtituamus; dicit ille, & recte dicit: Quare me ſeparaſtis? quare non per me generationes, vel aſcendunt vel deſcendunt? An dicitur ei: Quia tu non genuiſti opere carnis tuæ? Sed reſpondebit: Numquid & illa opere carnis ſuæ peperit? Quod Spiritus ſanctus operatus eſt, utriſque operatus eſt. *Cum eſſet* (inquit) *homo juſtus*, Juſtus ergo vir, juſta femina. Spiritus ſanctus in amborum juſtitia requieſcens, ambobus filium dedit. Sed in eo ſexu, quem parere decebat, operatus eſt

Per S. Joſeph Chriſti Genealogia deſcribitur.

Ejus caſtitas confirmat paternitatem.

Luc. 2.

Spiritus ſanctus Mariæ, & Joſeph Filium dedit.

eſt hoc, quod etiam marito naſceretur. Itaque ambobus dicit Angelus, ut puero nomen imponant; ubi parentum declaratur auctoritas. Dicitur etiam: *Et peperit ei Filium*, ubi omnino pater non carne, ſed charitate firmatur. „ Tanto firmius pater, quanto caſtius mater „ „.

Idem confirmatur ex Can. *Cum initiatur*, qui ex S. *Ambroſio* ſumptus eſt lib. *De inſtitutione Virginis*, legitur cauſ. 27. qu. 2. „ „ Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen aſciſcitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum viri admiſtione cognoſcitur „ „.

ARTICULUS III.

De Matrimonio, quatenus naturæ officium eſt.

Quia gratia naturam perficit, neque prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale; rei ordo poſtulat, ut de matrimonio prius agamus, ut ad naturæ officium pertinet; tum vero ut Sacramentum eſt.

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium ut officium naturæ a Deo inſtitutum eſt, tum naturæ Lege, tum poſitiva.

Natura enim, etiam excluſo peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, & educationem. Cum igitur filii a parentibus curari, foverique debeant, cum adhuc ſunt in utero, poſtea vero educari, atque inſtitui; id autem recte fieri non poſſit ſine certis, & perpetuæ ſocietatis vinculo conjunctis parentibus, conſtat ex hac parte inſtitutionem matrimonii ad legem naturæ referendam. Deinde homo ex naturæ propenſione mutuam ſocietatem amat; præcipuorum autem operum, quæ decent homines, quædam viris, quædam mulieribus competunt; unde & ex hac cauſa hominis etiam integri natura ad matrimonium inclinat. Naturæ lo-

Matrimonium, ut naturæ officium a Deo inſtitutum.

gem

gem confirmat poſitiva Dei Lex, ut oſtendunt Chriſti verba. Matth. 19. cum Gen. 2. comparata; ſcriptum eſt enim in Geneſi: *Maſculum, & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini*; &, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Ac paulo poſt: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus; immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro eo; & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quæ verba Dominus, *Matth.* 19. de divina matrimonii inſtitutione intelligenda eſſe ſignificat, ex iiſque infert: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Ex quibus colligitur matrimonium etiam quatenus naturæ eſt, officium eſſe indiſſolubile. Et certe prolis educandæ ſtudio, & aliis matrimonii bonis repugnat, ut vinculum ejus diſſolvi poſſit.

Id confirmat Tridentina Synodus, Seſſ. 24. „ „ Matrimonii (*inquit*) perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis Parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba tanquam a Deo prolata referens, dixit: *Itaque non ſunt duo, ſed una caro*, ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit; *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* „ „.

Hæretici Matrimonii impugnatores.

Faceſſant igitur Hæretici, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, ſimileſque peſtes, qui Nuptias malas eſſe, ac

ac illicitas docuerunt, quos & Dominus præſentia ſua Nuptias cohoneſtans, & matrimonium ad Sacramenti dignitatem evehens, & Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. refellit, dicens: *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.* Et infra: *Si acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Et 1. ad Timoth. 4. *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Ad Hebræos denique 13. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* In eum autem prolapſi ſunt errorem, quod obſcænam libidinem Nuptiis conjunctam animadvertens, eam a bono conjugali, quod Deus inſtituit, non diſcreverunt. Hanc hæreſim refellunt *Tertullianus* lib. 1. *Contra Marcionem*, cap. 29. *Clemens Alexandrinus* lib. 3. *Stromatum*, & *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali.* Eumdem errorem damnavit Synodus Gangrenſis Can. 1. „ „ Si quis (*inquit*) vituperat Nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem, ac religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſtimat, velut quæ in regnum Dei introire non poſſit; anathema ſit „ „

Eorum objectionibus reſpondetur.

Objiciebant veteres illi hæretici, matrimonium ab Apoſtolo concedi *ſecundum indulgentiam*, *non ſecundum imperium*: (1. ad Corinth. 7.) adeoque malum eſſe.

Reſpondet *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 10. non ad matrimonium, ſed ad intemperantem illius uſum hæc Apoſtoli verba referri. „ „ Non Nuptias (*inquit*) ſecundum veniam concedit Apoſtolus. Nam quis ambigat, abſurdiſſime delicti non eos peccaſſe, quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, ſed etiam aliquando nulla cauſa procreandi, quem Nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant; ſi tamen non ita ſit nimius, ut impediat, quæ ſepoſita eſſe debent, tempora orandi, nec immutetur in eum uſum, qui eſt contra natu-

naturam. Concubitus enim neceſſarius cauſa generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Hic autem, qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, non rationi, ſed libidini obſequitur. Et hunc tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt non plane Nuptiarum. Verumtamen ſi magis in ſua conjunctione diligunt, quod honeſtum, quam quod inhoneſtum eſt; id eſt, quod eſt Nuptiarum, quam quod non eſt Nuptiarum; hoc eis, auctore Apoſtolo, ſecundum veniam conceditur; cujus delicti non habent hortatrices Nuptiæ, ſed deprecatrices, ſi Dei miſericordiam non a ſe avertant, &c „„

Et lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 14. „„ Cum (*inquit*) culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui proprie Nuptiis imputandus eſt; quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quod conjuges, dum ſe non continent, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluntate? Quæ tamen voluntas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles Nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe „„

Neque etiam veteribus illis hæreticis favet hæc Apoſtoli ſententia 1. ad Corinth. 7. *Melius eſt nubere, quam uri.* His enim verbis non innuit Apoſtolus, quod Nuptiæ malæ ſint cum continentia comparatæ; ſed quod minus bonum ſint. Qua de re *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 8. præclare ait: „„ Non ergo duo mala ſunt connubium, & fornicatio, quorum alterum pejus, ſed duo bona ſunt connubium, & continentia, quorum alterum eſt melius. Sicut iſta temporalis ſanitas, & imbecillitas non ſunt duo mala, quorum alterum pejus; ſed iſta ſanitas, & immortalitas duo bona ſunt, quorum alterum melius. Item ſcientia, & vanitas non duo mala ſunt, quorum vanitas pejus; ſed ſcientia, & charitas duo bona ſunt, quorum charitas melius „„ PRO-

PROPOSITIO II.

Matrimonii contrahendi non eſt omnibus poſita lex.

Imo Virginitas in ſacris novi Teſtamenti paginis maxime commendatur, ut quæ matrimonii ſtatu præſtantior ſit, majoremque in ſe perfectionem, & ſanctitatem contineat. Chriſtus enim ita docuit, Matthæi 19. *Sunt eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* Et Apoſt. 1. ad Corinth. 7. ſcribit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis... Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Virginitas commendata.

Quod vero a Domino dictum eſt Gen. 1. *Creſcite, & multiplicamini;* id eo ſpectat, ut cujus rei cauſa matrimonium inſtitutum erat, declaret, non ut ſingulis hominibus nubendi neceſſitatem imponat: Fœcunditatis donatio eſt, & creaturæ ad ſui propagationem benedictio, non præceptum; non enim hominibus tantum, ſed beſtiis præcepti incapacibus dictum eſt: *Creſcite; & multiplicamini, & replete terram.* Sed & poſt diluvium ad Noe, & filios ejus dictum eſt, *Creſcite, & multiplicamini*; cum tamen conſtet, ipſum Noe nullam poſtea prolem genuiſſe. Non ergo præceptum aliquod his verbis exprimebatur, ſed continua fœcunditatis largitio, & benedictio, ut ibidem ſacer Textus innuit: *Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus.* Nubendi præceptum omnibus non impoſitum. Gen. 9.

In ipſo tamen exordio generis humani naturæ lege tenebantur omnes conjugium inire, donec ad juſtam multitudinem genus humanum perductum eſſet. Sicut enim naturæ præceptum eſt, ut quiſque ſaluti corporis conſulat alimentorum ſumptione, ita præceptum eſt, ut ſaluti generis conſulatur filiorum generatione; quod præceptum ſingulos homines tunc conſtringebat, nunc autem ſolam Rempublicam.

Præ-

Præceptum rurſus erat matrimonium ſingulis ad populum Dei pertinentibus, cum populus ille multiplicandus erat. Non enim, ut tempore novi Teſtamenti fidelis populi multitudo procuranda erat converſione infidelium ſed procreatione filiorum. Cæterum populo illo ſatis multiplicato, non amplius ſinguli ad contrahenda matrimonia tenebantur; quod probant exempla Joſue, Eliæ, Eliſæi, Jeremiæ, qui ſine injuria legis divinæ, & naturalis cœlibes, caſtique vixerunt. Hinc Deus Iſaiæ cap. 56. *Eunuchis*, Legem ſuam ſervantibus promittit in domo ſua locum, *& nomen melius a filiis, nomen ſempiternum.* Eunuchorum porro nomine homines cœlibes, & continentes hic ſignificantur. Et Sapientiæ 3. laudatur caſtitas tori conjugalis neſcia: *Quæ neſcivit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum; & ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem... Dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima.* Et *Joſephus* Eſſenos cœlibatum ſervaſſe teſtatur. Quod ergo legimus *Exodi* 23. & *Deuter.* 7. Sterilem non fore quemquam in terra Iſrael; non præcepti, ſed promiſſionis ſermo eſt, quo benedictio fœcunditatis promittitur conjugibus Dei mandata ſervantibus. Steriles enim non dicuntur, qui continentiæ ſtudio conjugium non inierunt, ſed qui conjugio uſi liberos habere non poſſunt, quæ ſterilitas opprobrio vertebatur. Unde Lucæ 1. ait S. Eliſabeth: *Dominus reſpexit auferre opprobrium meum.* Denique ſi toto veteris Teſtamenti tempore præceptum fuiſſet ſingulis hominibus connubium, hanc accuſationis occaſionem adverſus Apoſtolos Chriſti, qui vel uxores non habebant, vel eas reliquerant, Judæi non prætermiſiſſent.

Eadem Propoſitio confirmatur ex *S. Auguſt.* lib. *De Bono conjugali*, cap. 9. Ubi enim præmiſit, alia bona nobis Deum dare, quæ propter ſeipſa expetenda ſunt, ſicut eſt ſapientia, ſalus, amicitia; alia quæ propter aliud ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, potus, ſomnus, conjugium, concubitus; his

bonis,

bonis, qui non ad hoc utitur, propter quod inſtituta ſunt, peccare, alias venialiter, alias damnabiliter; quiſquis vero eis propter hoc utitur, propter quod data ſunt, bene facere. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis utitur, melius facere; ita colligit: „„ Ac per hoc bonum eſt nubere, matrem familias eſſe; ſed melius eſt non nubere, quia melius eſt ad ipſam humanam ſocietatem hoc opere non egere. Ita enim jam ſeſe habet humanum genus, ut aliis, qui ſe non continent, non ſolum per nuptias occupatis, ſed multis etiam per illicitos concubitus luxuriantibus, bono Creatore de malis eorum faciente, quod bonum eſt, non deſit numeroſitas prolis & abundantia ſucceſſionis, unde ſanctæ amicitiæ conquirantur. Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, & maxime propter Dei populum propagandum, per quem & prophetaretur, & naſceretur Princeps, & Salvator omnium populorum, uti debuiſſe ſancto iſto, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario bono Nuptiarum; nunc vero cum ad ineundam ſanctam, & ſinceram ſocietatem undique ex omnibus gentibus copia ſpiritualis cognationis exuberet, etiam, propter ſolos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur admonendi ſunt „„.

Et lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 13. „„ Hæc enim propagatio filiorum, quæ in ſanctis Patribus propter generandum, & conſervandum populum Dei, in quo prophetiam Chriſti præcedere oportuit, officioſiſſima fuit, nunc jam non habet illam neceſſitatem. Patet quippe jam ex omnibus gentibus ſpiritualiter gignendorum, undecumque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod ſcriptum eſt: *Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu*; per illud atque hoc tempus agnoſcitur diſtributum. Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu „„. Eccl. 3.

Cum itaque ait Apoſtolus 1. ad Timotheum 5. *Volo igitur juniores nubere, filios procreare, matres*

familias esse: Nuptiarum bonum Apostolica sobrietate, & auctoritate commendat, non procreandi officium eis, quæ continentiæ bonum capiunt tanquam ad obsequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adjungit, & dicit: *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia; jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam*: Ut his verbis ejus intelligamus, eas, quas nubere voluit, melius potuisse continere, quam nubere; sed melius nubere, quam retro post Satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis, vel vidualis castitatis proposito: in posteriora respiciendo, cadere, & interire. „ Proinde, quæ se non continent, nubant, ante„ quam continentiam profiteantur: antequam Deo „ voveant; quod nisi reddant, jure damnantur „. Sic explicat hunc locum Apostoli *S. August.* lib. *De Bono Viduitatis*, cap. 8.

ARTICULI CONSECTARIA.

PRAXIM SPECTANTIA.

REGULA I.

Qui potestatem adhuc habent Nuptiarum, & continentiæ consilium capere non possunt, Matrimonium inire tenentur.

Hanc Regulam ab Apostolo traditam 1. Corinth. 7. *S. August.* confirmat lib. *De Bono conjugali*, cap. 10. „„ Mihi videtur (*inquit*) hoc tempore solos, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam ejusdem Apostoli sententiam: *Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* „„ Conjugium enim, quod ante lapsum hominis naturæ tantum erat officium, post lapsum factum est incontinentiæ remedium. Hinc *S. August.* cap. 17. ejusdem libri ait: „ Homines, qui se non „ continent, tanquam ascendunt in Nuptias gradu „ honestatis „.

Hanc Regulam confirmat *S. Greg.* P. 3. *Pastoralis*, cap.

cap. 28. „ „ Peritus (*inquit*) medicinæ cœleſtis Apoſtolus non tam ſanos inſtituit, quam infirmis medicamenta monſtravit, dicens: *De quibus ſcripſiſtis mihi; Bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Qui enim fornicationis metum præmiſit, profecto non ſtantibus præceptum contulit; ſed ne fortaſſe in terram ruerent, lectum cadentibus oſtendit „ „. Corinth. 7.

REGULA II.

Qui continentiæ voto ſunt adſtricti, ſanctiora remedia quærere, & adhibere debent, ut continentiæ donum a Deo impetrent; cum votum neceſſario ſervandum ſit.

Votum continentiæ neceſſario ſervandum.

Vovere namque voluntatis eſt, reddere neceſſitatis. Id egregie confirmat *S. Auguſt.* lib. *De Bono Viduitatis*, cap. 9. „ „ Sed quoniam (*inquit*) ſicut ait Dominus: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quæ poteſt ergo capere, capiat; & quæ ſe non continet, nubat; quæ non cœpit, deliberet; quæ aggreſſa eſt, perſeveret; nulla adverſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo ſi pudicitia conſervatur, damnatio non timetur; ſed in viduali, & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita, & electa, & voti debito oblata, jam non ſolum capeſſere Nuptias, ſed etiamſi non nubatur, nubere velle damnabile eſt. Nam ut hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait: *Cum in deliciis egerint, in Chriſto nubunt*; ſed, *Nubere volunt*: *Habentes* (inquit) *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*: Etſi non nubendo, tantum volendo; non quia ipſæ Nuptiæ, vel talium damnandæ judicantur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non ſuſceptio a bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore; poſtremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem poſterius inierunt; ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt „ „. 1. Timoth. 5. 12.

Lapſus eorum, qui caſtitatis voto ſunt adſtricti, ſunt pejores adulteris.

Et cap. 11. „„ Plane non dubitaverim dicere, lapſus, & ruinas a caſtitate ſanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis eſſe pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet, cum membrum ejus fidem non ſervat marito; quanto gravius offenditur, cum illi ipſi non ſervatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quiſque non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vovit; tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi neceſſitatem „„. Lege & cap. 24. lib. 2. *De conjugiis Adulterinis.*

Continentiam itaque fideli, aſſidua, fervente, perſeverante oratione a Deo petere debent, libidinem frænare; membra vigiliis, jejuniis, aliiſque pœnitentiæ laboribus, & bonorum operum exercitatione mortificare, conſecrare, ut ſint arma juſtitæ Deo, ne ſint arma iniquitatis peccato.

REGULA III.

Conjugibus, quos a mutuo conſortio, vel diuturnus morbus, vel abſentiæ neceſſitas, vel juſta divortii cauſa ſeparat, nullum carnali commercio quærere licet incontinentiæ remedium, ſed continentiam omnino ſervare tenentur.

Caſtitas conjugalis.

Hanc Regulam *S. Auguſt.* verbis explico, lib. 2. *De Adulterinis conjugiis* cap. 19. „„ Quod (*inquit*) facere deberent, ſi haberent conjuges diuturno languore marceſcentes, vel loco ſibi inacceſſibili abſentes, vel animoſitate illicita continentes; hoc faciant, ſi habuerint conjuges adulterina inquinatione ſordentes, & propter hoc a ſuo conſortio divortiantes, non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, ſed adulteria... Non eos terreat ſarcina continentiæ; levis erit, ſi Chriſti erit; Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ impetrat a jubente, quod juſſerit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia neceſſitatis eſſe, non voluntatis; quia & illi eam voluntate

luntate delegerunt, fecerunt esse necessitatis; quoniam sine damnatione ab illa deviare non possunt; & qui in eam necessitate contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis, si non de se ipsis, sed de illo, a quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderant causa majoris gloriæ, ut aliquid amplius invenirent; isti ad eam confugerunt cura salutis novissimæ, ne perirent; utrique permaneant, utrique in quod pervenerunt, ambulent usque in finem, ferveant studiis, supplicent votis; quia & illis salus cogitanda est, ut ab eo, quod voluntas erripuit, cadere timeant; & istis gloria desperanda non est, si in eo, quod necessitas intulit, persistere deligant. Fieri enim potest, ut Deo terrente, & hortante, convertente, & implente, humanus in melius mutetur affectus; atque ita voveant sine conjugiis, & sine ullo concubitu, atque immunda libidinis adtrectatione perseverantissime vivere, ut etiamsi separata conjugia locum ducendi alias moriendo aperuerint, claudatur ex voto, quod patet ex licito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum „„.

REGULA IV.

Reges ac Principes, eorumque filii, & filiæ nubere debent, cum ex eorum cœlibatu periculum imminet Religioni, aut Reipublicæ tranquillitati, & paci.

Religionis enim amor, publicæque pacis studium hanc necessitatem imponit ipsa naturæ lege, si vix aliter conservari religio, paxve procurari non potest, nec voto sint obstricti. Sed etsi voto simplici ligati essent, illud ob causas adeo necessarias, justas, bonumque publicum spectantes, Romanus Pontifex merito relaxeret.

REGULA V.

Matrimonium contrahendo graviter peccant, qui ad contrahendum aliis rationibus, finibusque moventur, præter eas, ob quas a Deo institutum est.

Qui affectus, quæ intentio contrahentium Matrimonium, esse debent.

Hanc Regulam tradit Concilium Colonienſe anno 1536. celebratum, cap. 12. „„ Cum (*inquit*) matrimonium ante lapſum Adæ propter procreandos liberos inſtitutum, ac benedictione Dei firmatum ſit; nec ratio conjunctionis, ſeu, benedictio poſt lapſum defecerit; ſed tantum quod ſanis potuit eſſe officium, id ægrotis factum etiam ſit remedium, dum utriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honeſtate Nuptiarum; quemadmodum divus Paulus ait: *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat propter fornicationem*, nimirum vitandam. Monendi ſunt, qui matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipſos huc rapiat, ut ſit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam ſi neque ob prolem ſuſcitandam, neque ob fornicationem vitandam, ſed potius divitiarum, aut opum nanſcicendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahitur, perperam agitur, ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic quæ Tobiæ 6. 7. & 8. ſcribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conveniet; ubi locus pulcherrimus eſt, exemplo commonſtrans, quemadmodum bona uxor donum Dei ſit debitum timenti Dominum; quomodo in timore Dei a parentibus, non luxuriæ cauſa, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in ſecula, petenda. Quo pacto conjugii conſcriptione facta, tradenda, quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude, & benedictione Dei agendum; denique quomodo precandus ſit Deus per conjuges, ut benedictionem ſuam in ipſos, quos conjunxit, impleat. Hæc enim decent ſanctorum filios, qui non debent ita conjungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Eritque horrendum illud exemplum de ſeptem Saræ viris a dæmonio occiſis replicandum. His namque (ut Raphael Angelus apud Tobiam ait) qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, libidini vacent, ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus, dæmonium malum dominatur „„

1. Cor. 7.

Hanc

Hanc Regulam tradit & Concilii Trid. Catechiſmus, cum explicat, quibus de cauſis vir, & mulier conjungi debeant. Prima eſt ipſa diverſi ſexus naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilii ſpe conciliata, ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Altera eſt procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum, & divitiarum hæredes relinquantur, quam ut veræ fidei, & religionis cultores educentur; quod quidem maxime ſanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propoſitum fuiſſe, ex ſacris Literis ſatis apparet. Quare Angelus, cum *Tobiam* admoneret, quo pacto mali dæmonis vim poſſet repellere; *Oſtendam tibi* (inquit) *qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Deinde ſubjecit; *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Atque una etiam hæc cauſa fuit, cur Deus ab initio matrimonium inſtituit. Tobiæ 6.

Tertia eſt, quæ poſt primi parentis lapſum ad alias cauſas acceſſit; cum propter juſtitiæ, in qua homo conditus erat, amiſſionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit; ut ſcilicet, qui ſibi imbecillitatis ſuæ conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur, de quo ita Apoſtolus ſcribit 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* At paulo poſt cum docuiſſet, interdum orationis cauſa a matrimonii debito abſtinendum eſſe, ſubjecit: *Et iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.*

Hæ igitur ſunt cauſæ, quarum aliquam ſibi proponere

ponere quiſque debet, qui pie, & religioſe, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod ſi ad eas cauſas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi deſiderium, divitiæ, forma, generis ſplendor, morum ſimilitudo; hujuſmodi ſane rationes damnandæ non ſunt, cum matrimonii ſanctitati non
Geneſ. 29. repugnent. Neque enim in ſacris Literis Jacob Patriarcha reprehenditur, quod *Rachelem*, ejus pulchritudine illectus, *Liæ* prætulerit.

Idem docet *S. Carolus* in Inſtructionibus *De Sacramento matrimonii*, Tit. Quæ Parochus doceat. „ „ Docebit igitur (*inquit*) quo animi affectu, & quam ob cauſam Fideles matrimonium ineant. Quo in genere demonſtrabit, ad illud eos non explendæ
Pſalm. 31. libidinis cauſa duci oportere: *Sicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.* Neque præcipue efferri cupiditate divitiarum; ſed cum prolis ſuſcipiendæ gratia, quæ ſanctam catholicam Religionem colens, ad cœleſtium præmiorum hæreditatem, chriſtianæ vitæ præceptis, pieque agendi uſu inſtituatur; tum etiam cauſa vitandæ fornicationis; & ut conjuges alter alterius ope adjuti, vitæ incommoda facilius ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queant „ „.

Hæc ex *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 3. accepta. „ „ Bonum ergo conjugii (*inquit*) quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non ſolum quia prohibuit dimittere uxorem, niſi ex cauſa fornicationis, ſed etiam quia venit invitatus ad nuptias, cur ſit bonum merito quæritur. Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus, præſertim ſi vel amiſiſſent filios, vel minime genuiſſent. Nunc vero in bono licet annoſo conjugio, etſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum, & feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum, & uxorem; quia quanto meliores

ſunt;

ſunt, tanto maturius a commixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere cœperunt, non ut neceſſitatis eſſet poſtea non poſſe, quod vellent, ſed ut laudis eſſet primum noluiſſe, quod poſſent. Si ergo ſervatur fides honoris, & obſequiorum invicem debitorum ab alterutro ſexu; etiamſi langueſcentibus, & prope cadaverinis utriuſque membris, animorum tamen rite conjugatorum tanto ſincerior, quanto probatior, & tanto ſecurior, quanto placidior caſtitas perſeverat. Habent etiam id bonum conjugia, quo carnalis, vel juvenilis incontinentia, etiamſi vitiola eſt, ad propagandæ prolis redigitur honeſtatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Denique quia reprimitur, & quodammodo verecundius æſtuat concupiſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus, intercedit enim quædam gravitas ſervidæ voluptatis, cum in eo quod ſibi vir, & mulier adhæreſcunt, pater, & mater eſſe meditantur. Huc accedit, quia in eo ipſo, quod ſibi invicem conjuges debitum ſolvunt, etiamſi id aliquanto intemperantius, & incontinentius expetant, fidem tamen ſibi pariter debent „ „.

Chriſtiani itaque viri, & mulieres, non jungantur matrimonio, niſi prius Dei voluntatem multis, ac ferventiſſimis precibus exquiſierint: *Non vitii libidine, ſed ducti pietate;* veteris Teſtamenti juſtos quantum ad intentionis puritatem in ducendis uxoribus imitentur: „ Qui non propter hoc ſeculum, „ ſed propter Chriſtum conjuges, & propter Chri„ ſtum patres fuerunt „; (ut loquitur *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. ultimo.) Matrimonio copulentur, non ſolum ut filios habeant, ſed ut eos Chriſto lucrentur, & in diſciplina, & timore Domini eos inſtituant. Non enim jam felicitas eſt habere filios, ſed habere bonos; eoſque ſic inſtituere ut *Hæredes, quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* ad Rom. 8.

ARTICULUS IV.

De Matrimonio ut Sacramentum eſt.

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium eſt verum, proprieque dictum novæ Legis Sacramentum.

Matrimonium novæ Legis Sacramentum eſt.

Quod enim ex inſtitutione ſua ſignum eſt rei ſacræ, & gratiæ promiſſionem habet annexam, verum & proprie dictum novæ Legis Sacramentum eſt: Matrimonium porro ex inſtitutione ſua ſignum eſt rei ſacræ, & gratiæ promiſſionem annexam habet; verum eſt igitur proprieque dictum novæ Legis Sacramentum. Signum (inquit) eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, Sponſi cœleſtis cum Sponſa, quam ut ſibi deſponſaret in fide, in juſtitia, & in ſempiternum, e ſinu Patris, a ſummo cœlo, in terras deſcendit, eique per Incarnationis Myſterium copulatus ad ſpiritualem ſobolem in perpetuum tempus propagandam, & regenerandam, amore tam ardenti illam dilexit, ut ſeipſum morti traderet pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi; ſed ut ſit ſancta, & immaculata. Id conſtat ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Viri* (inquit) *debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diliget, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quod enim ait Apoſtolus: *Sacramentum hoc magnum eſt*, non ad ipſam Chriſti, & Eccleſiæ conjunctionem eſt referendum, ſed ad matrimonium; quod ſcilicet viri, & mulieris conjunctio, cujus Deus auctor eſt, ſanctiſſimi

ſtiſſimi illius vinculi, quo Chriſtus Dominus cum Eccleſia conjungitur, Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum ſit Pronomen quippe demonſtrativum *Hoc*, non alio referri poteſt, quam ad id quod proxime præceſſerat de humano conjugio, de quo & præcipue agebat Apoſtolus eo loci. Deinde vis ea eſt græci Textus, ut ſignificet non *In Chriſto*, *& in Eccleſia*, ſed *in Chriſtum*, *& in Eccleſiam*; ex quo evidens eſt, Chriſtum, & Eccleſiam eſſe terminum ſignificationis illius myſticæ, ac proinde matrimonium eſſe myſterium, cujus ſignificatio ad Chriſtum, & Eccleſiam referatur.

Atque hanc eſſe eorum verborum veram, & propriam ſententiam, veteres, qui eum locum interpretati ſunt, oſtendunt, *Greg. Nazianz.*, *Joa. Chryſ.* Homilia 20. in Epiſtolam ad Epheſios, *Hieronymus*, Auctor Commentarii inter *S. Ambroſii* opera editi.

Matrimonium verum novæ Legis Sacramentum eſſe confirmant SS. Patres, *Ambroſius* lib. 1. *De Abrahamo*, c. 7. „ Cognoſcimus (*inquit*) velut præſulem, cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui; & ſi qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœleſtis amittat conſortium „.

Idem ſignificat *Siricius* Pontifex maximus Epiſtola 1. cap. 4. Sacrilegium eſſe dicens violationem Benedictionis nuptialis per adulterium. „ Illa (*inquit*) „ benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud „ Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſ„greſſione violetur „. At ſi matrimonium contractus duntaxat civilis, non religionis Sacramentum eſſet, illius violatio ſacrilegium immerito diceretur.

Sed Patrum nemo clarius, frequentius, conſtantiuſque docuit *S. Auguſt.*, Matrimonium fidelium vere, & proprie dictum Sacramentum eſſe, libro *de fide, & Operibus*, c. 7. „ In civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sa-

cra-

cramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere „ „.

Et lib. *De Bono Conjugali*, c. 18. „ In noſtrarum „ nuptiis (*inquit*) plus valet ſanctitas Sacramenti, „ quam fœcunditas uteri „.

Cap. 24. „ „ Bonum igitur nuptiarum, per omnes gentes, atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit „ „.

Interveniente divortio non aboletur confœderatio nuptialis.

Et ratione vero Sacramenti indiſſolubilitatem chriſtiani Matrimonii probat c. 7. ejuſdem libri. „ „ Quem (*inquit*) non faciat intentum, quod ſibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deſerentibus hominibus, atque id diſſolvere cupientibus, inconcuſſum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis; ita ut ſibi conjuges ſint, etiam ſeparati, cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam poſt ſuum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, talis eſt cauſa cum uxore. Cæterum aliter ſe habere jura gentilium, quis ignorat, ubi interpoſito repudio ſine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa, cui voluerit, nubit, & ille, quam voluerit, ducit „ „?

Et libro *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, c. 10. „ „ Quoniam ſane non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit Apoſtolus: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Hujus proculdubio Sacramenti res eſt, ut mas, & femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inſeparabiliter per-

perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo, & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia Christi, ut cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia secunda ducatur „ „. Tum eodem modo loquitur de Matrimonio, ac de Baptismo quantum ad Sacramenti rationem. „ „ Usque adeo (*inquit*) manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis; sicut apostatæ anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc, pro quo recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii „ „.

Matrimonium cum baptismo in ratione Sacramenti comparat S. Aug.

Idem docet *S. Leo* Epist. 2. alias 92. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum: „ „ Cum (*inquit*) societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexum conjunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium „ „.

Lucius III. cap. *Ad Abolendam*, Ext. *De hæreticis*, matrimonium inter cætera Ecclesiæ Sacramenta enumerat, perpetuo anathemate innodans eos: „ „ Qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini Jesu Chri-

Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum Confeſſione, matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis Sacramentis, aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam ſacroſancta romana Eccleſia prædicat, & obſervat „ „.

Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum poſt Conc. Florentinum edito ſeptem novæ Legis Sacramenta recenſet, quorum unum eſt matrimonium.

Concilium denique Trid. ſeſſ. 24. can. 1. Matrimonium vere, proprieque Sacramentum eſſe, & gratiam conferre declarat: „ „ Si quis dixerit, matrimonium non eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Legis evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum; neque gratiam conferre; anathema ſit „ „. Gratiæ itaque promiſſio matrimonii Sacramento eſt annexa.

PROPOSITIO II.

Matrimonii Sacramentum gratiam conferre, dogma fidei eſt.

Hanc ſcilicet Quæſt. a veteribus quibuſdam Theologis, præſertim a *Durando*, & nonnullis etiam juris canonici Commentatoribus ventilatam, Conc. Trid. finivit can. 1. ſeſſ. 24. & in doctrina de Sacramento matrimonii præmiſit: „ „ Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit; quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea;* mox ſubjungens: *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico, in Chriſto, & in Eccleſia.* Cum igitur matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet; merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, SS. Patres noſtri, Concilia, & univer-

verſalis Eccleſiæ Traditio ſemper docuerunt „„. Per hanc gratiam fit, ut vir, & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienoſque, & illicitos amores, & concubitus non quærat; ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus. Per hanc gratiam fit, ut matrimonium, quod in remedium concupiſcentiæ inſtitutum eſt, ipſam refrænet, atque coerceat. Niſi enim matrimonio gratia conferretur, concupiſcentiam potius augeret, quam moderaretur matrimonii uſus. Hinc *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, c. 5. „„ Ad hoc (*inquit*) nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis, & diſſoluta fluitaret, habens de ſeipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem; de nuptiis autem indiſſolubilem fidei ſocietatem; de ſeipſa progreſſum immoderate coeundi; de nuptiis modum caſte procreandi, &c „„. Per hanc gratiam fit, ut chriſtiani conjuges quærant prolem, non tantum, quæ naſcatur mundo, ſed quæ renaſcatur, & conſecretur Chriſto. Unde *S. Auguſt.* lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 17. „„ In nuptiis (*inquit*) bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum; ſed proles non ut naſcatur tantum, verum etiam ut renaſcatur; naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam „„. Per hanc gratiam fit, ut chriſtiani conjuges inviolatam, ac individuam fidem ſibi mutuo ſervent: „„ Fidem (*inquam*) non qualem habent inter ſe etiam Infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? Aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale eſt quidem, carnale tamen. Sed membrum Chriſti conjugis adulterium conjugi debet timere, non ſibi; & a Chriſto ſperare fidei præmium, quam exhibet conjugi „„ (*inquit S. Auguſt.* ibid.) Per hanc gratiam fit, ut prolem parentes enutriant, & inſtituant *In diſciplina, & correptione Domini*; ut monet Apoſtolus ad *Eph.* 6.

Gratia Sacramenti matrimonii quid præſtet conjugibus.

Per

Per hanc gratiam fit, ut chriſtiani conjuges onera, & incommoda matrimonii ferant, quæ Apoſtolus his verbis ſignificavit: *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi.* Quam tribulationem experiuntur conjugati. „ „ In ſuſpicionibus zeli conjugalis, in procurandis filiis, atque nutriendis, in timoribus, & mœroribus orbitatis. Quotus enim quiſque, cum ſe connubii vinculis alligaverit, non iſtis trahatur, atque agitetur affectibus „ „? (*inquit S. Auguſt.* lib. *De S. Virginitate*, cap. 16.) Ad hanc tribulationem tolerandam gratia ſacramentalis chriſtianos conjuges juvat. Quibus accommodari merito poſſint hac occaſione verba Pſ. 40. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus; univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Quem locum *S. Auguſt.* ſic interpretatur Enar. in Pſ. 40. „ „ Lectus doloris, infirmitas eſt carnis. Ne dicas, non poſſum tenere, & portare, & frænare carnem meam; adjuvaris, ut poſſis, Dominus opem ferat tibi ſuper lectum doloris tui. Portabat te lectus, non portabas lectum; ſed paralyticus intus eras, adeſt, qui dicat tibi: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus.* Et ad ipſum Dominum convertit ſe, tanquam quæreretur, quare ergo cum opem nobis ferat Deus, tanta mala patimur in iſta vita, tanta ſcandala, tantos labores, tantam inquietudinem carnis, & ſeculi? Convertit ſe ad Deum, & tanquam conſilium medicinæ ejus nobis exponens: *Totum ſtratum ejus* (inquit) *verſaſti in infirmitate ejus.* Per ſtratum intelligitur aliquid terrenum. Omnis anima infirma in hac vita quærit ſibi aliquid terrenum, ubi requieſcat; quoniam intentionem laboris, & mentis extentæ in Deum difficile poteſt perpetuo tolerare; aliquid ſibi in terra conquirit, ubi requieſcat, & quodammodo pauſatione quadam recumbat, veluti ſunt iſta, quæ diligunt & innocentes... Adquieſcit in domo ſua, in familia ſua, in conjuge, in filiis... Sed tamen Deus volens nos amorem non habere niſi

Tribulatio carnis in conjugatis. 1. Cor. 7. 28.

Ad hanc tribulationem tolerandam gratia Sacramenti juvat.

niſi vitæ æternæ, & iſtis velut innocentibus delectationibus miſcet amaritudines, ut & in his patiamur tribulationes, & univerſum ſtratum noſtrum vertit in infirmitate noſtra „„: Tribulationibus hujuſmodi nullus magis obnoxius ſtatus eſt, quam ſtatus conjugii. Quamobrem ad eas tolerandas ſingulari gratia opus eſt, quæ matrimonio confertur. Quid matris in prolis geſtatione pericula, & faſtidia, in partu labores, in nutritione tædia commemorem? Quid patris in educatione ſolicitudines, & anxietates? Quid indiſſolubilis adhæſionis neceſſitatem, officia, mutuam ſervitutem, infirmitatibus, vitiis, rixis, quæ frequenter ſuboriuntur, non obſtantibus? Quæ cum ſine gratia tolerari non poſſint, eamque Deus conferat ſingularem iis, quos ad aliquem ſtatum vocat, in eoque collocat, ut difficultates vincant, & æternæ ſalutis impedimenta eo in ſtatu occurrentia, minime dubitandum eſt, quin gratia ſingularis matrimonii Sacramento conferatur. Per hanc gratiam fit, ut vir diligat uxorem, ſicut Chriſtus Eccleſiam; & ut mulier hilariter ſubdita adhæreat viro ſuo, ſicut Eccleſia Chriſto. Per hanc denique gratiam fit, ut ſpe prolis amiſſa, perpetuo, & concorditer conjuncti ad mortem uſque permaneant; utque chriſtianus conjux etiam malum conjugem ferat, ut eum Chriſto lucrifaciat, & ſanctificet.

Vim gratiæ operatricem quando Chriſtus contulit matrimonio.

Vim porro gratiæ operatricem Chriſtus matrimonio contulit, cum illud ad Sacramenti dignitatem evexit Matth. 19. his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet;* & ad hujus rei ſignificationem nuptiis benedixit, quas primo ſuorum miraculorum illuſtravit. Hinc *S. Cyrillus* lib. 2. in *Joannem*, Chriſtum ad nuptias profectum ait: „„ Ut nativitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, hoc eſt, matrimonium ſanctificaret. Oportebat certe, quoniam totam hominis naturam ad melius reſtaurabat; non ſolum natis jam hominibus benedicere, verum etiam naſcituris gratiam præparare; & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate

ritate miraculi, & præſentia ſua ſanctum efficere. Præterea, in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit; quomodo igitur aliter depellenda hæc maledictio erat, ne condemnata nuptiarum ſanctimonia videretur, quam Salvatoris præſentia, qui cum ſit verum gaudium, priſcum nuptiarum mœrorem præſentia ſua depulit? Naſciturus gratia præparatur, quando matrimonium, quod eſt aditus ad hanc vitam, benedicitur „ „.

Denique *Innoc. I.* Epiſt. 9. *De Fortunio*, qui uxore in captivitatem abducta, & ſuperſtite, alteram duxerat, ſic reſpondet: „ „ Statuimus, Fide catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum; conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nullo pacto poſſe eſſe legitimum „ „.

Objectiones diluuntur.

Quamvis porro matrimonium non conſiſtat in aliqua re ſacra, quæ ſuſcipientibus a miniſtro, extrinſecus applicetur, nihilominus Sacramentum eſt. Chriſtus enim civilem contractum ad Sacramenti dignitatem cum evexerit, morem contractuum ſervari voluit; in contractibus autem nihil extrinſecus applicatur, ſed mutuo contrahentium conſenſu verbis ſignificato, adhibitis ſolemnitatibus juris, perficiuntur. Unde *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 26. qu. 3. ad 2. ait: „ „ Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi; ita eſt de matrimonio „ „.

Nec etiam obeſt rationi Sacramenti vere, ac proprie dicti, quod conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, quam ſignificat, non efficiat; Chriſti enim, & Eccleſiæ conjunctio res eſt ſignificata tantum; rem autem hujuſmodi nullum Sacramentum operatur: ſed matrimonii Sacramento ſignificata ſimul, & virtute contenta res eſt, conjunctio non corporum ſolum, ſed & animorum per veram, & divinam charitatem, ut uxor jungatur viro, ſicut Eccleſia Chri-

Chriſto, & vir uxori ſicut Chriſtus Eccleſiæ. Sacramentum tantum actus externi, mutuum conſenſum & conjunctionem indiſſolubilem ſignificantes, res, & Sacramentum eſt obligatio, quæ innaſcitur viri ad mulierem ex illis actibus, (ut loquitur *S. Th.*) ſeu vinculum, & confœderatio nuptialis, quæ nullo divortio poteſt aboleri (ut loquitur *S. Auguſt.*)

Ecclesia non mutat essentialia matrimonii.

Nemo autem dixerit, Eccleſiam eſſentialia matrimonii mutare, quia legibus ſuis efficit, ut irrita ſint conjugia certas inter perſonas contracta, quamvis ipſæ in matrimonium conſentiant; ideoque e numero Sacramentorum expungendum eſſe, cum Eccleſia mutare non poſſit Sacramentorum ſubſtantiam. Materia enim, ſive ſubjectum hujus Sacramenti ſunt perſonæ legitimæ; quæ autem perſonæ ſint legitimæ, Chriſtus non ſtatuit, ſed Eccleſiæ ſtatuendum, & declarandum reliquit. Quamobrem Eccleſia non facit, ut perſonæ legitimæ non ſint materia matrimonii; adeoque materiæ ſubſtantiam non mutat; decretis tamen ſuis, ac legibus ex legitimis perſonis illegitimas facit. „ Nam perſonæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo; quod ſunt contra legem, qua matrimonium conſtituitur „; (inquit *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*; diſt. 34. qu. 1. art. 1. ad 4.)

CONSECTARIUM I.

Matrimonium ante Chriſtum Sacramentum proprie dictum non fuit, ſed naturæ officium, & concupiſcentiæ remedium.

CONSECTARIUM II.

Matrimonium infidelium non eſt proprie dictum Sacramentum.

Nullius enim Sacramenti ſunt capaces, qui baptiſma, quæ janua eſt Sacramentorum, non ſuſceperunt. Unde cum *Innoc. III.* c. *Gaudemus*, Ext. *de Divortiis*, ait: *Sacramentum conjugii apud fideles, & infi-*

infideles exiſtere, communi quadam, & minus propria ſignificatione Sacramenti nomen uſurpat, reſpectu infidelium. Nam cap. *Quanto*, ſub eodem titulo *Matrimonium* quidem *verum*, *non tamen ratum*, inter infideles exiſtere reſpondet. Hinc *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 39. qu. 1. art. 2. ad 1. ait: „ „ Quamvis infidelibus non competat matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, competit tamen eis, in quantum eſt in officium naturæ; & tamen etiam matrimonium tale eſt aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter; eo quod actu non contrahunt in fide Eccleſiæ „ „.

CONSECTARIUM III.

Dubium eſt, an matrimonium per procuratores inter Fideles abſentes contractum ſit vere Sacramentum.

Matrimonium per procuratores contractum inter Fideles abſentes, ſit ne Sacramentum.

Ea enim de re variæ ſunt Theologorum ſententiæ, & probabiles utrinque rationes. Quamobrem conſultius erit, ut qui matrimonium ita contraxerunt, coram poſiti contractum ratum habeant, iterata etiam Benedictione nuptiali, ne forte conſenſus interrupti fuerint, vel Sacramenti ratio hujuſmodi matrimonio deſit; maxime cum fieri poſſit, ut revocata fuerit procuratio ignorante procuratore, & ea, cum qua alterius nomine contraxit; quo caſu matrimonium non ſolum Sacramentum non eſſet, ſed omnino nullum, & irritum exiſteret, ut conſtat ex cap. *Procurator*, tit. *De Procuratoribus* in 6. „ „ Procurator (*inquit*) non aliter cenſetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale... Non poterit deputare alium, niſi hoc ſpecialiter ſit commiſſum. Sane ſi procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent, nullius momenti exiſtit, cum illius

lius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit „ „.

ARTICULUS V.

De materia, forma, & miniſtro Sacramenti matrimonii.

§. I.

De materia & forma Sacramenti matrimonii variæ Theologorum ſententiæ.

De materia, & forma Sacramenti matrimonii Theologi diſputant, Eccleſia ſilet. Quidam perſonas ipſas contrahentes, materiam; verba vero conſenſum exprimentia, formam eſſe volunt. Alii verba ipſa, ſeu conſenſum mutuum verbis, vel ſignis expreſſum materiam, & formam diverſa conſideratione eſſe ajunt; materiam quatenus determinantur, formam quatenus determinant. Atque huic opinioni patrocinari videtur *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 26. qu. 2. art. 1. ad 1. „ „ Verba, *inquit*, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale. *Et in reſponſione ad ſecundum*: Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio „ „.

Cardinalis *Bellarminus* matrimonii Sacramentum duobus modis conſiderari poſſe ait: Uno modo, dum fit; altero modo, dum permanet, poſtquam factum eſt. Si priori modo conſideretur, totam ejus eſſentiam in ſignis mutuum conſenſum exprimentibus eſſe poſitam. Si poſteriori, conjuges ipſos ſimul cohabitantes, ſive externam conjugum ſocietatem, & conjunctionem, eſſe materiale ſymbolum externum, Chriſti, & Eccleſiæ indiſſolubilem conjunctionem repræſentans; quemadmodum in Sacramento Euchariſtiæ conſecratione peracta remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſymbolum ſenſibile, atque externum interni alimenti ſpiritualis.

Verba conjugum mutuum conſenſum exprimentia, non humano duntaxat, ſed religioſo modo, cum fide ſcilicet, ac pietate in Deum nuptiarum conciliatorem, hujus Sacramenti formam eſſe, docet Conc. Colonienſis Catechiſmus. „ „ Verbum (*inquit*) hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum; id nimirum eſt, quo ambo, mas & femina (cum pietatis reſpectu, quæ in Deum eſt, ſibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque) non quovis modo, ſed in Dei nomine conjunguntur, ac copulantur. Eſt autem tale verbum Chriſti verbis, ut validiſſima, ac firmiſſima baſi ſubnixum, cum inquit; *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et infra.* Aliud ergo verbum, quam verbum meri conſenſus requirendum erit, quo conjugium Sacramentum efficiatur. Quod nos, ut in cæteris, ita & in hoc Sacramento tale verbum eſſe putamus, cui fides in Deum accedit, nempe, quod accedens ad elementum faciat Sacramentum, non quia pronuntiatur, ſed quia creditur. Ut plane dicamus, quod ſentimus; non ſufficit, ut matrimonium, quod contrahitur, ſit Sacramentum, virum tantum accipere mulierem, & viciſſim mulierem accipere virum in conjugem; ſed neceſſe eſt ad Sacramenti rationem, ut altera alteri religioſe, ac in Domino jungatur; non tanquam auſpicaturi rem humanam, ſed magis divinam, quam non ipſi ſuis viribus, ſed in ipſis ſit operaturus, ac effecturus Deus. Quod fit, ſi in verbum Dei, quo hoc Sacramentum firmatur, ac ſtabilitur, reſpiciamus, ac fide credamus ea bona in non indigne auſpicantibus matrimonii Sacramentum effecturum Deum, quæ ipſe verbis ſuis pollicetur, aut certe in conjugibus requirit. Quod tam verum eſt, ut nec Patres veteris Legis matrimonio, quod apud eos etiam Sacramentum, ſed illius legis erat, ullam Sacramenti ſanctitatem tribuendam putarent, niſi quod eſſe pie, ac religioſe ſub Dei teſtimonio, in fide, ac timore Domini contractum. Abraham accepturus filio ſuo

uxo-

uxorem vide, quo ſpectavit. Non enim quærebat ſubſtantiam multam, non divitias, non ſervos, non multa agri jugera, non externæ venuſtatis formam (quæ mutuum conſenſum, ſed fide vacuum in contrahendo matrimonio conciliare potuiſſent) ſed in unum illum Auctorem, & Conciliatorem caſti matrimonii Deum, & in cauſam inſtitutionis reſpiciens, mandatum ſervo dat, ne filio ſuo Iſaac de filiabus Chanaan idololatris uxorem ducat, ſed profectus in Meſopotamiam de cognatione ipſius Abrahæ Deum agnoſcente, & timente accipiat, atque eam accipiat, non quam humanus affectus elegerit, ſed quam Deus filio ſuo præparaverit... Eadem pietate Iſaac quoque præditus, filio ſuo Jacob præcepit, ne acciperet conjugem de genere Chanaan, ſed magis de cognatione ſua adjecta benedictione fiduciæ erga Deum pleniſſima. *Deus* (inquit) *omnipotens benedicat tibi, & creſcere te faciat atque multiplicet, ut ſis in turbas populorum, & det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te.* Ad hæc liber Tobiæ (ut cætera Sanctorum veteris Legis religioſorum matrimoniorum exempla recitare omittamus) diſerte ſecernit matrimonia Sanctorum a matrimoniis profanis. Sic enim loquitur Tobias ille junior: *Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Et rurſus in verbum, & finem Sacramenti reſpiciens, Deum appellans: *Domine Deus* (inquit) *Patrum noſtrorum, Tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum.* Et capite proximo teſtatur angelus, conjugem bonam deberi viro timenti Deum. Raguel quoque Saræ pater, non ignarus unde matrimonii vis penderet, plena erga Deum fiducia, dexteram filiæ ſuæ apprehendens dexteræ Tobiæ tradidit dicens: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Sed quid hæc tam multis attinet commemorare, cum paſſim Biblia Gen. 24.

Gen. 28.

Tob. 8.

Tob. 7.

Deum caſti matrimonii conciliatorem pronuntiet? Apud Salomonem Prov. 19. ſic legimus: *Domus, & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem propria uxor prudens.* Et Eccl. 26. *Pars bona mulier bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* Jam ſi hæc fuit apud Patres veteris Legis matrimonii ratio, ut non tantum requirerent verbum mutui conſenſus, ſed & fiduciæ erga Deum ſignificativum, quanto magis id obtinet in novo Teſtamento, in quo Chriſtus non ſolum conjugium ad primam inſtitutionem revocavit, priſtinæque dignitati reſtituit, ſed & amplioris gratiæ augmento ſacravit, cum ſcilicet in cruce obdormiſcens, aqua, & ſanguine ex aperto latere profuſis ſibi Eccleſiam uxorem conderet, ac præordinatas illas ab æterno nuptias (quarum voluit noſtras eſſe Sacramentum) conſummaret. Itaque Apoſtolus Paulus, quod Chriſtiani dicunt, vel nubunt, non ſimpliciter nubere, ſed in Domino nubere appellat, nimirum indicans chriſtianos Domino mediante jungi oportere, accedente fide, quæ in verba Chriſti (quibus hoc Sacramentum firmavit, ac roboravit) reſpiciet „ „.

Melchior Cano, Eſtius, Silvius, aliique clariſſimi Theologi, formam Sacramenti matrimonii non verba conjugum, ſed verba Sacerdotis matrimonium celebrantis eſſe cenſent, in Romano Rituali præſcripta, vel alia æquivalentia, ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ ritum. De quibus Tridentina Synodus ſeſſ. 24. c. 1. *De Reformatione matrimonii*, ait: „ „ Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum „ „. Mediolanenſe Sacramentarium ubi Sponſus, & Sponſa ſigillatim, nominatimque interrogati conſenſum ſuum expreſſerunt, parochum hæc verba Evangelii dicere ju-

jubet: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Interea Sponſi genua flectunt, & parochus dextera ſua Sponſi dexteram prehendit, & ad ſignificationem vinculi, fideique conjugalis imponit manui dexteræ Sponſæ; ſummitateſque ſtolæ in modum crucis imponit ambabus ſponſorum manibus, & aperte dicit; *Ego auctoritate ſanctæ Matris Eccleſiæ, qua fungor, conjungo vos in matrimonium;* ter ſignum Crucis ſuper utrumque faciendo. *In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † ſancti. Amen.*

§. II.

Variæ Theologorum opiniones de miniſtro Sacramenti matrimonii.

Miniſtros Sacramenti matrimonii poſteriorum Scholaſticorum pars maxima ipſos eſſe contrahentes aſſerit, quod verba mutuum exprimentia conſenſum formam eſſe hujus Sacramenti perſuaſum habeant: hæc autem ab ipſis conjugibus proferantur; illique opinioni præſidium quærunt ex verbis *Eugenii IV.* in Decreto pro inſtructione Armenorum poſt Synodum Florentinam edito: *Cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Et ex verbis *S. Thomæ* in 4. *Sentenc.* diſt. 26. q. 2. art. 1. ad primum reſpondentis, verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur eſſe formam hujus Sacramenti, non autem benedictionem Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale duntaxat, id eſt, ſacra Cæremonia ad Sacramenti ſolemnitatem ex Eccleſiæ inſtitutione accedens.

Quidam contra maximi nominis, & conditionis eximiæ Theologi, *Melchior Cano, Eſtius, Silvius, &c.* ſolum Sacerdotem proprium eſſe Sacramenti matrimonii miniſtrum propugnant; ideo ut ſine Sacerdote verba proferente contractum matrimonium, quamvis ratum ſit, (ſi nihil deſideretur eorum, quæ ad ipſam contractus ſubſtantiam pertinent, vel Eccleſiæ legibus præſcripta ſunt;) Sacramentum tamen minime cenſendum ſit. Quin & veteres Theologos opinionis hujus patronos laudat *Cano*, ſcilicet

Guillelmum Parisiensem lib. *De Sacramentis*, Tract. *De Matrimonio*, & *Petrum Paludanum* in 4. *Sentent.* dist. 5. q. 2. Nam cum vir, & femina civiliter contrahunt, etiamsi peccatores sint, nec pœnitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegii; id quod nullo modo probabile esset, si ejusmodi matrimonium esset verum Ecclesiæ Sacramentum. Omnes quippe sine controversia sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine pœnitentia Christi Sacramenta suscipiunt. Atque ipsum etiam Theologorum Principem *S. Thomam* huic opinioni subscripsisse probat, *Sed licet* in 4. *Sentent.* dist. 1. qu. 2. art. 3. ad 5. „ „ Matrimonium (*inquit*) secundum quod est officium, & pœnitentia, secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba; sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ; in pœnitentia autem est absolutio Sacerdotis verbotenus facta „ „.

Et 4. *Contra Gentes*, cap. 77. „ „ Matrimonium, in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet, quod subjaceat Regimini ecclesiastico. Ea autem, quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in conjunctione maris, & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, est Ecclesiæ Sacramentum. Unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur „ „.

Et 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. „ „ Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, illicitum est; & ideo secundum jura prohibetur, ne pro Benedictione nuptiarum aliquid detur „ „.

Et in ipso Supplemento 3. Partis ex 4. *Sentent.* collecto, qu. 8. art. 1. „ „ Gratia, quæ in Sacramentis datur, a capite in membra descendit; & ideo so-

ſolus ille miniſter eſt Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper Corpus Chriſti verum, quod ſolius Sacerdotis eſt, qui conſecrare Euchariſtiam poteſt „ „.

Quæſt. 22. *art.* 2. „ Reſpondeo, quod Sacramen„ ta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſo„ los Sacerdotes pertinet „.

Quæſt. 31. *art.* 1. „ Nullius Sacramenti diſpenſatio „ Laicis ex officio competit „.

Sane cum Sacramenta ſint ſacri Religionis ritus, eorum diſpenſatio ad Eccleſiæ miniſtros, id eſt, Sacerdotes pertineat; nec Laicis, imo & mulieribus, tanquam ordinariis miniſtris credita eſt.

Ac Patrum quidem memoria matrimonium proprie eſſe Sacramentum, ita demum proditum eſt, ſi Sacerdotis miniſterium interveniat.

Sic *Tertullianus* lib. 1. *Ad Uxorem*, cap. 9. „„ Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet „„?

Concilium Carthaginenſe 4. can. 12. „„ Sponſus, & Sponſa, cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant „„. Si Patres africani benedictionem Sacerdotis meram cæremoniam eſſe exiſtimaſſent, non erat cauſa, cur tantam reverentiam novis conjugibus imperarent; cum majorem, vel æqualem benedictionem Chriſtiani quilibet ſingulis diebus accipiant in fine ſacrificii, tum a Sacerdotibus, tum ab Epiſcopis; neque tamen propterea moneantur, ut ab uſu conjugii abſtineant.

Siricius Pontifex maximus Ep. 1. Ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum, cap. 4. „ Illa benedictio, „ quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles „ cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione „ violetur „.

Ita

Innoc. III. Epiſt. 2. Ad *Vitricium* Rothomagenſem Epiſcopum. „ „ In Paradiſo cum parentes humani generis conjungerentur, ab ipſo Domino ſunt benedicti, & Salomon dicit: *A Deo præparabitur viro uxor.* Quam formam etiam Sacerdotes omnes ſervare, uſus ipſe demonſtrat Eccleſiæ. Satis enim abſurdum eſt aliquam credere uxorem ante Baptiſmum acceptam, poſt Baptiſmum non computari; cum benedictio, quæ per Sacerdotem ſuper nubentes imponitur, non materiam delinquendi dediſſe, ſed formam tenuiſſe legis a Deo antiquitus inſtitutæ, doceatur „ „.

Alexander III. c. *Cum in Eccleſia*, Ext. *De Simonia*, nubentium benedictionem a Sacerdote factam aliis Sacramentis adnumerat, ſtrictius prohibens: *Ne pro benedicendis nubentibus, & aliis Sacramentis conferendis aliquid exigatur.*

Martinus V. in fine Concilii Conſtantienſis decernit, interrogandum illum, qui hæreſis ſuſpicione laboraverit: *An credat, quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel extremæ Unctionis, vel ſolemnizationis matrimonii, peccet mortaliter.* Solemnizationem matrimonii non minus Sacramentum vocat, quam Confirmationem, & extremam Unctionem: Parochus itaque ſolemnizationis illius miniſter non minus matrimonii miniſter eſt, quam Epiſcopus Confirmationis, & Presbyter extremæ Unctionis.

Eugenius IV. in Decreto docet, Sacramenta tribus perfici; rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri. Si vero contrahentes ipſi miniſtri eſſent Sacramenti matimonii, Sacramentum ſine verbis perfici poſſet, per literas nempe; vel nutus mutuum conſenſum exprimentes: Sacramentum præterea ſine intentione miniſtri perfici poſſet, cum conjuges ſuſcipiendi quidem, non autem adminiſtrandi Sacramenti intentionem habeant, nec ea de re ab Eccleſia moneantur. Ad hæc, miniſtris duobus opus eſſet, cum *Eugenius IV.* & Synodus Tridentina unius duntaxat miniſtri perſonam in cujuſque

que Sacramenti diſpenſatione poſtulent. Mulier denique, cui in Eccleſia loqui, nedum Sacramenta diſpenſare, non permittit Apoſtolus, in facie Eccleſiæ Sacramentum adminiſtraret.

Concilium Tridentinum vult, ut parochus tanquam Eccleſiæ miniſter dicat contrahentibus: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quæ verba id efficere, quod ſignificant, adeoque Sacramentalia eſſe contendunt eruditi ſententiæ iſtius vindices; alioquin dicendum potius eſſet, ego vos conjunctos in matrimonium declaro.

Concil. Colonienſe c. 40. docet „ Sacramentum matrimonii, ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente ſacerdotali precatione, conferre donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Mulier viciſſim propter Chriſtum amet, revereaturque virum ſuum uti Dominum; uterque liberos, ſi dentur, ſumma cura inſtituant ad chriſtianam pietatem „. Et in Enchiridio chriſtianæ Inſtitutionis: „ Videmus, *inquit*, & in veteri Lege quoſdam fuiſſe, qui Dei vice conjuges conjungerent; quanto ergo magis putandum eſt, in nova Lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti miniſtros eſſe? In Lege quidem veteri pater, aut defuncto patre, proximus puellæ agnatus, ſeu tutor, Dei loco conjuges jungebat. Sic Tob. 7. legis: *Et apprehendens Raguel dexteram filiæ ſuæ dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Ad eumdem modum ab Apoſtolorum temporibus, matrimonii Sacramentum in facie Eccleſiæ celebratum eſt, miniſtris Sacerdotibus Chriſti „. Cæterum varias illas Theologorum opiniones circa materiam, formam, ac miniſtrum Sacramenti matrimonii proponimus tantum, ac referimus; quam libuerit, quiſque ſequatur, cum de his quæſtionibus nihil pronuntiaverit

rit Eccleſia, illaſque Theologorum diſputationi permittat.

ARTICULUS VI.

De Polygamia.

PROPOSITIO PRIMA.

Polygamia a matrimonii natura aliena eſt.

Hanc Propoſitionem Concilii Trid. Catechiſmus probat ex illis Chriſti Domini verbis Matth. 19: *Non legiſtis, quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos? Et dixit; propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:* Ac deinde ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Ex quibus verbis conſtat, matrimonium ita a Deo inſtitutum eſſe, ut duorum tantum, non plurium conjunctione definiretur. Non enim ait: Maſculum, & feminas fecit, ſed *Maſculum, & feminam:* Nec, *Adhærebit uxoribus ſuis*, ſed, *uxori;* nec, tres, vel plures erunt in carne una, ſed *duo in carne una.* Igitur unam uni perpetuo conjungendam edixit; quod ex his Domini verbis colligunt *S. Joan. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Venerab. Beda, Theophylactus, Euthymius, & Innoc. III.* Pontifex maximus c. *Gaudemus*, Ext. *de Divortiis.*

Idem probant iſta Salvatoris verba ab eodem Evangeliſta ibidem relata: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Nam ſi viro liceret plures ſimul uxores ducere, nulla omnino cauſa eſſe videretur, cui magis adulterii reus dicendus eſſet, quod præter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quam quod, priore dimiſſa, cum alia conjungeretur. Ita colligit *Innoc. III.* loco mox indicato: „ Si ergo (*inquit*) uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, fortius, & ipſa retenta; per quod evidenter appa-

apparet, pluralitatem in utroque ſexu; cum non ad imparia judicentur circa matrimonium, reprobandam ,,. Pares ſunt in re matrimonii vir, & mulier; *Innoc. III.* judice, cum ergo mulieri non liceat plures habere viros; nec viro licet plures habere uxores. Quæ ratio ex Apoſtolo ſumpta eſt 1. ad Cor. 7. ſcribente: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Uxori vir debitum reddat.* Quamvis igitur pluralitas uxorum fœcunditatem non tollat, primarioque fini matrimonii, ſcilicet procreationi liberorum, eo nomine non repugnet, ſicut repugnat pluralitas virorum reſpectu unius uxoris; id tamen adverſatur honeſtati, jurique conjugali. Uxori namque fieret injuria, ſi corpus viri, cujus dominium in ipſam matrimonii contractu translatum eſt, alteri traderetur.

Finem præterea ſecundarium matrimonii, ſi non omnino tollit, certe multum impedit polygamia, cum facile pax in familia conſervari non poſſit, ubi plures uxores uni viro junguntur; ſiquidem plurium in uno officio communicatio invidiam parit, invidia vero lites, rixas, odia. Quamobrem *Pluralitas uxorum eſt quodammodo contra legem naturæ;* (inquit *S. Thomas.*) Cæterum divino juri prorſus repugnat, & inſtitutioni Sacramenti, quod ita inſtitutum a Chriſto eſt, ut eſſet unius cum una indiſſolubilis conjunctio, ejuſdem Salvatoris conjunctionem cum Eccleſia, unius viri cum una Sponſa caſtiſſima ſignificans. Ideo lex valentiniani Imperatoris, qua pluralitatem uxorum licitam eſſe voluit, ut *Juſtinam* vivente adhuc *Severa* conjuge ſuper ducere poſſet, communi omnium conſenſu improbata eſt. ,, Poſſet enim homo dimittere ſterilem uxorem, (*inquit S. Auguſt. lib. De Bono Conjugali, c. 7.*) & ducere; de qua filios habeat; & tamen non licet; & noſtris quidem jam temporibus, ac more romano, nec ſuper ducere, ut amplius habeat quam unam vivam ,,. Idemque aſſerit c. 15. & rurſus lib. 22.

Con-

Contra Faustum, c. 47. & lib. 3. *De Doctrina christiana*, c. 18.

Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si Infidelis quispiam, gentis suæ more, & consuetudine, plures uxores duxisset, cum ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cæteras omnes relinquere, ac priorem tantum justæ, & legitimæ uxoris loco habere; ut habetur c. *Gaudemus*, Ext. *de Divortiis*. Merito itaque Tridentinum Concilium sess. 24. *de Matrimonio* pronuntiavit: „ Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit „.

PROPOSITIO II.

Accusandi non sunt prisci Patres, qui veteris Legis tempore plures uxores duxerunt.

Hanc Propositionem Tridentini Catechismi ex Scriptura sacra probare facile est, quæ veteribus illis Patriarchis singulare sanctitatis testimonium perhibet. Unde & Matth. 8. promittitur electis fore ut *Recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum*. Præterea si polygamia illorum crimen fuisset, Deus *Davidem*, in ea hypotesi toties adulterum, non reliquisset impunitum, in quem ob vel unicum adulterium tam graviter animadvertit; nec *Joiada* summus Sacerdos in Scriptura sacra laudatus *Joasi* Regi Juda duas uxores tradidisset, si alteram sine crimine habere non potuisset.

Quomodo excusentur sancti Patriarchæ polygami.

At, inquies, Polygamia naturæ legi repugnat; qua ergo ratione excusari possunt prisci Patres, & Reges polygami?

Respondetur, Legem de unitate uxoris divinam quidem, & naturalem esse, sed ex earum numero, in quibus Deus dispensare potest, & revera dispensavit. Quædam enim ad legem naturæ primario pertinent, qualia sunt hæc præcepta; Deus amandus est, parentes honorandi, vitandum homicidium, adul-

adulterium, furtum, mendacium, In his Deus ipſe diſpenſare non poteſt; cædes enim hominis privata auctoritate, & injuſte perpetrata, adulterium, furtum, mendacium, per ſe mala ſunt, adeoque ſemper, & ubique illicita. Quædam ſecundario pertinent ad legem naturæ, quæ cum per ſe mala non ſint, ſed ideo tantum mala, quia prohibita, Dei auctoritate, & diſpenſatione licita fieri poſſunt, ut polygamiæ prohibitio. Deus autem priſcis illis Patribus conceſſit, ut plures uxores ducerent ad propagationem populi Dei, certorumque myſteriorum ſignificationem. Myſterium namque in duabus *Abrahæ* uxoribus adumbratum explicat Apoſtolus ad Gal. 4. „„ Tunc ipſius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, & ad diſpenſationem propheticam pertinebat „„ (*inquit* S. Auguſt. lib. *De Bono Conjugali*, c. 17.) Et priſci illi Patres „„ de ſuis Nuptiis filios propter Chriſtum quærebant, ad genus ejus ſecundum carnem diſtinguendum ab omnibus gentibus; ſicut Deo diſponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod pronuntiabatur, ex quo etiam genere, & ex qua gente eſſet in carne venturus „„; (*inquit* idem S. Doctor c. 19.)

Quod autem divina conceſſione ſancti illi Patriarchæ plures uxores duxerint, etſi Scriptura ſacra non aſſerat, ex ea tamen colligitur, quia illorum ſanctitati teſtimonium perhibet, neque illorum polygamiam uſquam reprehendit; quæ tamen inculpata non fuiſſet, niſi Deo inſpirante, ac diſpenſante fuiſſet uſurpata. Hinc *S. Auguſt.* lib. 22. *Contra Fauſtum*, c. 47. „„ Quando, *inquit*, mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa

illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore; atque in illis terris hoc factitabatur; ſi præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia & moribus, & legibus hoc non licet „„? Polygamiam non fuiſſe contra naturam *S. Auguſt.* ait, non quod naturæ legi conſentanea eſſet, ſed quod fœcunditatis, atque generationis naturæ minime repugnaret. Contrariam præcepto non fuiſſe aſſerit, quia nulla lege poſitiva tunc prohibita erat, ſicut nunc vetita eſt Chriſtianis. Non fuiſſe contra mores, quia illo tempore, & loco recepta erat, adeoque Patriarchis vitio verti non poterat, quibus divina diſpenſatione conceſſa erat. Mos enim profanas gentes ea in re non excuſabat. Senſus ergo *S. Auguſtini* hic eſt: Si quis mori apud populum recepto divina diſpenſatione fretus obſequatur, non peccat; ſi vero apud alios, ubi id moribus receptum non eſt, id egerit, a ſcandali labe non erit immunis. Si ergo Patriarchæ, quibuſcum Deus in lege de unitate matrimonii diſpenſaverat, eo loco plures uxores duxiſſent, ubi id moris non erat, ſcandali auctores extitiſſent, niſi docuiſſent id ſibi a Deo ſingulares ob cauſas conceſſum eſſe. Crimen ergo non erat, ſcandali ſcilicet, ubi mos erat, iis, quibus Deus arcana id revelatione permiſerat.

Hinc *Innocentius III.* c. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*, ait: „„ Nec ulli unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum; quæ, mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur; per quam ſicut Jacob a mendacio, Iſraelitæ a furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur „„.

Idem confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 33. qu. 2. art. 2. „„ Lex, *inquit*, de unitate uxoris non eſt humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbo, aut literis tradita, ſed cordi impreſſa; ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent; & ideo in hoc a ſolo Deo diſpenſatio fieri potuit

per

per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter SS. Patribus facta eſt, & per eorum exemplum ad alios derivata eſt eo tempore, quo oportuit prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ; ſemper enim principalior finis magis conſervandus eſt quam ſecundarius; unde cum bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi proliſ multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire; ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur „„.

Et Reſponſione ad tertium: „„ Qualis eſt lex, *inquit*, talis debet eſſe diſpenſatio legis; & quia lex naturæ non eſt literis ſcripta, ſed cordibus impreſſa, propter hoc non oportuit diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari, ſed per internam inſpirationem fieri „„.

Non eſt impar meritum continentiæ in Abraham & S. Joanne.

Non ſolum igitur accuſandi non ſunt priſci Patres polygami, ſed nec Monogamis noſtris, ſive etiam continentibus poſtponendi. Quamvis enim continentiam matrimonio excellentiorem eſſe minime dubium ſit, perſonam tamen Abrahæ polygami plurimis apud nos continentiam ſolemni ritu profeſſis, aut cœlibem vitam ducentibus anteferendam contendimus. Cum enim perſonæ perſonis comparantur, non externum opus, ſed animi propoſitum conſiderandum eſt, ſeu, ut *S. Auguſt.* vocat, animi habitus ſpectandus, in quo virtus ipſa potius quam in opere conſiſtit. Habitus enim eſt, quo aliquid agitur, cum eſt opus; cum autem non agitur, poteſt fieri, ſed opus non eſt. In habitu ergo animi virtus ſemper eſſe debet; in opere autem pro rerum, & temporum opportunitate. Jam ſi habitum continentiæ in Abraham licet polygamo conſideres, continentiæ virtutem in eo fuiſſe fateberis eximiam, quam & nuptiis præpoſuiſſet, ſi ei talis optio data fuiſſet, qualis revelato novo Teſtamento data eſt, dicente Domino: *Qui poteſt capere, capiat.* Sic virtus patientiæ ſanctorum Marty-

rum in opere apparuit, cæterorum vero æque Sanctorum in habitu fuit „ „ Quocirca ſicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt; ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias; & in Abraham, qui filios generavit; & illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt; ſed continentiam Joannes & in opere, Abraham vero in ſolo habitu habebat „ „ (inquit *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, c. 21.) Quod autem potuerit, ac paratus fuerit *Abraham* continere ſe a nuptiis propter regnum cœlorum, minime dubitandum eſt: „ Qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ „ charæ ſunt, potuit intrepidus immolare propter re„ gnum cœlorum „. Verba ſunt *S. Auguſt.* c. 20. ejuſdem libri.

ARTICULUS VII.

De Indiſſolubilitate matrimonii.

PROPOSITIO PRIMA.

Conjugii vinculum nulla re niſi morte ſolvitur.

Matrimonium indiſſolubile.

Catholicum iſtud Dogma luculenter probant Chriſti verba, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Marci 10. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Si conjugii vinculum aliqua ex cauſa chriſtianos inter conjuges ſolvi poſſet, liceret eis, facto juſtas ob cauſas divortio, ſine ullo adulterii crimine aliis nubere; atqui Dominus aperte denuntiat, omnem, qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam ipſa ſuperſtite duxerit, adulterii reum fore, & pariter adulteram fore uxorem, quæ dimiſſo viro alteri nupſerit; itaque conjugii vinculum nulla re niſi conjugis morte ſolvi poteſt.

Id

Id Apoſtolus confirmat 1. ad *Cor.* cap. 7. *Iis autem*, inquit, *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Et mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt; Cui vult, nubat, tantum in Domino.*

Hinc *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, c. 7. „ „ Quem (*inquit*) non faciat intentum, quid ſibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deſerentibus hominibus, atque id diſſolvere cupientibus, inconcuſſum illis maneret ad pœnam. Siquidem intervenïente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis; ita ut ſibi conjuges ſint, etiam ſeperati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam poſt ſuum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen niſi in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, talis eſt cauſa cum uxore. Cæterum aliter ſe habere jura gentilium, quis ignorat, ubi interpoſito repudio ſine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa, cui voluerit, nubit, & ille, quam voluerit, ducit? Cui conſuetudini ſimile aliquid, propter Iſraelitarum duritiam, videtur permiſiſſe Moyſes de libello repudii, qua in re exprobratio, quam approbatio divortii magis apparet „ „.

Et cap. 15. „ „ Semel autem initum connubium in civitate Dei noſtri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum Nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt niſi alicujus eorum morte diſſolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamſi proles, cujus cauſa initum eſt, manifeſta ſterilitate non ſubſequatur; ita ut jam ſcientibus conjugibus non ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen, vel ipſa cauſa filiorum, atque aliis copulare non liceat. Quod ſi fecerint, cum iis, quibus ſe copulaverint, adul-

terium omittunt, ipſi autem conjuges manent „ „. Idem confirmat lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 10. & cap. 31.

Merito itaque ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. *De Matrimonio*, can. 5. ita ſtatuit: „ „ Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vinculum; anathema ſit „ „.

Objicitur caput, *Quod propoſuiſti*, cauſa 32. qu. 7. quod eſt *Gregorii II.* ad *Bonifacium* Epiſcopum ſcribentis: „ „ Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret; ſed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis; non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit „ „.

Reſpondetur, *Gregorii II.* Reſponſum intelligendum eſſe de infirmitate matrimonium præcedente, & quæ perpetuam impotentiam adjunctam habebat, ſed tamen ante initum matrimonium non innotuerat. Non enim ignorabat Pontifex optimus Domini ſententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

PROPOSITIO II.

Ne adulterii quidem cauſa conjugii vinculum diſſolvi poteſt.

Matrimonium ſolvi non poteſt, etiam adulterii cauſa.

Scripturæ ſacræ teſtimoniis ſuperius prolatis catholicum iſtud dogma, quod prioris Conſectarium eſt, pariter probatur; illudque confirmat iterum Chriſtus Luc. 16. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Et Matth. 5. 31. 32. *Dictum eſt: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Quæ loca, necnon & illud Marc. 10. ſu-

pe-

perius prolatum: *Quicunque dimittit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*, &c. *S. Auguſt.* expendens lib. 1. *De Adulterinis conjugiis*, c. 9. „ Qui ergo nos ſumus (*inquit*) ut dicamus: Eſt, qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt, qui hoc faciens non mœchatur? Cum Evangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit. Proinde ſi quicunque id fecerit, id eſt, omnis, qui hoc fecerit, ut uxore ſua dimiſſa alteram ducat, mœchatur; ſine dubitatione ibi ſunt ambo, & qui præter cauſam fornicationis, & qui propter cauſam fornicationis dimittit uxorem. Hoc eſt enim, *Quicunque dimittit*: Hoc eſt, *omnis, qui dimittit* „.

Idem confirmat Apoſtolus ad Rom. 7. 2. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri; ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quem locum Apoſtoli *S. Auguſt.* expendens lib. 2. *De adulterinis Conjugiis*, c. 5. „ Hæc (*inquit*) verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus. Reus vero excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque ut, ſi ſecundum Apoſtolum ſapere volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideo licere uxori ejus alteri nubere. Quamvis enim ſit mors adulterium, non corporis, ſed quod pejus eſt, animæ; non tamen & de iſta morte loquebatur Apoſtolus, cum dicebat: *Quod ſi mortuus fuerit vir ejus, cui vult, nubat:* ſed de illa ſola, qua de cor-

pore exitur. Quoniam ſi per conjugis adulterium conjugale ſolvitur vinculum, ſequitur illa perverſitas, quam cavendam eſſe monſtravi, ut & mulier per impudicitiam ſolvatur hoc vinculo; quæ ſi ſolvitur, libera erit a lege viri; & ideo, quod inſipientiſſime dicitur, non erit adultera, ſi fuerit cum alio viro, quia per adulterium liberata eſt a priore viro. Quod ſi ita eſt a veritate devium, ut nullus id, non dico chriſtianus, ſed humanus ſenſus admittat; profecto *Mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit*; Quod ut apertius dicam, quamdiu vir ejus in corpore eſt. Pari ergo forma, & vir alligatus eſt, quamdiu mulier ejus in corpore eſt. Unde ſi vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipſe committat. Similiter & mulier ſi dimittit adulterum, non ſibi copulet alterum; alligata eſt enim, quamdiu vir ejus vivit; nec a lege viri niſi mortui liberatur, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro „ „.

Objectioni ex Chriſti verbis petitæ reſpondetur.

Difficultatem faceſſunt Chriſti verba, Matth. 19. 9. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Ex qua exceptione Græci, & hæretici colligunt, illum non mœchari, qui uxorem dimittit ob fornicationem, & aliam ducit.

Verum facilis, & obvia reſponſio eſt, exceptionem illam ad priorem duntaxat Dominicæ ſententiæ partem ſpectare, ut ſcilicet Chriſtianis ſola fornicationis cauſa dimittere liceat uxores; non autem ad ſecundam, quaſi non mœchetur, qui dimiſſa adultera, duxerit alteram. Utrumque enim mœchari Chriſtus ſignificat, & qui, uxore citra caſum adulterii dimiſſa, & qui dimiſſa adultera, alteram duxerit; quamvis gravius ſit crimen ejus, qui dimiſſa uxore innocente ducit aliam, quam ejus, qui dimiſſa adultera conjungitur alteri. Sicut ex his *S. Jacobi* verbis c. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*; non recte colligitur, peccatum non eſſe

esse illi, qui nescit bonum facere, & ideo non facit. Utrumque enim peccatum est; sed hoc gravius, si sciat, & non faciat; nec illud ideo nullum, quia minus. Sunt quippe etiam peccata ignorantium, quamvis minora, quam scientium: „„ Ita, nec illic recte dici potest, ergo si causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur; est enim mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt. Potest quippe, sicut dictum est: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi;* eodem modo & illud dici. Dimittenti uxorem sine causa fornicationis, & aliam ducenti, mœchatio est illi; quemadmodum igitur si dixerimus, quicunque mulierem a marito præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minime dubitamus; ita eum, qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, & alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, mœchos tamen esse cognoscimus. Unde cum dicimus: Quicunque mulierem præter causam fornicationis a viro dimissam duxerit, mœchatur; de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus eum, qui eam duxerit, quam propter causam fornicationis maritus dimiserit; ita cum ambo sint mœchi, & ille scilicet, qui dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, & aliam duxerit, & ille, qui propter causam fornicationis uxore dimissa se alteri copulaverit; profecto quando de uno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quasi ex hoc alter mœchus negatus sit, quod alter expressus sit „„.

Deinde ſubobſcurus *S. Matthæi* locus ab aliis Evangeliſtis ita explanatus eſt, nulla ut ſuperſit difficultatis umbra. Ait enim Chriſtus apud S. Marcum: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Ait apud S. Lucam: *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur.* Quoniam igitur fas non eſt, ut Evangeliſtas, quamvis diverſis verbis de una re loquentes, ab uno ſenſu, eademque ſententia diſſentire dicamus; reſtat ut *Matthæum* intelligamus a parte totum ſignificare voluiſſe, eamdem tamen tenuiſſe ſententiam, ut dimittens uxorem, & alteram ducens, non quidam mœchetur, id eſt, qui præter fornicationem dimiſerit; quidam vero non mœchetur, id eſt, qui propter fornicationem dimiſerit; ſed omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchari minime dubitetur. Nam & illud, quod etiam ſecundum Lucam ſequitur: *Qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur:* quomodo eſt verum? „ Quomodo mœchatur, niſi quia illa, quam duxit, eo vivente, a quo dimiſſa eſt, adhuc uxor aliena eſt; ſi enim jam ſuæ, non alienæ miſcetur uxori, utique non mœchatur; mœchatur autem: aliena eſt ergo, cui miſcetur. Porro ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus, a quo dimiſſa eſt; etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt; nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit. Si autem illius eſſe ceſſavit, jam hujus eſt, cui alteri nupſit; & ſi hujus eſt, non mœchus judicandus eſt, ſed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, ſed mœchum; adhuc illa illius eſt, a quo etiam cauſa fornicationis abjecta eſt, & ideo quamcunque etiam ipſe, illa dimiſſa, ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera eſt. Unde autem fieri poteſt, ut adulter etiam ipſe non ſit, cum conſtet adulterare, quam duxit „? Ita reſpondet *S. Auguſt.* lib. 1. *De Conjugiis adulterinis*, cap. 8. 9. 11. & 12.

Marci 10. 11. Luc. 16. 18.

Verum (inquies) multæ ſunt præter fornicationem cauſæ, ob quas uxorem a thoro dimittere liceat; cum ergo uxorem dimitti non poſſe Chriſtus

ait,

ait, nisi ob fornicationem, loquitur de matrimonii dissolutione quoad vinculum.

Respondetur, id recte non colligi; quamvis enim multæ sint aliæ causæ, ob quas uxorem dimittere liceat ad tempus, nulla tamen est alia, ob quam liceat in perpetuum a thoro eliminare. Cum enim aliis de causis dimittitur, non absolute, non in perpetuum, sed ad tempus dimittitur, dum se dimissa, & afflicta corrigit, dum insipiens resipiscit, ut ad maritum redeat, si ad mentem redierit. At propter fornicationem absolute, & in perpetuum uxor dimittitur, ita ut, etiamsi se dimissa correxerit, maritus, si nolit, resumere minime teneatur. Non enim dimittitur, ne faciat, sed quia fecit injuriam; non ut culpam corrigat, sed ut reliquo vitæ tempore criminis pœnam luat. Accedit, quod aliæ dimittendæ uxoris causæ propriæ non sint matrimonii, sed omnis communes consortii: adulterium vero causa est uxoris dimittendæ propria matrimonii, quia conjugalem fidem violat, quæ matrimonii quodammodo basis est.

Quid ergo (inquies) Christus addidit legi? Multa omnino. Primum quod in lege propter adulterium uxor non dimittebatur, sed lapidabatur, & e medio tollebatur. Id Christus sustulit: non enim jussit adulteram morti addici, sed dimitti permisit. Addidit præterea, quod noluit etiam adulterii causa dimissæ libellum repudii dare, quo minus audaces, & prompti in dimittendis uxoribus essent viri; si scirent, nec sibi, nec uxori licere alias tentare Nuptias, sed solis, dum uterque viveret, esse vivendum. Addidit, quod innumeras prope causas, ob quas in lege uxorem dimittere licebat, resecuit, solamque fornicationem excepit. Addidit, quod cum in lege semel dimissam vir revocare non posset, in Evangelio revocari non quidem jussit, sed optavit, interprete Apostolo. *Maneat* (inquit) *innupta, aut viro suo reconcilietur.* Addidit denique, quod cum in lege uxorem viro, non virum uxori dimittere liceret, in

Evan-

Evangelio parem viri, & uxoris causam esse voluit, ut idem Apostolus explicat.

Instabit aliquis: Pharisæi Christum Dominum interrogabant, an ex quacunque causa invisam, & odiosam uxorem dimittere liceret, dimissione utique apud Judæos usitata, ita ut separati conjuges novum conjugium inire possent. Respondet autem Dominus: *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* de illa dimissione loquens, de qua fuerat interrogatus: alioquin ad propositum non respondisset.

Hanc objectionem ita diluimus. Quamvis Christus de dimissione a thoro duntaxat, non de vinculi dissolutione, de qua fuerat interrogatus, responderit, ad propositum tamen respondit, quia docere voluit, quid in judaicis divortiis licite, quid illicite fieret. Cum enim duo continerentur in repudio, nempe dimissio perpetua conjugis a thoro, & potestas alteram ducendi, Christus hæc duo distinxit; & illud quidem ob solam adulterii causam concessit; istud autem omnino negavit, & sustulit. Respondit itaque appositè, quæstionis propositæ duas partes distinguens, & explicans.

S. Matthæi locum non alio sensu *S. Hieronymus* explicuit in Commentariis. „ „ Sola (*inquit*) fornicatio est, quæ uxoris vincat affectum, imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Prov. 18. *Qui adulteram tenet, stultus, & impius est.* Ubicunque igitur est fornicatio, & fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam Nuptiarum veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat „ „. S. Hieronymi verba transcripsit Concil. Forojulienſe anno 791. sub *Hadriano I.* can. 10. ea de re edito.

In-

Invaluit quidem aliquando prava illa conſuetudo, quæ viro repudiata ob adulterium uxore, nubere alteri permittebat, non item uxori a viro adultero ſeparatæ, ut conſtat ex *S. Baſilii* Epiſt. ad *Amphilochium*, can. 9. & Auctore Commentariorum in Epiſt. *S. Pauli* inter opera *S. Ambroſii* editorum, in c. 7. Ep. 1. ad Cor. nec non ex *Origene* tr. 7. in Matth. Quod, & *Lactantius* lib. 6. cap. 23. Conc. Arelatenſis 1. can. 10. Conc. Venetici can. 2. Synod. *S. Patricii* can. 26. Conc. Bituricenſis ſeſſ. 2. Synodi Lemovicenſis 2. recitati can. 15. *Leonis IV.* in Synod. romana can. 26. apud Auctorem libri *De Vitis romanorum Pontificum* vulgo *Luitprando* attributi; capit. 116. *Theodori* Cantuarienſis Archiepiſcopi, Tom. 9. *Spicilegii* innuere videntur.

Conſuetudo, quæ viros repudiata uxore adultera alii nubere permittebat, Dei legi contraria judicata eſt a Patribus Eccleſiæ, & Conciliis.

Verum *Origenes* priſcos illos Epiſcopos, contra Scripturas permiſiſſe, aſſerit, dimiſſis conjugibus adulteris, aliis nubere; vel permiſerunt, id eſt, impunitum reliquerunt ob graviora mala vitanda; ſed tamen non approbarunt. „ „ Scio quoſdam (*inquit*) qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe aliquam nubere viro priori vivente, & contra Scripturam quidem fecerunt, dicentem: *Mulier ligata eſt, quanto tempore vivit vir ejus;* Item, *vivente viro vocabitur adultera, ſi nupta fuerit alteri viro.* Non tamen omnino ſine cauſa hoc permiſerunt: forſitan enim propter hujuſmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala ſunt, permiſerunt adverſus ea, quæ ab initio fuerant ſcripta: *Dico autem vobis, quoniam quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur* „ „.

Lactantius divinam Legem civilibus legibus, & forenſi uſui hac in re opponit. „ „ Non enim (*inquit*) ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium, maritus autem, etiamſi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus eſt; ſed divina Lex ita duorum matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habea-

beatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit „„.

S. Baſilius conſuetudinem illam verbo Dei contrariam fuiſſe aſſerit. „„ Domini autem dictum (*inquit*) ſecundum ſententiæ conſequentiam ex æquo & viris, & mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio diſcedere, præterquam propter fornicationem. Conſuetudo autem non ita habet, ſed in mulieribus quidem multum accurate, & diligenter obſervari invenimus. Conſuetudo vero etiam adulterantes viros, & in fornicationibus verſantes, jubet a mulieribus retineri. Quare, quæ reliquit, eſt adultera, ſi ad alium virum acceſſit. Qui autem relictus eſt, dignus eſt venia, & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur; ſed ſi vir, qui ab uxore diſceſſit, acceſſit ad aliam, eſt & ipſe adulter, quoniam facit eam adulterari, & quæ ei cohabitat eſt adultera, eo quod alienum virum ad ſe traduxit „„. Cum virum eſſe venia dignum, propter conſuetudinem, ait *S. Baſilius*, ſenſus eſt eſſe verum matrimonium viri ab uxore dimiſſi cum altera, ſecundum præjudicatam hominum opinionem; rem vero aliter ſe habere ſecundum ſententiam Salvatoris noſtri. Unde & peccatum in eo agnoſcit, qui in ea hypotheſi ducit alteram, ſiquidem ait *Venia dignum*: ſed non ita grave propter ſolitam conſuetudinem. Hanc autem non ſolum Dei verbo, ſed & rectæ rationi contrariam eſſe ſignificat can. 21. „ Iſtorum „ quidem ratio minime eſt facilis (*inquit*) conſue„ tudo autem ſic invaluit „.

Auctor Commentariorum in Epiſtolas *S. Pauli* inter *S. Ambroſii* Opera editorum, cum ait: „„ Non permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. *Et rurſus*: Viro licet ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem; quia non ita lege conſtringitur vir, ſicut mulier: Caput enim mulieris vir eſt „„. Cum (inquam) hæc ait, non ſpectat legem evangelicam, ſecundum quam

par

par eſt cauſa viri adulteri, & mulieris adulteræ; ſed legem Juliam romanam, ſecundum quam mulier jus non habebat accuſandi maritum adulterii, quemadmodum vir jus habebat accuſandi mulierem, eaque dimiſſa, alteram ducendi. *L. Publico*, C. Ad legem Juliam de adulteriis, & ſtupro: „ „ Publico (*inquit*) judicio non habere mulieres adulterii accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato quæri velint, lex Julia declarat, quæ cum maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem feminis privilegium detulit „ „ Cæterum vero *Ambroſius* viro hac in cauſa non licere aſſerit, quod mulieri non licet.

Sic ille lib. 1. *De Abraham*, cap. 4. „ „ Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia. Quidquid in eam, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii damnatur crimine. *Et cap. 7.* Vinctus es uxori, noli quærere ſolutionem, quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen eſt adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam „ „.

Et lib 8. in *Lucam*, locum illum explicans: *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur*; ait: „ „ Dimittis ergo uxorem quaſi jure, ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed divina prohibet. Qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam, qui leges ferunt. *Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Sed non ſolum hic cœleſte præceptum; ſed quoddam etiam opus Dei ſolvitur. Pateriſne, oro, liberos tuos, vivente te, eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre, degere ſub noverca? Pone, ſi nubat. Neceſſitatis illius tuum crimen eſt, & conjugium, quod putas, adulterium eſt. Quid enim refert, utrum id aperta criminis confeſſione, an mariti ſpecie adulter admittas? niſi quod

gra-

gravius eſt legem criminis feciſſe, quam furtum „ „. Hoc eſt gravius crimen & aliam palam duxiſſe, & lege romana facinus defendere, quam adulterium furtivum commiſiſſe.

Quod aliqui Epiſcopi, privatæque Synodi ſenſerint contra evangelicam veritatem, matrimonium ob fornicationem diſſolvi poſſe quoad vinculum, fecit quæſtionis nondum eliquatæ, ac finitæ obſcuritas de qua *S. Auguſt.* lib. *De Fide, & Operibus*, cap. 19. „ „ Quiſquis (*inquit*) uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt, & dicunt, & in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, quantum exiſtimo, veniaiter ibi quiſque fallatur „ „.

Verumtamen, Patres primi ordinis, Pontifices, generalia, & nationalia Concilia ſenſerunt, atque propugnarunt, conjuges, facto ob adulterium divortio, aliud matrimonium inire non poſſe.

Id præter Patres jam laudatos *S. Hieronymus* in Epitaphio *Fabiolæ* ad *Oceanum*, nobilis illius matronæ commendans pœnitentiam, quæ maritum adulterum dimiſerat, alterique, eo ſuperſtite, nupſerat. „ „ Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta cauſa fornicationis, &, ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in feminas... Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris .. Dimiſit ergo, ut ajunt, vitioſum, dimiſit illius, & illius criminis noxium, dimiſit, pene dixit, quod, clamante vicinia, uxor ſola non prodidit.. Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, & putabat a ſe virum jure dimiſſum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſatio, viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis, & antiquis moror, quærens excuſare culpam, cujus pœnitentiam ipſa confeſſa eſt „ „? Idem

Idem S. Doctor ab *Amando* Presbytero interrogatus, utrum mulier relicto viro adultero, & ſodomita, & alio per vim accepto, poſſit abſque pœnitentia communicare Eccleſiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat, ſic reſpondet Epiſt. 147. „ „ Omnes cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſime definivit. Vivente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris perſuaſionem, patris auctoritatem; propinquorum catervam, ſervorum inſidias atque contemptum; damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter ſit, licet ſodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtolus hæc propria auctoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente Chriſti verba ſecutus eſt, qui ait in Evangelio: *Qui dimittit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam acceperit, adulter eſt.* Animadverte quid dicat: *Qui dimiſſam acceperit, adulter eſt;* ſive ipſa dimiſerit virum, ſive a viro dimiſſa ſit, adulter eſt, qui eam acceperit... Ergo & iſta ſoror, quæ (ut dicit) vim paſſa eſt, ut alteri jungeretur, ſi vult Corpus Chriſti accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam, ita duntaxat, ut ſecundo viro, qui non appellatur vir, ſed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur „ „. Rom. 7. Matth. 5.

Ita *Innoc. I.* Epiſtola 3. quæ eſt ad *Exuperium* Toleſanum Epiſcopum c. 6. „ „ De his requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii ſe matrimonio copulârunt; quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui ergo, vel quæ, viro, vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri in tantum, ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur; ſecundum illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiſerit uxorem ſuam; & duxerit aliam, mœchatur: Similiter & qui dimiſſam*

duxerit, mœchatur. Et ideo tales omnes a communione fidelium abſtinendos „„.

Ita Conc. Africanum, ſeu Milevitanum, cui *S. Auguſt.* interfuit, can. 17. „„ Placuit, ut ſecundum evangelicam, & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungantur. Sed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam promulgari „„. Idem antiquior Synodus illiberitana in Hiſpania decreverat, can. 9.

Græcos tametſi matrimonium fornicationis cauſa diſſolventes in communionem recepit Eccleſia romana.

Eugenius IV. in Concilio Florentino græcorum morem, matrimonia fornicationis cauſa diſſolventium, reprehenſione dignum eſſe, & correctione indigere declaravit. Ubi enim definitio fidei edita, & omnium utriuſque Eccleſiæ Epiſcoporum ſubſcriptionibus munita eſt, ita græcos eſt allocutus: „„ Nos, fratres, Dei beneficio ſumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis ego ſum inter vos membra caput, debeoque qualitercunque admonere, & conſiliis inſtruere ad ea, quæ videntur pietatem, & Eccleſiam noſtram conſtabilire; propono vobis aliqua ut fratribus, ut Eccleſiarum ductoribus. Et primo dico, omnes conqueri de ſeparatione matrimoniorum, idque correctione indiget, &c „„.

Et in Decreto pro inſtructione Armenorum: „„ Quamvis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt; cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit „„.

Concilium denique Tridentinum ſeſſ. 24. *De Sacramento Matrimonii*, Canonem 7. ea de re condidit: (Sic temperatus eſt Concil. Trident. Canon, inſtantibus ſereniſſimæ reipub. Venetæ oratoribus propter Græcos ejus ditioni ſubditos, ut refert Palavicinus in Hiſtoria Concilii lib. 21. cap. 4. cum paratus fuiſſet Canon anathemate feriens eum, qui diceret, matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi.) „„ Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit,

&

& docet, juxta Evangelicam, & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit. Anathema ſit „„.

Adulterii cauſa matrimonia ſolvere veterum Imperatorum, etiam Chriſtianorum legibus fas erat. L. *Conſenſu*, C. *De Repudiis*; & L. *Conſtante*, &c. Atque in Galliis olim morem illum obtinuiſſe conſtat ex *Formulis Marculfi* Monachi libro 2. Formula 30. quæ inſcribitur, *Libellus Repudii*; ſed mos ille pravus erat, Legique evangelicæ contrarius. *Alia ſunt leges Cæſarum, alia Chriſti: Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcepit*; (inquit *S. Hieronymus* Epiſt. 30.) Et veterum Imperatorum leges, quæ matrimoniorum ſolutionem permittebant, abrogavit *Juſtinianus* Novella 117. Quæ tamen, & per ſe irritæ erant, cum divinæ, & eccleſiaſticæ Legi repugnarent, nec ad res hujuſmodi ſanciendas, vel permittendas poteſtas Principum ſe extendat, quæ mere temporalis eſt, rerum terrenarum, ſecularium, civilium, ſive politicarum finibus circumſcripta.

Difficultas ſuboritur aliqua ex veteri pœnitentiali Romano, Tit. 3. *De fornicatione, & inceſtu diverſi generis, & ætatis*, c. 20. cujus hæc ſunt verba: „„ Contigit tibi, ut uxor tua te conſcio, & hortante cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret; ſi feciſti, quadraginta dies in pane, & aqua pœnitens, & ſeptem annos, unum ex his in pane, & aqua, & nunquam ſis ſine pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa, & tuo juſſu, ſe renuente, & luctante, adulterata ſit, ſi ſe continere non poteſt, nubat, cui voluerit, tantum in Domino. Tu autem ſine uxoria ſpe in perpetuo maneas. Illa autem ſi conſentiens fuerit, eadem jejunet, quæ tibi propoſita ſunt, & ſine ſpe conjugii maneat „„. Objectio ex veteri pœnitentiali romano petita diluitur.

Reſpondetur, illo in caſu permitti inſonti, ut nubat, cui voluerit; poſt obitum conjugis; ut diſcrimen conſtituatur inter innocentem uxorem, aut minus ream, & maritum auctorem criminis; in hoc quod maritus, etiam poſt mortem uxoris, ad cælibatum velut appendicem pœnitentiæ teneretur: uxor vero, marito defuncto, poſſet ad ſecundas nuptias convolare. Olim ſcilicet hæc pœna in Eccleſia frequentiſſima fuit, ut qui atrox aliquod crimen commiſiſſent, nuptiis impedirentur, ne vel ipſi delicatius viverent, vel ex eorum ſtirpe infecta filii ejuſdem criminis ſuſpicione notabiles procrearentur. Parricidis hanc pœnam impoſuit Concilium Moguntinum ſub Rabano, Canone 20. Eamdem adverſus inceſtuoſos decreverunt Concilium Vermerienſe, Canone 4. & Triburienſe Canone 44. Adverſus adulteros lex eadem olim ab Eccleſia lata eſt, Canone, *Hi vero*; cauſa 32. q. 7. Innocentibus autem conjugibus permiſſum eſt, ut poſt mortem ejus, qui ſe aliquo hujuſmodi crimine polluerat, ad ſecundas nuptias tranſirent.

PROPOSITIO III.

Matrimonium ratum, non conſummatum, monaſtica Profeſſione diſſolvitur.

Religioſa Profeſſio matrimonium non conſummatum ſolvit.

Hæc Propoſitio nititur ſummorum Pontificum, qui omnium Chriſtianorum Patres ſunt, & magiſtri, Reſponſis, ſcilicet *Alexandri III.* c. *Verum*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, ubi conjugum alteri licitum eſſe docet, „ „ altero etiam repugnante, eligere monaſterium (ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commiſtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſſe ad ſecunda vota tranſire, (*id eſt, novum inire matrimonium*) Quia cum non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſeculo remanere „ „. Quæ circumferuntur Sanctorum

rum exempla, qui de nuptiis ad Deum vocati, conjuges ante matrimonii conſummationem reliquerunt, ut Deo ſe conſecrarent, ſunt *S. Theclæ* ex *S. Epiphanio* Hæreſi 78. §. 16. & *S. Ambroſio lib.* 3. *De Virginibus c.* 3. *S. Alexii* ex *Metaphraſte*, & Breviario romano, *S. Macarii* Eremitæ, ex vitis Patrum, magiſtro ſententiarum diſt. 27. litera G. & *Gratiano cauſa* 24. *q.* 11. poſt caput *Scripſit nobis*; ſacræ Virginis *Gregoriæ*, ex *S. Gregorio* lib. 2. Dialogorum, c. 13. *S. Leobardi*, ex *Gregorio Turonenſi*, *libro de Vitis ſanctorum Patrum*, *c.* 20. *S. Odithæ* Anglorum Reginæ, ex ejus vita apud *Surium*, & *S. Ealdridæ* etiam Reginæ, ex venerabili *Bedæ* lib. 4. *Hiſtoriæ Anglorum*, *c.* 19.

Idem rurſus docet *Alexander III. c. Ex publico*, ſub eodem titulo Decretalium. „„ Cæterum (*inquit*) quia licet a præfato viro deſponſata fuerit, adhuc tamen (ſicut aſſerit) ab ipſo eſt incognita. Mandamus, quatenus ſi prædictus vir ipſam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpatium debeat, ipſam a ſententia, qua tenetur, abſolvas. Ita quod ſi ad religionem tranſierit, uterque reſtituat alteri, quod ab eo noſcitur recepiſſe... Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, niſi ob cauſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt, ſecundum interpretationem ſacri eloquii, de his, quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua conſummari non poteſt „„ Hæc ſcilicet verba Gen. 2. *Erunt duo in carne una*, ex quibus Chriſtus Matt. 19. omnimodam indiſſolubilitatem matrimonii colligit, dicens: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; ad matrimonium conſummatum duntaxat pertinent, & in illa ſpecie Deus ſeparat, & non homo, ut dicitur Can. *Scripſit*, cauſa 27. q. 11. ex *Nicolao I.* Eamque explicationem confir-

mat *Innocentius III. c. Ad Apoſtolicam*, ſub eod. Tit. „„ Cum autem (*inquit*) vir, & uxor una caro ſint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti poſſit ad Dominum, & altera in ſeculo remanere, profecto non eſt alter conjugum recipiendus ad obſervantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat „„.

Et cap. *Ex parte tua*, ſub eodem Tit. „„ Nos tamen (*inquit*) nolentes a Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui reſpondere conſulti, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconſulto, ad religionem tranſire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ipſum tibi conſulimus obſervandum „„.

Id rurſus confirmat *Alex. III.* c. *Commiſſum*, Ext. *de Sponſalibus, & matrimonio.*

Hæc denique totius Eccleſiæ doctrina eſt, ut conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. *De Matrimonio*, Canone 6. „„ Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit „„.

Leges quidem civiles ulterius progreſſæ, matrimonium etiam conſummatum profeſſione religioſa diſſolvi declararunt, ut conſtat ex Novella 23. Juſtiniani, cap. 40. Sed hanc legem tanquam divinæ Legi contrariam rejecit Eccleſia, ut conſtat ex *S. Gregorio* lib. 9. Epiſt. 39. & 44. Solum ergo matrimonium ratum, & non conſummatum religioſa profeſſione ſolvitur.

Certe ante copulam relictæ conjugi nulla fit injuria; ſi quæ enim fieret, vel proli, vel ſponſæ irrogaretur. At nulla fit proli, ſiquidem nullus præceſſit congreſſus; nec ſponſæ, cum integra maneat, nihilque decoris, aut honoris amiſerit, quominus ab alio in conjugem aſſumi poſſit.

Objiciet quiſpiam, conjugii vinculum nulla re niſi morte alterutrius conjugis dirimi: quæ prima eſt hujus articuli propoſitio ſuperius demonſtrata.

Re-

Reſpondetur, duplex in matrimonio vinculum inveniri: alterum ſpirituale, quod ſolo conſenſu; alterum carnale, quod copula ſtringitur. Carnale ſola mors corporis diſſolvit, ut docet Apoſtolus ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier* (inquit) *vivente viro alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri.* Spirituale vero vinculum ſpirituali morte ſolvitur, qua nimirum aliquis mutatione ſtatus a civili converſatione ita removetur, ut ad eam redeundi ſpem, & poteſtatem ultra non habeat. Id autem non fit niſi profeſſione religioſa, qua qui ſe Deo devovet, ita mundo mortuus eſt, ut jam nec ſui corporis poteſtatem habeat, quod Deo per votum caſtitatis conſecravit, ac ſolemni ritu tradidit, nec voluntatem propriam habeat, nec jam amplius ſit ſui juris, cum Superiorum imperio ſe per obedientiæ votum mancipaverit; nec deinceps ullius dominii, ſeu proprietatis ullius ſit capax, quibus ſe per votum paupertatis penitus abdicavit. Unde & leges civiles ingreſſu religionis, ſeu voto ſolemni vitæ monaſticæ ſecundum Regulam ab Eccleſia approbatam, tanquam morte teſtatoris, conditum antea teſtamentum confirmari declarant; adeo ut nec revocari poſſit, nec mutari; L. *Si qua mulier.* C. *De ſacroſanctis Eccleſiis.*

ARTICULI CONSECTARIA.

Seu Regulæ praxim ſpectantes.

REGULA I.

Conjuges facto ob adulterium alterutrius divortio, continentiam ſervare tenentur, aut conjugibus adulteris reconciliari.

„„ Nam ſi eligitur continentia, ut bono nuptiarum melius aliquid capeſſatur, quanto potius cuſtodienda eſt, ut adulterium caveatur? Cum enim dixiſſet Apoſtolus: *Quod ſi ſe non continet, nubat: Melius eſt enim* (inquit) *nubere quam uri.* 1. Cor. 7.

Non dixit, melius eſt mœchari, quam uri. Non eſt igitur ad quod exhortemur eos, qui reconciliari timent conjugibus adulteris pœnitudine ſanatis, niſi ad cuſtodiendam continentiam. Quoniam mulier alligata, quamdiu ſive mœchus, ſive caſtus vir ejus vivit, mœchatur, ſi alteri nupſerit; & vir alligatus, quamdiu ſive mœcha, ſive caſta uxor ejus vivit, mœchatur, ſi alteram duxerit... Quapropter ſi receſſerit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta; & ſi dimiſerit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere, neq; poſt pœnitentiam, cuſtodiat continentiam; etſi non ex voluntate eligendi potioris boni, certe ex neceſſitate vitandi pernicioſi mali. Ad hoc exhortarer, etiamſi uxor eſſet in languore inſanabili, atque diuturno, etiamſi alicubi eſſet corpore ſeparata, quo maritus non poſſet accedere. Poſtremo ad hoc exhortarer etiamſi mulier volens vivere continenter, quamvis contra diſciplinam; quia non ex conſenſu, tamen pudicum pudica dimitteret. Puto enim Chriſtianum neminem reluctari; adulterum eſſe, qui vel diu languente, vel diu abſente vel continenter vivere cupiente ſua uxore, alteri commixtus eſt feminæ. Sic ergo & dimiſſa adultera, adulter eſt cum altera; quoniam non ille, aut ille; ſed: *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram mœchatur.* Quapropter ſi a conjugali vinculo immunis minus appetitur vita ſanctorum, exhorreatur pœna mœchorum; & timore ſaltem frænetur concupiſcentia, ſi amore non eligitur continentia. Si enim ubi eſt timor, operetur labor, ubi erat labor, erit & amor. Non enim confidendum eſt de noſtris viribus; ſed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis, qui deterret a malis „ „. Verba ſunt *S. Auguſt. lib.* 11. *De Conjugiis adulterinis*, c. 13.

Luc 16. 18.

REGULA II.

Nec filiorum gignendorum cauſa licet alteram ducere, dimiſſa adultera.

„ Non

„ Non enim propterea flagitiorum eſt permittenda licentia, aut vero tam cavendum ſine poſteris mori, quam eligendum impoſterum vivere; quod non ſinentur adulteri, quos neceſſe eſt poſt primam mortem ſecundæ mortis æternitate damnari. Nam procreandorum filiorum iſta cauſatio, etiam non adulteras, ſed caſtiſſimas feminas, ſi forte ſint ſteriles, cogit dimitti, & alteras duci; quod tibi æſtimo non placere. Quapropter ſi cauſa incontinentiæ non ſunt excuſanda adulteria, quanto minus excuſantur procreandorum cauſa filiorum „ „? (*inquit S. Auguſt. lib.* II. *De Conjugiis adulterinis, c.* II.)

REGULA III.

Crimen geminat, qui uxorem adulteram occidit, vel mortem illi procurat, ut ducere alteram poſſit.

Hanc Regulam tradit *S. Auguſtinus*, cap. 14. ejuſdem libri. Cum enim objeciſſet *Pollentius*, maritos ad puniendas adulteras ſine ulla miſeratione compelli, cum volunt eas mori, ſi eis viventibus non licet eis alteras ducere; atque ita ſententiam de indiſſolubilitate matrimonii, etiam cauſa adulterii, excludere benignitatem, & pietatem. Huic objectioni ſanctus Doctor ſic reſpondet: „ „ Quin imo propterea debent peccatricibus præbere miſericordiam, ut & ipſi pro ſuis peccatis miſericordiam conſequantur. Et multo magis hoc eis faciendum eſt, qui admiſſis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter. Tanto quippe debent eſſe miſericordiores, quanto volunt eſſe ſanctiores; ut & ad caſtitatem in ſe ipſis ſervandam divinitus adjuventur, dum caſtitatem ab uxoribus violatam nec ipſi humanitus ulciſcuntur. Et maxime vox illa Dominica eſt eis in memoriam revocanda. *Qui ſine peccato eſt, mittat in eam lapidem.* Non, qui ſine ipſo peccato eſt, quoniam loquimur de pudicis viris; ſed: *Qui ſine peccato eſt.* Quod ſi eſſe ſe dixerint, ſeipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt. Porro ſi non ſe ſeducunt, Joan. 8. 1. Jo. 1. 8.

& eſt in eis veritas, non erit in eis cruenta ſeveritas. Scientes enim ſe non eſſe ſine peccato, dimittunt, ut dimittatur eis; nec ab eis benignitas, & pietas excluditur. Magis enim hæc excluduntur, ſi peccatis conjugum ab eis impetret veniam licentia libidinis, non cura pietatis, id eſt, ut propterea parcant, quia licet eis alteras ducere, & non potius propterea quia volunt & ſibi Dominum parcere. . . . Poſtremo quæro abs te, utrum marito chriſtiano liceat, vel ſecundum veterem Dei legem, vel romanis legibus adulteram occidere? Si licet, melius eſt, ut ab utroque ſe temperet, id eſt, & a licito illa peccante ſupplicio, & ab illicito illa vivente conjugio. Quod ſi alterutrum eligere perſeverat, ſatius eſt ei facere, quod licet, ut adultera puniatur, quam id quod non licet, ut ipſa viva ille mœchetur. Si autem; quod verius dicitur, non licet homini chriſtiano adulteram conjugem occidere, ſed tantum dimittere; quis eſt tam demens, qui ei dicat: Fac, quod non licet, ut tibi liceat, quod non licet? Cum enim utrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſive adulteram occidere, ſive illa vivente alteram ducere, ab utroque abſtinendum eſt, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus eſt, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat. Quod ſi eſt utrumque nefarium, non debet alterum pro altero perpetrare, vel utrumque vitare „ „.

REGULA IV.

Nec voto ſimplici continentiæ, nec Ordinis ſacri ſuſceptione, nec profeſſione religionis a Sede apoſtolica non approbatæ, nec vita Eremitica matrimonium non conſummatum ſolvitur.

Regulæ de converſione conjugatorum.

Hæc enim mortem civilem non inferunt. Ordini enim ſacro dominium, & proprietas bonorum temporalium non repugnat, neque etiam per ſe repugnat

pugnat ipſi conjugium, ſed legibus duntaxat, & Decretis Eccleſiæ. Qui vero religionem non approbatam amplexus, atque profeſſus eſt, aut vitam eremiticam, jure, ac voluntate propria ſe non abdicavit abſque ſpe regreſſus; quamobrem mundo penitus mortuus non cenſetur.

REGULA V.

Novis conjugibus ante matrimonii conſummationem duo menſes conceduntur ad deliberandum de ingreſſu religionis, intra quod temporis intervallum is, qui ea de re deliberat, conſummare non tenetur, quantumvis altera pars urgeat.

Hæc Regula nititur cap. *Ex publico*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt. Si tamen intra illud tempus vi compreſſa fuerit uxor a marito, ille quidem lethalis peccati reus erit, qui ipſam jure ſuo frui non permiſerit, vimque illi fecerit, ut id obtineret, quod illi nondum debitum erat; ſed tamen ita conſummato matrimonio, non eſt integrum mulieri in monaſterium migrare, vitamque religioſam abſque mariti conſenſu profiteri.

Rationem affert *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 27. qu. 2. art. 3. Quæſt. 2. ad 2. „ „ Ante carnalem copulam, (*inquit*) non eſt omnino translatum corpus unius ſub poteſtate alterius, ſed ſub conditione ſi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet; ſed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem poſſeſſionem traditæ ſibi poteſtatis. Unde etiam ante carnalem copulam non ſtatim tenetur reddere debitum poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, ſed datur ei tempus duorum menſium, ut interim poſſit deliberare de tranſeundo ad religionem „ „.

REGULA VI.

Si conjugum alterum ante matrimonii conſumma tionem ingredi monaſterium, habitumque religio ſum ſuſcipere contingat, alter novum contrahe matrimonium non poteſt, niſi poſt illius profe ſionem.

Qui enim ſuperſtes eſt in ſeculo, manet obligatu ei, quæ monaſterium eſt ingreſſa, eique ad hærere tenetur, & matrimonium conſummare, ſi ipſa mutato propoſito revertatur, & debitum exi gat; ſiquidem voto duntaxat ſolemni in Ordine re ligioſo a Sede apoſtolica approbato matrimoniun ratum ſolvitur. Unde *S. Th.* loco mox indicato Quæſtiunc. 3. ad ſecundum ait: „ Non intelligitu „ mortuus ſeculo per religionis ingreſſum, niſi pro „ feſſionem emiſerit; & ideo uſque ad tempus illuc „ tenetur eum uxor ſua expectare „.

REGULA VII.

Si mulier, ſuſcepto velo, in domo propria remaneri velit, quaſi propoſitum caſtitatis in ſeculo ſerva tura; nihilominus conſummandum eſt matrimo nium jam contractum; niſi ſe voto ſolemni ad ſtrinxerit ad obſervantiam regularem, in quo caſu compelli poteſt, ut relicto ſeculo religionis pro poſitum exequatur.

Sic reſpondet *Innocentius III.* cap. *Ex parte tua*, Ext. *De Converſione Conjugatorum.*

REGULA VIII.

Conſummato matrimonio, neutri conjugum licet, abſque alterius conſenſu, monaſterium ingredi, ſeu continentiam vovere; quod ſi voverit, irritum ipſo jure votum eſt, poteſt conjux repetere con jugem, qui matrimonii jugum inconſulto excu tere voluit. Si vero ex conſenſu voverint, con tinentiam ſervare tenentur.

Ne-

Nemini enim vovere licet cum injuria alterius; neque omnino accepta Deo esse potest injusta promissio, qua nimirum offert quis rem non suam, sed quæ in alterius est potestate. Quare cum *Vir proprii corporis potestatem non habeat, sed mulier; nec mulier proprii corporis habeat potestatem, sed vir*, ut docet Apostolus 1. ad *Cor.* 7. non licet alteri continentiam vovere absque consensu alterius, & si voverit, votum ipso jure irritum est. Id confirmat *S. Augst.* Enarratione in Ps. 149. „ „ Quod plus est (*inquit*) si dicat, continere jam volo, nolo jam uxorem. Non potes. Quid si tu vis, & illa non vult? Nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alii nupserit te vivo adultera erit. Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum, etsi non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod debet exigis, sed reddis, quod debetur uxori „ „.

Id confirmat Epist. 177. alias 45. ad *Armentarium, & Paulinum*; ita scribens: „ „ Una sola causa esse posset qua te id, quod voviſti, non solum non hortaremur, verum prohiberemus implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi. Et si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum „ „.

Et Epist. 262. alias 199. ad *Ecdiciam*, quæ nondum volente marito continentiam voveret, quamvis ille postmodum ad eadem continentiæ pacta consensisset: „ „ Omitto (*inquit*) quod ipsam continentiam, illo nondum volente, non secundum sanam doctrinam te suscepisse cognovi. Neque enim corporis tui debito fraudandus fuit, priusquam ad illud bonum, quod superat pudicitiam conjugalem, tuæ voluntati voluntas quoque ejus accederet; nisi forte non legeras, nec audieras, vel non attende-

ras

1. Cor. 7. ras Apoſtolum dicentem: *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro. Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter autem & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier; nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus; ut vacetis orationi.* Secundum hæc verba apoſtolica, etiamſi ſeipſum continere voluiſſet, & tu noluiſſes; debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, ſi non ſuæ, ſed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret, quanto magis te quam magis ſubjectam eſſe decuerat, ne ipſe quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo hujuſmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat, cum tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus? .. *Et infra*. Quod Deo pari conſenſu ambo voveratis; perſeveranter uſque in finem reddere ambo debuiſtis; a quo propoſito ſi lapſus eſt ille, tu ſaltem conſtantiſſime perſevera. Quod te non exhortaret, niſi quia tibi ad hoc ipſe conſenſerat. Nam ſi nunquam tenuiſſes ejus aſſenſum, numerus te nullus defendiſſet annorum, ſed poſt quantumlibet tempus me conſuliſſes, nihil tibi aliud reſponderem, niſi quod ait Apoſtolus: *Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir* „„.

Id confirmat *S. Paulinus* in Epiſt. ad *Celantiam* matronam: „„ Tu vero (*inquit*) quaſi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus, ac juris immemor, inconſulto viro voviſti Domino caſtitatem; ſed periculoſe promittitur, quod adhuc in alterius poteſtate eſt; & neſcio, quam ſit grata donatio, ſi unus offerat rem duorum. Multa jam per hujuſmodi ignorantiam & audivimus, & vidimus ſciſſa conjugia; quodque recordari piget, occaſione caſtitatis adulterium perpetratum; nam dum una pars ſe etiam ab illicitis abſtinet, altera ad illicita delapſa eſt „„.

Idem docent *S. Fulgentius* Ep. 1. c. 7. & *S. Greg.* Epiſt. 49. lib. 5. Epiſt. 39. & 44. lib. 9. ex quibus con-

contexti ſunt Canon, *Sunt, qui dicunt*, & Canon, *Agathoſa*, cauſa 27. q. 2.

Verum ſi quis conjugum, altero conſentiente, vitam monaſticam profeſſus fuerit, aut perpetuam continentiam voverit, poſt illius mortem novum matrimonium contrahere non poteſt; & ſi votis in ordine approbato nuncupatis contraxerit, abſque dubitatione dirimendum eſt, ex cap. *Conſuluit*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, quod eſt *Clemens. III.* reſponſum.

REGULA IX.

Si conjuges a debito conjugali ſe mutuo abſolverint, omnique juri, quod in alterutrum habebant, renuntiaverint, promiſſa continentia, & uterque, vel alteruter ſolemne votum emiſerit, alter alterum repetere, & ad conjugale conſortium revocare non poteſt.

Sic reſpondet *Greg. IX.* cap. *Dudum*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*.

REGULA X.

Uxor adulterio polluta, maritum, monaſterium abſque illius conſenſu ingreſſum, & ſolemni voto obſtrictum, revocare non poteſt.

Sic reſpondet *Innocentius III.* cap. *Conſtitutus*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*.

REGULA XI.

Mulier, quæ dolo, & minis inducta eſt, ut marito liberum commeatum in monaſterium concederet, ipſum repetere non poteſt, ſi poſt ejus ingreſſum inhoneſtos amatores admiſerit.

Hanc Regulam tradit idem Pontifex cap. *Veniens*, ſub eodem Titulo.

RE-

REGULA XII.

Si conjugum alter a Fide catholica defecerit ad Mahometanos, Judæos, vel etiam hæreticos, & propterea ſententia divortii inter eos lata ſit ab Eccleſia, pars, quæ in fide perſeveraverit, ad vitæ monaſticæ profeſſionem libere convolare poteſt; altera nolente, etiamſi ab infidelitate revertatur.

Id conſtat ex c. *Mulier*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, quod *Innoc. III.* reſponſum eſt.

REGULA XIII.

Conjux, quæ continentiam vovit, cohabitare debet viro, qui ejus voto ad tempus conſenſit, nec perpetuam vovit continentiam; ſeque invicem debent maritali affectione tractare.

Reſponſum eſt *Cœleſtini III.* cap. *Chariſſimus*, Extra. *De Converſione Conjugatorum.* Imo etſi perpetuam continentiam voverit conſentiente marito, nec tamen ſimiliter vovente, debitum illi petenti reddere tenetur, quamvis exigere ipſa non poſſit. Alterius enim voto conſentiens juri ſuo non renuntiavit, niſi votum pariter emiſerit.

REGULA XIV.

Mulier quæ maritum mortuum credens, habitum religionis aſſumpſit, & profeſſionem emiſit, viroque reverſo de monaſterio educta, ac ipſi reſtituta eſt, debitum ipſi reddere tenetur, exigere non poteſt; mortuo vero marito, conſilium illi dandum eſt ad ſalutem congruentius, ut ad monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem fecit, ſed tamen ad id minime compellenda eſt.

Cum enim abſque viri conſenſu monaſterium ingreſſa ſit, ac vota ſolemnia emiſerit, vota uſquequaque rata non fuerunt. Sic reſpondet *Cœleſtinus III.* c. *Placuit*, Ext. *De Converſione Conjugatorum.* Idem

ante

inte reſponderat *Alexander III.* c. *Quidam*, ſub eodem titulo, virum ſcilicet, qui monaſterium invita uxore ingreſſus fuerat, qua ipſum repetente, ad conjugalem thorum redire coactus fuerat, poſt ejus obitum compelli non poſſe ratione voti, quod nullum fuit, ac irritum, ut ad monaſterium redeat; prohibendum tamen eſſe, ne ſecundam uxorem accipiat: „ „ Promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit; non reddere autem, non erat in ejus, ſed mulieris poteſtate. Unde Apoſtolus: *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier* „ „.

REGULA XV.

Alter conjugum, altero in ſeculo remanente, ad regularis vitæ profeſſionem non eſt recipiendus; niſi forte remanens ſit ejus ætatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſeculo remanere, aut perpetuam continentiam vovere voluerit; alioqui ad conjugalem thorum revocandus eſt, quamvis cum licentia conſortis monaſterium ingreſſus fuerit, & profeſſionem fecerit.

Hæc Regula ſummorum Pontificum Decretis, ac reſponſis firmata eſt, ſcilicet *Alexandri III.* c. *Præterea*, & c. *Cum ſis*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, & *Innocentii III.* cap. *ad Apoſtolicam*, & cap. *Significavit*, ſub eodem titulo.

REGULA XVI.

Matrimonium legitime contractum, ratumque, etſi non conſummatum, romanus Pontifex dirimere non poteſt.

Utrum romanus Pontifex matrimonium ratum dirimere poſſit.

Divino enim jure eſt indiſſolubile, præterquam in cauſa fidei, cum infidelium conjugum alter convertitur ad Religionem chriſtianam, alter vero ipſi cohabitare non vult ſine contumelia Creatoris, quo caſu & conſummatum diſſolvitur; & in cauſa mortis civilis, ac ſpiritualis, ſcilicet Profeſſionis mo-

naſticæ. Matrimonium quippe ratum verum eſt novæ Legis Sacramentum, eoque nomine diſſolutioni incapax; niſi divino pariter jure magis univerſali diſſolvatur. Summus autem Pontifex in iis, quæ divino jure ſunt conſtituta diſpenſare non poteſt; quamvis in iis omnibus, quæ juris ſunt eccleſiaſtici duntaxat, juſtis de cauſis diſpenſare poſſit. Opinio quidem eſt juriſconſultorum plurimorum, ſcilicet Joannis Andreæ, Panormitani, Hoſtienſis, aliorumque, quos ſequitur Cardinalis *Cajetanus*, ſummum Pontificem matrimonia rata dirimere poſſe, ita ut uterque conjux apoſtolica diſpenſatione fretus ad alias Nuptias convolare poſſit; ſed Theologi repugnant reliqui. *Martinum V.* & *Eugenium IV.* diſpenſationes conceſſiſſe, ut matrimonium ratum diſſolveretur, legitimeque conjunctis conjugibus ante copulam, ad alia vota tranſire liceret, *S. Antoninus* refert 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. Qui Pontifices *Non ſunt* quidem *condemnandi, ſed nec conſulendum eſt alicui, ut procuret talem diſſolutionem, ſive diſpenſationem, cum Theologi videantur tenere, quod non poſſit* diſſolvi niſi per ingreſſum religionis; (inquit idem S. Archiep.) *Dominicus Soto* in 4. *Sentent.* diſt. 27. hoc ipſum argumentum tractans, q. 1. art. 1. ait: „ „ Auctoritas Martini, & Eugenii, ſi ita verum eſt, quod ſimilem diſpenſationem fecerunt, nullatenus tanquam Eccleſiæ determinatio movet; quia factum Pontificum non facit fidei articulum, ſed opinionem Canoniſtarum ſunt ſecuti. Et tamen alii Pontifices non leguntur talem feciſſe diſpenſationem, cum tamen credibile ſit, crebrime oblatos fuiſſe diſpenſandi caſus. Imo Adrianus VI. vir tum utriuſque juris peritiſſimus, tum & rei Theologicæ non infime doctus, cum ab illo hujuſmodi diſpenſatio fuiſſet poſtulata; oblataque fautrix ſententia Cajetani, demiratus eſt, virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe; & ideo improbis precibus ſuccumbens reſpondit, ſe dare, quod poſſet, ſed tamen credere, nihil poſſe „ „.

A. R.

ARTICULUS VII.

De Bonis Matrimonii.

Tria matrimonii bona Theologi numerant poſt *S. Auguſt.* lib. 9. *De Geneſi ad literam*, cap. 7. lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 10. 11. 17. & 21. lib. 1. *Contra Julianum*, cap. 12. lib. *De Bono Conjugali*, cap. 24. & alibi, ſcilicet *Prolem*, *Fidem*, *Sacramentum*. Quibus excuſari dicitur matrimonium, quia eorum compenſatione excuſantur, aut mitigantur ea mala, quæ illi adhærent. Præſtant enim illa bona, ut & libido carnis ſine culpa ſit, & incontinentia conjugum venialis, & incommoda facilius tolerentur, quæ Apoſtolus indicavit his verbis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Primum bonum eſt proles, id eſt, liberi ex legitima conjuge ſuſcipiendi. Quod bonum ita commendat Apoſt. 1. ad Tim. 2. *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Quod non ſolum de illorum procreatione, ſed vel maxime de educatione, & religioſa, ac pia inſtitutione intelligendum eſt. Alterum bonum eſt fides; non illa, quæ theologica virtus eſt, qua myſteria religionis creduntur, ſed ea, quæ conjugalis vocatur, qua fit, ut conjuges ſancte, & fideliter uſque in finem ſervent pactum conjugale, quo mutuam ſibi ſuorum corporum poteſtatem fecerunt, neque cum aliis commiſceri unquam velint; & ut vir, & uxor ſingulari quodam, ſanctoque, & puro amore conjuncti ſint, neque ut adulteri invicem ſe ament, ſed *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*, (ut Apoſtolus monet) quam certe immenſa illa charitate, non ſui commodi gratia, ſed Sponſæ tantum utilitatem ſibi proponens, complexus eſt. Tertium bonum eſt Sacramentum, quo Deus indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem ſignificat, & indiſſolubilem pariter conjugum conjunctionem efficit. „„ In fide (*inquit S. Auguſt. lib. 9. De Geneſi ad literam, cap. 7.*) attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur,

Triplex matrimonii bonum, Fides, proles, Sacramentum.

1. ad Cor. 7.

benigne nutriatur, religioſe educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus, aut dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas „„.

Triplex bonum in prole.

In prole triplex bonum habent conjuges: Primo enim pariunt Deo ſervos fideles, qui eum reverentur, & colunt. Unde *S. Ambroſius* lib. 2. in Lucam: *Conjugii præmium* (inquit) *& gratia nuptiarum, partus eſt feminarum.* Secundo, quia patriæ pariunt cives, qui eam repleant; non tantum terrenæ patriæ; ſed magis ei, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, quæ eſt mater noſtra, ut Electorum numerus impleatur, & Angelorum ruinæ reſarciantur. Tertio, quia ſibi pariunt hæredes, ſecundum naturale parentum deſiderium, nominis, familiæque ſuæ conſervandæ. Eccleſ. 30. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo; in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.*

Triplex bonum in Fide conjugali. S. Hieron. in cap. 5. Epiſt. ad Epheſios.

Fidei conjugalis bonum ſimiliter triplex eſt: animæ ſcilicet, corporis, & honeſtatis. Animæ bonum eſt ob fornicationis fugam. Hinc Can. *Sicut*, qui ex *S. Hieronymi* verbis contextus eſt, cauſa 32. qu. 2. dicitur: „„ Sicut non omnis congregatio hæreticorum Chriſti Eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus; ſic non omne matrimonium, quo non viro ſuo ſecundum præcepta Chriſti uxor jungitur, rite conjugium appellari poteſt, ſed magis adulterium „„. Et Can. *Quidquid*, ex *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. „„ Debent ſibi conjugati non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem, liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem; ut etſi alteri

teri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit „„. *Et lib. 9. De Geneſi ad literam*, cap. 7. „„ Motum (*inquit*) legis illius, quæ repugnat legi mentis, in membris conceptæ mortis, nuptiæ ordinant, continentia cohibet, & retrænat, ut quemadmodum de peccato factum eſt ſupplicium, ſic de ſupplicio fiat meritum „„. Fidei bonum etiam corporis conjunctum eſt, ob mutuum officium, & adjumentum, quod ſibi præſtant conjuges in vitæ ſocietate, & rei familiaris adminiſtratione. Unde Eccleſiaſtici cap. 26. dicitur: *Mulieris bonæ beatus vir; numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Bonum denique honeſtatis in fide conjugali invenitur, quia nuptiis fit honeſtum, quod alias turpe eſſet.

Sacramenti bonum in tribus pariter poſitum eſt. Conjunctio namque animorum ſignificat conjunctionem animæ cum Deo. *Qui enim adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* 2. Conjunctio corporum, ſignificat conjunctionem carnis cum verbo Deo. 3 Unus vir, & unica uxor, ſignificant unicum Sponſum Chriſtum unius Sponſæ Eccleſiæ. Bonum Sacramenti in tribus poſitum. 1. Cor. 6.

Duo priora bona in omni conjugio non reperiuntur; nam proles non eſt, ubi uterque, vel alter conjux ſterilis eſt, aut ubi continentiam ex mutuo conſenſu ambo ſervant; vel ubi *Libidinis cauſa propagationi prolis obſiſtitur, ſive voto malo, ſive opere malo.* Verum nihilominus conjugium eſt, quamvis officio, affectu, & intentione conjuges non ſint, qui ita ſe gerunt; quod unum ſignificant illa *S. Auguſt.* verba lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, c. 15. „ Qui hoc faciunt, quamvis vocentur conjuges, non „ ſunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, ſed „ honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt „. Tandem, qui prolem ex conjugio ſuſceptam, non, ut oportet, inſtituunt, bonum quidem prolis habent, non tamen bene habent, cum totis viribus, ac

ac ſtudiis non dant operam, ut Chriſto regenerata in fide, & pietate proficiat, ac permaneat. Monet enim Scriptura Eccl. 7. 25. *Filii tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos a puritia illorum.*

Hinc *S. Auguſt.* lib. *de Bono Viduitatis*, c. 14. *Julianum* ita alloquitur: „ „ Tibi ſunt & filii, quos forte Anna non habuit; nec ideo laudanda es, quia eos habes, ſed quia pie nutrire, atque educare ſtudes. Ut enim tibi naſcerentur, fœcunditatis; ut vivant, felicitatis eſt; ut autem ſic inſtituantur, voluntatis, & poteſtatis. In illis tibi homines gratulentur, in hoc te imitentur „ „.

Fides quoque conjugio deeſt, quoties vel adulterium committitur, vel debitum conjugale denegatur. Nam alia quæcunque peccata, ut furta, perjuria, latrocinia, hæreſes, &c. licet ejuſmodi ſint, ut animam ſpiritualis adulterii, quo a Deo fornicatur, ream faciant; fidei tamen conjugali non adverſantur, ut nec aliæ conjugum adverſus ſe invicem injuriæ. „ „ In eo ipſo (*inquit S. Auguſt. lib. De Bono Conjugali*, cap. 4.) quod ſibi invicem conjuges debitum ſolvunt, etiamſi id aliquanto intemperantius, & incontinentius expectant, fidem tamen ſibi pariter debent. Cui fidei tantum juris tribuit Apoſtolus, ut eam poteſtatem appellaret, dicens: *Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter autem & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier.* Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis inſtinctu, vel alienæ conſenſu, cum altero, vel altera contra pactum conjugale concumbitur; atque ita frangitur fides; quæ in rebus etiam corporeis, & abjectis magnum animi bonum eſt; & ideo eam ſaluti quoque corporali, qua etiam vita noſtra iſta continetur, certum eſt, debere præponi „ „.

Tertium vero bonum, quod eſt Sacramentum, & Sacramenti ratione conveniens matrimonio indiſſolubilitas, in omni Chriſtianorum matrimonio repetitur, etiamſi violata fide conjugali, vel alias ob cau-

cauſas, conjuges ſeparentur. *Manet* enim ſemper inter illos, quamdiu vivunt, *aliquid conjugale, ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis*; ſicut in Apoſtatæ anima velut de conjugio Chriſti recedente, etiam fide perdita, manet *Sacramentum Fidei, quod lavacro generationis accepit*, (ut ex *S. Auguſtino* jam obſervavimus.) S. Auguſt. lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcentia, cap. 10.

CAPUT II.

De cauſa efficiente matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conſenſu Contrahentium.

PROPOSITIO PRIMA.

Mutuus contrahentium conſenſus per verba de præſenti expreſſus, eſt cauſa efficiens matrimonii.

Id conſtat ex Can. *Sufficit*, qui eſt *Nicolai I.* ad Conſulta Bulgarorum reſpondentis: „ „ Sufficit ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur; qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur „ „. Legitimus contrahentium conſenſus matrimonium efficit.

Idem confirmat *Innoc. III.* Cap. *Cum apud Sedem apoſtolicam*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Conſuluiſti nos, utrum mutus, & ſurdus alicui poſſint matrimonialiter copulari; ad quod reſpondemus, quod cum prohibitorium ſit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur, videtur, quod ſi talis velit contrahere, ſibi non poſſit, vel debeat negari; cum, quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare „ „.

Et cap. *Tuæ fraternitati*, Brixienſi Epiſcopo hunc in modum reſpondet: „ „ Matrimonium in veritate

contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum; ſed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti. Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matrimoniũm per conſenſum mutuum ſine verbis; & pueri ante annos legitimos per verba ſola non contrahunt, cum intelligantur minime conſentire „„.

Idem Pontifex interrogatus, quid juris eſſet in cauſa matrimoniali viri cujuſdam, qui mulierem in propria quidem perſona deſponſaverat, ſed alienum nomen mentitus, dicendo nimirum: *Joannes te in uxorem accipit*, cum Joannes ipſe non vocaretur, ſed Petrus, & poſtea cum ipſa copulam carnalem exercuerat, nec tamen propoſitum ullum habuerat ipſam ducendi in uxorem; aut ullatenus conſenſerat in conjugale fœdus; reſpondet: „„ Quod ſi ita res ſe habuerit; videlicet, quod ille eam non propoſuit ducere in uxorem, nec unquam conſenſit in prædictam perſonam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec ſubſtantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat interveniri; quoniam ex altera parte dolus ſolummodo adfuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale „„. (Cap. *Tua nos*, Ext *De Sponſalibus; & matrimonio.*)

Id etiam confirmat *Eugenius IV.* in Decreto pro inſtructione Armenorum poſt Concilium Florentinum edito, aſſerens, mutuum conſenſum per verba de præſenti eſſe cauſam efficientem matrimonii, *Regulariter.* Quo adverbio uſus eſt propter Sponſalia conſenſum per verba de futuro exprimentia, quæ, jure veteri, uſque ad Concilii Trid. promulgationem, vigente, accedente copula, in matrimonium tranſibant; Sed Tridentina Synodus ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii* cap. 1. jus illud antiquum abrogavit, ita decernens; „„ Qui aliter quam præſente parocho, vel alio Sacerdote de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attendabunt, eos ſancta Synodus ad ſic con-

contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat „.

Denique quod eſt unius, in alterius poteſtatem legitime non tranſit, niſi vel auctoritate legis, vel conſenſus domini: in matrimonio autem conjugibus mutuo traditur corporum ſuorum poteſtas: *Mulier* enim *non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier* (inquit Apoſt. 1. ad *Cor.* 7. 4.) Idque non fit lege aliqua; fieri ergo non poteſt niſi mutuo conſenſu, eoque libero, & legitimo, ſeu legitimarum ad contrahendum inter ſe perſonarum.

„ Sed illud maxime neceſſarium eſt, ut conſen-
„ ſus verbis, quæ præſens tempus ſignificent, ex-
„ primatur; (inquit Conc. Tridentini Catechiſmus)
„ Neque enim matrimonium eſt ſimplex donatio, ſed
„ mutua pactio; atque ita fit, ut conſenſus alterius
„ tantum ad matrimonium conjungendum ſatis eſſe
„ non poſſit; ſed duorum inter ſe mutuum eſſe opor-
„ teat; atqui ad declarandum mutuum animi con-
„ ſenſum, verbis opus eſſe perſpicuum eſt. Si enim
„ ex interiori tantum conſenſu ſine aliqua externa
„ ſignificatione matrimonium conſtare poſſet, illud
„ etiam ſequi videretur, ut cum duo, qui disjun-
„ ctiſſimis, & maxime diverſis in locis eſſent, ad
„ nuptias conſentirent, antequam alter alteri volun-
„ tatem ſuam vel literis, vel nunciis declaraſſet, veri,
„ & ſtabilis matrimonii lege conjungerentur; quod
„ tamen a ratione, & ſanctæ Eccleſiæ conſuetudine,
„ & Decretis alienum eſt.

„ Recte autem dicitur, oportere ut conſenſus ver-
„ bis exprimatur, quæ præſentis temporis ſignifica-
„ tionem habeant; nam quæ futurum tempus indi-
„ cant, matrimonium non conjungunt, ſed ſpon-
„ dent. Deinde quæ futura ſunt, nondum eſſe per-
„ ſpicuum eſt; quæ vero non ſunt, parum, aut ni-
„ hil firmi, & ſtabilis habere, exiſtimandum eſt.
„ Quare nondum connubii jus in eam mulierem quæ

„ quam habet, quam ſe in matrimonium ducturum, „ eſſe pollicetur; neque ſtatim ab eo impletum eſt, „ quod ſe facturum promiſit; tametſi fidem præſtare „ debet; quod ſi non faciat, violatæ fidei reus eſſe „ convincitur. At vero, qui matrimonii fœdere alteri jungitur; quamvis poſtea pœniteat, tamen, „ quod factum eſt, mutare, irritumve, & infectum „ reddere non poteſt. Cum itaque conjugii obligatio nuda promiſſio non ſit; ſed hujuſmodi abalienatio, qua re ipſa vir mulieri, & viciſſim mulier „ viro corporis ſui poteſtatem tradit; idcirco neceſſe „ eſt, verbis, quæ præſens tempus deſignant, matrimonium contrahi; quoniam verborum vis, poſtquam etiam enuntiata ſunt, permanet, virumque, „ & uxorem indiſſolubili vinculo conſtrictos tenet.

„ Sed verborum loco tum nutus, & ſigna, quæ „ intimum conſenſum aperte indicent, ſatis ad matrimonium eſſe poſſunt; tum ipſa etiam tacitur„ nitas, cum puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur.

ARTICULI CONSECTARIA.

SEU REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Conſenſus fictus per verba de præſenti expreſſus, ad matrimonium non ſufficit, ſi deſit conſenſus interior.

De conſenſu ficto, ſive ſimulato.

Sine conſenſu enim interiori nullum, & irritum matrimonium eſt, ut diſerte reſpondet *Innoc. III.* c. *Tua nos*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus verba ſupra retulimus. Idque confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 27. q. 1. art. 2. qu. 4. „ „ Sicut (*inquit*) ſe habet ablutio exterior ad baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum. Unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, ſed ludum, & dolum facere, non eſſet baptizatus; ita,

ex-

expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit „ „.

Verum (inquies) fraus, & dolus nemini debent patrocinari ut habet cap. *Si vir*, Ext. *De Cognatione ſpirituali*; At qui verbis conſenſum exprimit, abſque interiori conſenſu dolum committit; non ergo abſolvitur propterea ab obligatione matrimonii.

Reſpondet *S. Thom.* Ea in ſpecie duo eſſe diſtinguenda. „ „ Primum eſt defectus conſenſus, qui ei patrocinatur in foro conſcientiæ, ut non adſtringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Eccleſiæ, in quo judicatur ſecundum allegata, & *probata*; Secundum eſt dolus verborum; & hic non patrocinatur nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ; quia in utroque pro hoc punitur „ „.

REGULA II.

Qui ficte, ac ſimulate matrimonium cum aliqua contraxit, eam ducere tenetur. Hanc tamen Regulam certis exceptionibus Theologi merito temperant.

Qui ficte matrimonium cum aliqua femina contraxit, eam ducere tenetur.

Si enim is, qui in facie Eccleſiæ ſimulando conſenſum, verbiſque exprimens, quod in animo non habebat, mulieri illuſit, eam ducere non teneretur uxorem, dolus illi ſuus patrocinaretur tum in foro conſcientiæ, tum in foro Eccleſiæ; patrocinari autem illi non debere docet *S. Thomas*, loco mox indicato. Deinde cum fictionem alterius probare non poſſet pars decepta, matrimonium alterum inire non permitteretur, & quamvis alterius matrimonii ineundi daretur illi facultas, tamen ob famam tali divortio graviter læſam, non facile conjugem inveniret.

Exceptiones.

Exceptiones tamen aliquas hæc Regula patitur, omnium Theologorum judicio; certique ſunt caſus, quibus eam ducere non tenetur ſimulator.

Primo, ſi duxerit alteram legitimo conſenſu adhibito; quo tamen caſu ad compenſandam injuriam *priori illatam*, prudentum arbitrio teneretur. Sed ca-

casus ille vix occurreret. Ecclesia enim ipsum compelleret ad manendum cum prima uxore, ut colligitur ex cap. *Ex parte*, Ext. *De Sponsalibus*, & c. *Licet*, Ext. *De Sponsa duorum*. Nam „ „ Judicat Ecclesia secundum ea, quæ foris apparent; sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quam ad primam uxorem accedat; vel debet in alias regiones remotas fugere „ „, ut respondet *S. Thomas* loco supra laudato, ad tertium.

Secundo, non tenetur eam ducere simulator, si maxima sit conditionis disparitas, vel evidentia signa ficti consensus præbuerit. Tunc enim judicari potest mulierem vere deceptam non fuisse, aut verbis viri non credidisse, vel certe non debuisse credere.

Tertio, si mulier, quæ videtur decepta, se virginem simulaverit, quæ non esset.

Quarto, si gravia mala, capitales inimicitiæ, ac dissidia, cædes, &c. ex hujusmodi matrimonio merito timentur. Quo casu pecuniaria compensatio sufficiet.

REGULA III.

Qui post matrimonium ficte contractum cum una, secundum sincere contraxit cum altera, non tenetur, nec potest tuta conscientia redire ad priorem, etiamsi judicis ecclesiastici sententia, censuriisque compellatur.

De Matrimonio ficte contracto.

Hæc Regula nititur *Innocentii III.* responso, cap. *Inquisitioni*, Ext. *De Sententia excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: „ Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam „ per carnale commercium peccatum operari mortale „. Peccatum autem mortale committeret, dimittendo illam, cum qua legitime contraxit, ut rediret ad priorem, quæ vere conjux non est, defectu consensus; nec esse potest, consensu in matrimonio cum altera præstito per verba de præsenti.

RE-

REGULA IV.

Proles ex matrimonio ficte contracto ſuſcepta, antequam fictio alteri conjugi innoteſcat, vel probetur, legitima cenſenda, ac judicanda eſt.

Filii namque geniti ex matrimonio bona fide ſaltem alterius parentis inito in facie Eccleſiæ, legitimi cenſentur, modo concepti ſint ante divortium judicis eccleſiaſtici ſententia decretum; quicunque defectus, ſeu quodcunque impedimentum occultum, vel uni duntaxat conjugum notum, interceſſerit. Id conſtat ex cap. *Cum inter*, & cap. *Perlatum*, quæ ſunt *Alexandri III.* reſponſa, Ext. *Qui filii ſint legitimi*: Ex cap. *Pervenit*, quod eſt *Cœleſtini III.* & cap. *Ex tenore*, quod eſt *Innocentii III.* ſub eodem titulo, cujus hæc ſunt verba: „ „ Intelligentes quod pater prædicti R. matrem ipſius in facie Eccleſiæ ignaram, quod ipſe aliam ſibi matrimonialiter copulaſſet, duxerit in uxorem, & dum ipſa conjux ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſceperit ex eadem, in favorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes „ „. Id confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 41. q. 1. art. 3. Quæſt. 1. ad 2. „ „ Ignorantia (*inquit*) excuſat illicitum coitum a peccato, niſi ſit affectata; unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis ſit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii ſunt illegitimi „ „.

REGULA V.

Cum unus conjugum affirmat ſibi defuiſſe conſenſum, non ſtatim licet alteri novum conjugium inire.

Sicut enim Eccleſia non ſtatim credit id aſſerenti, nec probanti; ita nec ille credere tenetur, ſed jure ſuo uti poteſt, utpote bonæ fidei poſſeſſor, & exiſtimare, quod nunc forte mentiatur, quæ prius aſſerit ſe fuiſſe in facie Eccleſiæ mentitam. Nam (ut ait *Innoc. III.* cap. *Per tuas*, Ext. De Probationibus: „ „ Ni- De matrimonio ficte contracto.

„„ Nimis indignum eſt (juxta legitimas Sanctiones) ut quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare „„.

Idem confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 27. qu. 1. art. 2. quæſt. 4. ad 2. „„ Si (*inquit*) deſit conſenſus mentalis ex parte unius, ex neutra parte eſt matrimonium; quia matrimonium conſiſtit in mutua conjunctione; tamen probabiliter poteſt credi dolus non eſſe, niſi ſigna evidentia doli appareant, quia de quolibet eſt præſumendum bonum, niſi probetur contrarium. Unde ille, ex cujus parte dolus non eſt, a peccato excuſatur per ignorantiam „„.

REGULA VI.

Conſenſus ex metu gravi, & in virum conſtantem cadente, ad matrimonii firmitatem non ſufficit; ſed ita contractum, nullum, & irritum eſt.

De conſenſu ex metu gravi.

Hæc Regula traditur ab *Alexandro III. Cum locum*, Ext. *De Sponſalibus, Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „„ Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ibi aſſenſus cujuſdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur; & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puella, de cujus matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oportet, facias honeſte teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſine contradictione cujuſquam valeat executioni mandari „„.

Et cap. *Veniens*, de quodam, qui fidem mulieribus duabus obſtrinxerat, uni per verba de futuro, copula ſubſequente, ex qua proles ſuſcepta fuerat; alteri per verba de præſenti, coactus a patre puellæ, qui

qui simul eos in uno lecto invenerat; sic respondet: „„ Mandamus, quatenus si inveneris, quod primam post fidem præstitam, cognoverit, ipsum cum ea facias remanere; alioqui secundæ (nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhærere facias ut uxori „„.

Idem confirmat *Innoc. III.* cap. *Consultationi*, sub eodem tit. „„ Mulieres, *inquit*, quæ veniunt ad valvas Ecclesiæ benedicendæ cum Sponsis, & ibi reclamantes affirmant, se nunquam in eorum matrimonium consensisse, audiri (Sponsis legitime probantibus contrarium) non oportet; cum legitimis, & idoneis testibus non debeat illarum simplex assertio prævalere. Sane illis, quæ benedictione accepta, mox a Sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, asserentes se nunquam in illos veraciter consensisse; sed metu illato compulsas verba protulisse consensus, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda; sed de illato metu est cum diligentia inquirendum; & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immerito audiendæ „„.

Idem rursus confirmat *Alexander III.* cap. *Significavit*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sentent.* dist. 29. qu 2. art 3. quæst. 1. „„ Vinculum, *inquit*, matrimonii perpetuum est; unde illud, quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium; metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit; quia potest peti restitutio in integrum; & ideo talis coactio metus, qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia. Quidam autem dicunt, quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiæ, quæ præsumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum; sed hoc nihil est, quia Ecclesia non debet de aliquo præsumere peccatum, quousque probetur;

pec-

peccavit autem, ſi dixit ſe conſentire, & non conſenſit. Unde Eccleſia præſumit eam conſenſiſſe; ſed judicat illum conſenſum extortum non eſſe ſufficientem ad faciendum matrimonium „ „.

Quis metus cadens in virum conſtantem.

Metus porro cadens in virum conſtantem is dicitur, quo ad evadendum majus malum, quod veriſimiliter imminet, cogitur aliquis amplecti minus malum; velut ſi timore mortis, mutilationis, acerbi cruciatus, ſervitutis, carceris, exilii, infamiæ, quæ averti, vel comprimi non poſſit, cogatur conſenſum præbere matrimonio cum illa, quam alioqui ducere nollet. Nam illa ſano judicio æſtimantur graviora mala, quam uxorem habere, quæ alioqui diſplicet. Si quis autem metu infamiæ, quæ facile aboleri, aut repelli poteſt, vel metu amittendi nummos, vel ne excidat gratia domini ſui, vel e familia dimittatur, uxorem ducat, levis, & inconſtantis hominis eſt ille metus; quemadmodum & ſi quis mortem quidem, & tormenta metuat, ſed quæ veriſimiliter non inferentur. Doctrina eſt *S. Thomæ* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 2.

Cum autem metum gravis mali probabiliter imminentis irritum facere matrimonium dicimus, non eſt neceſſe, ut perſonæ, quæ ad contrahendum cogitur, ſed ſufficit, ut illius patri, vel matri, filiis, fratribus, ſororibus, nepotibus, aliiſque conſanguineis, vel affinibus, domeſticis etiam, vel intimis amicis metuatur.

REGULA VII.

Conſenſus ex metu, quo vir conſtans affici, concutique poſſit, juſte illato, ſufficit ad matrimonii firmitatem.

De conſenſu ex metu gravi, ſed juſte illato.

Cum enim metus juſte incutitur, conſenſus per injuriam non extorquetur, nec invitus appellari merito poteſt, qui cogitur ipſo jure, cui ſi parere recuſaverit, injuſtus, & iniquus eſt. Unde ille ſibi potius incutit metum, quam ab alio patiatur in-

incuſſum. Hinc Eccleſia ſæpe ſub graviſſimis pœnis compellit eos, qui a Sponſalibus abſque legitima cauſa reſilire volunt, ut matrimonium contrahant. Quamobrem ſi quis juſte detruſus in carcerem eſt, ut contrahat matrimonium data fide promiſſum; vel, ſi judex mortem, damnationem ad triremes, aut exilium juſte comminetur, ut eam, quam conſtupravit, ducat uxorem, matrimonium ex tali metu contractum validum, ac ratum eſt. Sola enim vis atrox, & ea, quæ adverſus bonos mores ſtat, contractus irritos facit: *Non ea, quam magiſtratus intulit, ſcilicet jure licito, & jure honoris, quem ſuſtinet*, ut habetur L. *Continet*, in Digeſtis, Tit. *De eo, quod metus cauſa fit.* Idque confirmat cap. *Pervenit*, Ext. *De Adulteriis, & Stupro*, quod ex *S. Gregorii magni* Ep. ad Sipontinum Epiſcopum 42. lib. 2. ſumptum eſt: „ „ Pervenit ad nos, quod felix quamdam Virginem ſtupro decepit; quod ſi verum eſt, quamvis eſſet de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiam mollientes, hoc modo diſponimus; ut, aut quam ſtupravit, uxorem habeat; aut ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque, in monaſterium, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine noſtra perceptione licentia „ „.

Ratum pariter matrimonium eſt, ſi quis ad mortem juſte damnatus, & ab aliqua poſtulatus in conjugem, cum illa contrahit, ut mortem evadat. In hoc namque caſu metus non eſt proprie cauſa matrimonii, imo potius matrimonium metu liberat hominem, quo juſte perculſus fuerat a lege potius quam a judice, ſecundum verba Canonis, *Si homicidium*, cauſa 23. qu. 5. *Cum homo juſte occiditur, lex eum occidit, non tu.*

REGULA VIII.

Metus a cauſa naturali, vel interna proveniens irritum non facit Matrimonium.

De metu a causa interna proveniente.

Neque enim consensus tali metu expressus obstat libertati electionis, neque Ecclesia contractum ex eo factum declarat irritum. Si quis igitur metu damnationis æternæ, vel mortis ex morbo, aut naufragio, imminentis ducat uxorem; quam alias non duceret, ratum matrimonium est. Si medicus ægro minetur se ipsum derelicturum, nisi filiæ suæ nubat, quamvis ita illi necessaria sit talis medici opera, ut sine ea nulla ipsi superstit spes sanitatis, matrimonium ex hujusmodi metu contractum validum, ac ratum est. Non enim medicus proprie auctor metus est, quo impulsus æger matrimonio consentit, sed morbus gravis, ac periculosus, quo laborat. Nec mirum, quod matrimonium ex tali metu contractum Ecclesia ratum habeat, cum & religiosam Professionem approbet, ad quam aliquis metu mortis ex gravi ægritudine imminentis inductus est, ut constat ex cap. *Sicut nobis*, Ext. *De Regularibus*.

REGULA IX.

Metus injuste incussus irritum non facit Matrimonium ex eo contractum, si ad extorquendum consensum in Matrimonium illatus non sit.

De metu ad Matrimonium extorquendum non illato.

Tunc enim sponte matrimonium eligitur ad periculum, vel damnum evadendum. Quamobrem si parentes, vel consanguinei puellæ hominem cum ea in stupro interficere velint; ipse autem sponte offerat matrimonium ad injuriæ compensationem, ut eorum placet animos, ratum est matrimonium ex tali metu contractum, quia ipsi mortem inferre volebant in ultionem injuriæ, & dedecoris familiæ suæ illati, non ad extorquendum consensum in matrimonium, quod alias judex juste decerneret. Si vero mortem stupratori minarentur, nisi puellam statim duceret, ipsamque verisimiliter essent illaturi, aut si ipsum mutilare vellent, vel gravi damno, aut incommodo afficere, irritum esset matrimonium, quia talis metus injuste incutitur, cum parentes jus non ha-

habeant occidendi, vel mutilandi ſtupratorem filiæ ſuæ, ſed ſolum in judicium vocandi; & ad conſenſum extorquendum hujuſmodi metus infertur. Ratum etiam eſſet matrimonium, ſi quis obſeſſus in aliqua civitate, metu expugnationis, vaſtationis, incendii, promiſcuæ cædis omnium civium, dilapidationis omnium fortunarum, duceret filiam, ſororem, aut conſanguineam obſidentis, ut mala illa averteret; quia non ad extorquendum conſenſum in matrimonium, ſed ob alias cauſas incuſſus illi eſt tantorum malorum metus.

REGULA X.

Nullus metus in virum conſtantem cadens compellere poteſt hominem, ut debitum reddat mulieri, cum qua Matrimonium contrahere coactus eſt, ſi Matrimonium iſtud nullum ſit defectu conſenſus, aut propter canonicum impedimentum.

Hæc enim ipſius conjux non eſt; unde carnalis cum illa commixtio fornicatio eſſet, ſtuprum, inceſtus, vel adulterium. Nullo autem metu poteſt induci vir conſtans, ut lethale peccatum committat, cum nullum ſit malum peccato gravius. „ „ Peccata ſunt maxima malorum; & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi, imo magis debet homo mori quam talia ſuſtinere „ „, (*inquit S. Th. in 4. Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 2. ad ſecundum.)

REGULA XI.

Ratum eſt Matrimonium ex metu reverentiæ contractum.

De metu ex reverentia.

Metus enim reverentiæ non cogit voluntatis aſſenſum, nec virum conſtantem concutit. Unde *Urbanus III.* cap. *ex literis*, Ext. *De Deſponſatione impuberum.* Sponſalia de voluntate parentum inita non declarat irrita ob ſolum reverentiæ metum, ſed propter minas puellæ a parentibus intentatas: „ „ De voluntate (*inquit*) parentum potius

quam de ſua (ſicut aſſerit) ad domum patris puer; adducta; ubi nolens, & invita, minis parentum impulſa, moram fecit per annum, & amplius, &c „„.

REGULA XII.

Matrimonium defectu conſenſus irritum, ſi inter perſonas alioqui legitimas, coram parocho, & teſtibus contractum ſit, novo conjugum, qui metu compulſi, vel ficte contraxerant, conſenſu privatim, taciteque præſtito convaleſcit.

Qua ratione convaleſcere poſſit Matrimonium defectu conſenſus irritum.

Id colligitur ex *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 3. ad ſecundum: „„ Ex conſenſu (*inquit*) libero illius, qui prius coactus eſt, non fit matrimonium, niſi in quantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet in ſuo vigore; unde ſi diſſentiret, non fieret matrimonium „„.

Idem docet *S. Antoninus*, 3. p. tit. 1. cap. 7. „„ Si poſtea (*inquit*) tacite conſentiat, & libere, perſona ligata in conſenſu priſtino perſiſtente, verum efficitur matrimonium, & tunc uterque ligatus eſt; quia quamvis tacitus conſenſus per ſe non ſufficeret, tamen ſufficeret cum expreſſione exteriori, quæ præceſſit. Si autem utraque perſona fuit coacta, tunc ad hoc, quod ſit verum matrimonium, requiritur novus conſenſus ex utraque parte, ſed non nova exterior expreſſio „„.

Id confirmatur ex c. *Ad id*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quo *Clemens III.* reſpondet, matrimonium mulieris cum quodam viro per vim contractum, ſequenti cohabitatione ſpontanea per annum, & dimidium convaluiſſe: „„ Quamvis (*inquit*) ab initio invita fuiſſet ei tradita, & renitens; tamen quia poſtmodum per annum, & dimidium ſibi cohabitans conſenſiſſe videtur, ad ipſum eſt cogenda redire; nec de cætero recipiendi ſunt teſtes, ſi quos memorata mulier ad probandum, quod non conſenſerit in eumdem, nominaverit producendos; cum mora tanti temporis hujuſmodi probationem excludat „„.

Idem

Idem confirmatur ex cap. *Significavit*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam pollüit per adulterium.* Quo *Alexander III.* respondet Abbati *De Fontibus*, hominem, cui tanta vis illata fuit, ut non sponte in matrimonium, cum certa quadam muliere consenserit, posse reverti libere ad secundam, quam postea duxit uxorem, nisi primam post præstitum juramentum *carnaliter cognoverit.* Copula namque coactionem subsecuta, ratihabitio quædam est matrimonii, consensui libero æquivalens. Quod rursus confirmat idem Pontifex cap. *Proposuit*, Ext. *De Conjugio Servorum.*

Denique *S. Pius V.* declaravit, matrimonium contractum, & consummatum per metum, si in facie Ecclesiæ secundum formam Tridentini Concilii contractum sit, & impedimentum sit occultum, postea mutuo conjugum consensu, & spontanea cohabitatione convalescere, nec esse opus iterum contrahere repetitis solemnitatibus alias rite adhibitis in primo contractu Si autem impedimentum esset manifestum, matrimonium de novo contrahendum esset, servata forma Concilii Tridentini, juxta responsum sacræ Congregationis Concilii, ad declarationem *S. Pii V.* de qua *Navarrus* in Summa cap. 22. num. 70. & *Fagnanus*, in cap. *Is, quæ fidem*, Ext. *De Sponsalibus.*

REGULA XIII.

Matrimonium contractum inter personas, quæ illegitimæ erant propter aliquod impedimentum dirimens, impetrata dispensatione convalescere non potest; nisi novus utriusque consensus accedat, verbis, aut signis expressus.

Dispensatio namque, qua sublatum impedimentum est, non dat firmitatem matrimonio prius contracto, sed facit duntaxat personas idoneas, & legitimas ad contrahendum inter se matrimonium. Præterea, consensus antea expressus erat illegitimus, siquidem personæ ad contrahendum legitimæ non erant;

Qua ratione convalescere possit Matrimonium inter personas illegitimas propter ali-

390248

quod impedimentum dirimens contractum.

erant; irritus itaque erat. Quamobrem novo utriuſque conjugis conſenſu, poſtquam impetrata fuerit diſpenſatio, matrimonium convaleſcat, neceſſe eſt.

Idem colligitur ex *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 41. q. 1. art. 4. ad 6. „ „ Si (*inquit*) aliquis gradus concederetur, qui nunc eſt prohibitus, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex Statuto Eccleſiæ ratione primi contractus, quia poſſent ſeparari, ſi velent. Sed tamen poſſent de novo contrahere; & alia conjunctio eſſet „ „.

Verum ſi prius inter ſe contraxerunt coram parocho, & teſtibus ſecundum formam a Concilio Tridentino præſcriptam, licet invalide, propter impedimentum occultum, neceſſe non eſt, ut contractus ſolemni ritu in facie Eccleſiæ renovetur; ſed ſufficit, ut conſenſum mutuum privatim verbis, vel ſignis renovent, & exprimant. Et quia non raro pericula ſunt, vel ſcandali, vel diſſenſionum, vel ſuſpicionis adulterii, ſi conjux, cui ignotum impedimentum eſt, illud ediſcat, maxima prudentia opus eſt ad novum conſenſum eliciendum. Itaque ſatis erat, ſi conſcius impedimenti, inter conjugalis amoris blanditias, alteri dicat: ita in te ſum affectus, ut ſi non eſſet inter nos matrimonium, nihilominus te acciperem in conjugem, & nunc revera te accipio. Numquid ſimiliter in me affectum cor tuum eſt? Si verbis, vel ſignis innuat ita ſe affectum eſſe, aut affectu conjugali copulam ineant, matrimonium convaleſcit. Commune id Theologorum placitum eſt, *S. Pii V.* Declaratione fultum, præcipue *Navarri* in Enchiridio, cap. 22. n. 70. & lib. 4. Conſilio 14. Tit. De Sponſalibus; *Barboſæ* p. 2. *De Officio Epiſcopi*, Allegatione 32. num. 157. & 158. *Zerolæ* in Praxi Epiſcopali, verbo *Diſpenſatio*, ad tertium, & ad quintum dubium, & aliorum.

REGULA XIV.

Filii præcepto patris cogi non poſſunt ad matrimonium contrahendum, vel ad hanc ducendam, aut illum accipiendum, regulariter, ſeu quibuſcunque de cauſis patrem ad id moventibus.

De præcepto parentum reſpectu Matrimonii contrahendi.

Paterna enim poteſtas non extenditur ad ea præcipienda, in quibus par eſt filius patri, cujuſmodi ſunt ea omnia, quæ ad univerſum vitæ cujuſque ſtatum pertinent.

Præterea: „ Cum in matrimonio ſit quædam quaſi „ ſervitus perpetua, pater non poteſt cogere filium „ ad matrimonium per præceptum, cum ſit liberæ „ conditionis „; (inquit *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 4.)

Idem confirmat Canon *Si verum*, qui *Urbano* Papæ tribuitur, cauſa 31. qu. 2. & Canon *De Neptis*, quod reſponſum eſt *Urbani II.* Sanctio Regi Aragonum datum, cujus hæc ſunt verba: „ „ De Neptis tuæ conjugio, quam te cuidam militi daturum neceſſitatis inſtante articulo ſub fidei pollicitatione firmaſti, hoc æquitate dictante decernimus, ut ſi illa virum illum omnino (ut dicitur) renuit, & in voluntatis auctoritate perſiſtit, ut viro illi prorſus ſe deneget nupturam, nequaquam eam invitam, & renitentem ejuſdem viri cogas conjugio ſociari. Quorum enim unum corpus eſt, unus debet eſſe & animus; ne forte virgo, cum fuerit alicui invita copulata, contra Domini, Apoſtolique præceptum, aut reatum diſſidii, aut crimen fornicationis incurrat; cujus videlicet peccati malum in eum redundare conſtat, qui eam conjunxit invitam. Quod pari tenore de viro etiam eſt ſentiendum „ „.

Idem confirmat cap. *Tua Fraternitas*, Ext. *De Deſponſatione impuberum*, quod *Hormiſdæ* Pontifici maximo tribuitur. „ „ Tua (*inquit*) fraternitas requiſivit de filio adulto, quem pater matrimonium vult contrahere. Si ſine voluntate adulti filii facere poteſt? Ad quod dicimus, ſi aliquo modo non conſentit filius, fieri non poſſe „ „.

Neque vero hæc Regula repugnat præcepto Decalogi de honorandis parentibus, aut apoſtoliço mandato Coloſſ. 3. *Filii, obedite parentibus per omnia.* Nam obedientia in illis tantum exigi poteſt, ad quæ ſe extendit præcipiendi poteſtas. Quod ergo dicimus *Per omnia*, intelligendum eſt accommodate, ea ſcilicet omnia, quæ parentes filiis præcipere poſſunt. Unde ſicut illicita, & inhoneſta non complectitur hæc generalis exactio obedientiæ; ita neç ea, in quibus Leges naturæ, divina, & eccleſiaſtica, filios ſuæ poteſtati, ac libertati relinquendos eſſe, ſanxerunt.

REGULA XV.

Cauſæ quædam juſtæ, ac legitimæ interdum occurrunt, ob quas pater filium conſiliis, monitis, & quandoque præcepto inducere poteſt, ut uxorem ducat, atque etiam, ut hanc, vel illam accipiat; & ſimiliter filiam, ut huic, vel illi nubat.

Ita docet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 4. „„ Pater (*inquit*) poteſt filium ad matrimonium inducere ex rationabili cauſa; & tunc, ſicut ſe habet filius ad cauſam illam, ita ſe habet ad præceptum patris, ut ſi illa cauſa cogat de honeſtate, præceptum ſimiliter cogat; alias non „„. Itaque ſi cauſa talis ſit, ut filium omnino obliget, præcepto patris omnino, atque abſolute parere debet; exempli gratia, ſi pater præcipit filio, ut ducat uxorem, quia novit eum ſcortatorem eſſe, & libidinoſe vivere, neque vix aliud ſperare liceat illius mali remedium, niſi conjugium, tenetur filius obedire præcepto patris, quia tenetur a fornicatione, & impudicitia abſtinere. Vel ſi virginem ſeduxit ſub ſpe conjugii, nec aliter compenſari poteſt injuria, ſpectata conditione perſonarum, filius tenetur parere patri præcipienti, ut illam ducat, quia id neceſſario poſtulat juſtitia. Similiter, ſi filiæ jam nubilis pudicitiam periclitari videat, præcipere illi poteſt, optione data, ut nubat, vel monaſterium ingrediatur; & omnino

ino tenebitur illa parere mandato patris, quia tenetur periculum, & occaſiones peccati, raptorumque, & ſeductorum inſidias vitare. Idem judicium ſto, ſi pater in vitæ periculo, aut in captivitate conſtitutus, aliter evadere non poſſit, niſi filio hanc, ut illam uxorem ducente; vel ſi pater inopia preſſus, aliter quam locuplete dote, quam filii conjugium afferet, juvari non valeat; vel ſi graves inimicitiæ, liteſque pertinaces, patris, totiuſque familiæ quietem perturbaturæ, bonaque omnia conſumpturæ, aliter ſedari, extingui, & componi non poſſint; & multo magis ſi filius ſit Regis, aut Principis, nec aliter pax regni obtineri, firmarique poſſit quam fœdere nuptiarum; tunc certe filius, vel filia tenetur obedire patri matrimonium præcipienti cum hoc, vel cum illa. Id enim exigit pietas, quam parentibus debemus.

De prohibitione idem omnino dicendum. Filius namque rurſus tenetur obedire patri prohibenti, ne ducat uxorem hæreticam, maleficam, vel alias criminoſam, male moratam, aut infamem, vel diſparis longe conditionis. Tenetur enim quiſque lege naturæ periculum ſuum vitare, honori ſuo conſulere, familiæque ſuæ dignitatem, vel honeſtatem ſartam tectam tueri: tenetur parentibus juſta præcipientibus obedire; juſtæ autem ſunt prohibitiones illæ. Sic *Iſaac* Patriarcha *Gen.* 28. prohibuit *Jacob* filio ſuo, ne acciperet conjugem de genere Chanaan, ſimulque præcepit, ut aliquam duceret de filiabus *Laban* avunculi ſui; quo ſe præcepto jure, meritoque obſtrictum *Jacob* exiſtimavit, illique religioſe paruit.

Si vero cauſa præcepti non omnino filium obligat, ſed tamen honeſta, & conveniens eſt, filius non ſimpliciter tenetur obedire patri matrimonium præcipienti; quia non omne, quod conveniens, & honeſtum eſt, ex præcepto obligat. Itaque ſi matrimonium futurum ſit honeſtum, & utile tam filio, quam toti familiæ, aut ſi Sponſalia jurata erant a parentibus, ſuadere quidem illud poteſt pater, præ-

cipere non poteſt; & ſi præcipiat, honeſtum eſt, ut filius voluntati patris morem gerat; id tamen minime neceſſarium eſt.

REGULA XVI.

Conſenſus conditionatus ad matrimonium non ſufficit; nec illud ratum eſt, niſi conditio evenerit, ſeu impleta fuerit, ſi poſſibilis, ac honeſta ſit, & de futuro.

De conſenſu conditionato. De conditionibus de futuro appoſitis in matrimonio.

Hæc Regula nititur cap. *De illis*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum, Ext. *De conditionibus appoſitis in deſponſatione*, &c. cujus hæc ſunt verba: „„ Si vero aliquis ſub hujuſmodi verbis juramentum alicui mulieri præſtiterit; ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere, quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem, niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis ſit inter eos commixtio ſubſecuta „„.

Idem confirmat *Urbanus III.* cap. *Super eo*, ſub eodem Titulo. Interrogatus fuerat, utrum ille, qui in quamdam mulierem conſenſerat, ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum, ad matrimonium conſummandum eſſet compellendus. Reſpondit: „„ Cum conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio reſervatur, ac conditionem ipſam canonica non improbent inſtituta; niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum. Nam licet Alexander Papa reſponderit; quod Sponſalia interpoſita conditione contracta, ipſa non impleta, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula ſubſequatur, diſſolvi non debent, ſed firmiter obſervari; nequaquam eſt noſtræ definitioni adverſum; cum hujuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus (licet per verba de præſenti evidentius exprimatur,) qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo, conſiſtit „„.

Idem

:m confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2.
:. quæſtiunc. 3. „ „ Si (*inquit*) ſit conditio de
o, aut eſt neceſſaria, ſicut ſolem oriri cras, &
eſt matrimonium, quia talia futura jam ſunt
:ntia in ſuis cauſis; aut eſt contingens, ſicut
pecuniæ, vel acceptatio parentum; & tunc
eſt judicium de tali conſenſu, ſicut de con-
, qui fit per verba de futuro: unde non facit
im onium „ „: (Intellige, niſi impleta con-
ıne.)

n autem adveniente conditione ſit neceſſarius
ıs conſenſus, quæſtio eſt, Theologos inter, &
ſperitos diſceptata. Neceſſarium eſſe contendunt
ologorum plerique, Juriſconſulti negant. Ho-
ſententiam romana curia ſequitur. Nam in S.
gregatione Concilii olim propoſito dubio, an
lum eſſet illorum matrimonium, qui coram pa-
ıo, & teſtibus, per verba de præſenti ſub con-
ıne licita, & honeſta, quæ poſtea impleta eſt,
:raxerant, & ſe pro legitimis conjugibus, ſta-
atque impleta eſt, ſine alia ſolemnitate haben-
matrimonium conſummaverant; an vero co-
li eſſent conjuges ad matrimonium iterum co-
parocho legitime contrahendum; S. Congreg.
ententiam quidem Theologorum ſe propendere
ificavit, uno excepto Cardinali *Alciato*, eamque
ri Tridentino Concilio magis conſonam; ſed re-
ıne facta coram ſummo Pontifice, cui judicium
ıs quæſtionis conſultiſſimi Cardinales reſervave-
t, ſanctiſſimus Pontifex *Pius V.* ſecundum ſen-
tiam Juriſconſultorum pronuntiavit, impleta con-
one, accedente verbi gratia conſenſu patris, ma-
nonium, quod ex illo conſenſu fuerat ſuſpenſum,
im ratum, ac perfectum eſſe; nec opus eſſe, ut
am parocho iterum celebretur; atque hanc ſen-
tiam in judiciis omnino ſequendam; neque Conc.
d. ullatenus repugnare. Idem ſenſit, ac declara-
Congreg. altera ſub *Clemente VIII.* ut refert
nanus in c. *Super eo*, Tit. *De Conditionibus ap-*

Cum Matrimonium ſub conditione contractum eſt, adveniente conditione non eſt neceſſarius novus conſenſus.

poſi-

positis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus, in lib. 4. Decretal. p. 38.

REGULA XVII.

Si conditio honesta, licita, & possibilis impleta non fuerit, sed tamen contrahentes a conditione per contrarium factum recesserint, ratum est, & perfectum Matrimonium.

De conditionibus appositis in desponsatione.

Id constat ex cap. *Per tuas*, Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione, &c.* quo *Innoc. III.* Matrimonium viri cujusdam, qui Sponsalia sub honesta conditione contraxerat, eo nomine ratum esse pronuntiat, quod ante conditionis eventum desponsatam sibi carnaliter cognovisset, atque ita a conditione recessisset; „„ Cum liquido constet, quod post contracta Sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum, quia videtur, a conditione appositа recessisse „„.

REGULA XVIII.

Matrimonium coram parocho, & testibus contractum sub conditione de præterito, vel de præsenti, nullum est ab initio, si conditio defuerit, nec subsecuta copula convalescit, ac perficitur.

De conditionibus de præterito, vel præsenti.

Exempli gratia, si quis his verbis contrahat: Anna, si es legitima, vel si es virgo, vel si es nobilis, accipio te in meam uxorem; deinde matrimonio consummato, compertum sit, Annam non esse legitimam, sed natam ex concubina; vel non fuisse virginem tempore contractus, vel nobilem non esse, sed plebejam; matrimonium ab initio nullum fuit, neque convaluit copula subsecuta. Id colligitur ex *S. Thoma* in 4. *Sentent.* dist. 29. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2. „„ Conditio appositа (*inquit*) aut est de præsenti, aut de futuro; si de præsenti, & non est contraria matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat matrimonium stante conditione; &

ea non ſtante, non ſtat „„. Idemque confirmat *S. Antoninus*, 3. p. Tit. 1. cap. 2. in fine. Cum itaque nunquam extitit conditio honeſta, & poſſibilis, quæ matrimonio, ſive conſenſui alterius conjugis adjecta eſt, matrimonium ab initio contractum nullum, & irritum fuit.

Ex quo ſequitur, illud non convaleſcere, ac perfici per copulam ſubſecutam; quia tunc demum per copulam cenſetur quis recedere a conditione, ſi conditio ſit de futuro, ut colligitur ex cap. *Per tuas*, ſupra citato; ſecus vero ſi conditio ſit de præterito, vel præſenti. Ratio diſcriminis eſt, quia ubi conditio appoſita eſt de futuro, actus non eſt irritus ab initio, ſed ſuſpenditur uſque ad conditionis eventum, ut conſtat ex cap. *De illis*, & cap. *Super eo*, Ext. *De Conditionibus appoſitis in Deſponſatione, &c.* Unde per copulam ideo videtur aliquis a conditione receſſiſſe, quia Eccleſia, ut crimen fornicationis excludat, copulam factam præſumit affectu conjugali, purumque, & abſolutum conſenſum interceſſiſſe, ut explicat Gloſſa cap. *Per tuas*, cujus hæc ſunt verba. *Conditionalis conſenſus eſt nullus ante conditionem extantem*, ff. de Verb. ſignific. L. Cedere diem. „„ Si ergo nullus præceſſit conſenſus, ſolus coitus matrimonium non facit. Dicas ergo, quod conſenſus præceſſit de futuro, quamvis per verba de præſenti expreſſus; & ita carnalis copula ſubſecuta inducit matrimonium præſumptum; & favore matrimonii inducta eſt hæc præſumptio, quia per carnalem copulam ipſo facto videtur conſenſum exprimere de præſenti, & a conditione recedere, ſicut per puram emptionem receditur a conditionali „„. L. *Sed Celſus*, §. ultimo ff. *De contrahenda Emptione.* At vero, ubi conditio eſt de præſenti, vel de præterito, actus non eſt ſuſpenſus; imo ſi conditio non extat, nullus, & irritus eſt ab initio, defectu conſenſus; & copula ſequens eſt fornicatio. Quamobrem cum in ſpecie propoſita mulier illegitima, vel corrupta, vel ignobilis eſſet, quo tempore matrimonium contra-

ctum

dum est, atque ita jam defeciſſent conditiones illæ: *Si es legitima, ſi virgo, ſi nobilis*, copula ſubſequens matrimonium ratum non efficit. Ita cenſent *Innocent. IV.* & *Hoſtienſis* in cap. *Per tuos*, aliique canonici juris Commentatores a *Fagnano* citati, & *Fagnanus* ipſe, in cap. *Si conditiones*, Ext. *De Conditionibus appoſitis in Deſponſatione, &c.*

REGULA XIX.

Conditiones, quæ Matrimonii ſubſtantiæ, aut bonis adverſantur, Matrimonium nullum, & irritum reddunt.

De conditionibus turpibus, & impoſſibilibus.

Ita declarat *Gregorius IX.* cap. *Si conditiones*, Ext. *De conditionibus appoſitis in deſponſatione, &c.* cujus hæc ſunt verba: „ „ Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur; puta, ſi alter dicat alteri; contraho tecum, ſi generationem prolis evites; vel, donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem; aut, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus, quantumcunque ſit favorabilis, caret effectu „ „. Id confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 29. qu. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.

REGULA XX.

Conditiones turpes, aut impoſſibiles, ſed Matrimonii bonis alioqui non contrariæ, non impediunt, quin Matrimonium ratum, firmumque ſit.

Conditionum enim hujuſmodi nullam habendam eſſe rationem, & pro non adjectis haberi debere, in favorem matrimonii declaravit Eccleſia, cap. *Quicunque*, Ext. *De conditionibus appoſitis in deſponſatione*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Quicunque ſub conditionis nomine aliquam deſponſaverit, & eam relinquere voluerit; dicimus, quod frangatur conditio, & deſponſatio irrefragabiliter teneatur „ „. Quod de turpi conditione Gloſſa explicat, quæ tamen non ſit contra naturam matrimonii, puta, ſi fur-

furtum fecerit, ſi hominem interfecerit. Idque confirmat *Gregorius IX.* cap. *Si conditiones*, ſub eodem titulo: „„ Licet (*inquit*) aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi „„.

REGULA XXI.

Si quis ſub conditione honeſta de futuro contrahat, a parocho monendus eſt, contractum ſuſpenſum manere, donec impleatur conditio, proindeque perficere non debet ſolemnitatem Matrimonii, dicendo: *Ego conjungo vos in Matrimonium, &c.* Sed prohibere, ne Sponſa in Sponſi domum ducatur, & ne ſimul cohabitent; & ea de re Epiſcopum certiorem facere, ut judicet, quid facto ſit opus. Si vero quis contrahat ſub conditione pariter honeſta de præterito, vel de præſenti, parochus monere debet contrahentes, nullum eſſe Matrimonium, ſi conditio non extet, ac proinde Eccleſiam ipſos non habituram, ut conjuges, niſi conditionis exiſtentia probata fuerit, nec Matrimonii ſolemnia ſe perficere poſſe, niſi abſolute contrahant; cauſamque referre debet ad Epiſcopum, ut auctoritate ſua, & Cenſuris eccleſiaſticis, ſi opus ſit, cohabitationem eorum, qui hoc modo contraxerunt, prohibeat.

Quid agendum parocho, ſi quis ſub conditione contrahat.

Cum enim ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 1. ſtatuit, ut „„ Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujuſque provinciæ ritum „„; de conſenſu abſoluto, non de conſenſu conditionato, qui actum ſuſpendit, vel nullum facit defectu conditionis, intelligenda eſt.

Præ-

Præterea, non eſt permittenda cohabitatio eorum, qui deſponſati ſunt per verba duntaxat de futuro, quales ſunt, qui conſenſum exprimunt ſub conditione, quam poſtea implendam ſperant: Nec eorum, quorum forte nullum eſt matrimonium, defectu legitimi conſenſus, quales ſunt, qui conſenſum exprimunt ſub conditione de præterito, vel præſenti, quæ non extat; alioqui via ſcortationibus, & concubinatui aperiretur. Unde in hujuſmodi caſibus mulier ſub cuſtodia parentum, vel tutorum permanere debet, vel in monaſterium ſe recipere, procul a contubernio viri, qui cum ita contraxit, donec abſolutum conſenſum verbis minime ambiguis expreſſerint; alioqui deneganda illis ſunt Sacramenta, utpote in proximo peccandi periculo verſari amantibus.

REGULA XXII.

Furioſi, & amentes contrahere matrimonium non poſſunt.

Ipſis quippe liberum deeſſe conſenſum, ſine quo nullum eſt matrimonium, certo conſtat, idque declarat *Innocentius III.* cap. *Dilectus*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Cum eadem mulier cum ipſo viro, qui continuo furore laborat, morari non poſſit, & propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire conſenſus: mandamus, quatenus ſi rem noveris ita eſſe, præfatas perſonas cures ab invicem ſeparare „ „.

Aliud tamen cenſendum eſt, ſi lucida haberet intervalla, quando contraxit. Tunc enim ratum erit matrimonium, ut explicat *S. Th.* in 4. *Sententiar.* diſt. 34. qu. 1. art. 4. „ „ Furia (*inquit*) aut præcedit matrimonium, aut ſequitur. Si ſequitur, nullo modo dirimit matrimonium; ſi præcedit, aut furioſus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis, dum eſt in illo intervallo, non ſit tutum, quod matrimonium contrahat, quia neſcit prolem educare; ta-

tamen, ſi contrahit, matrimonium eſt; ſi autem non habet; vel ſi, quando non habet, contrahit, tunc quia non poteſt eſſe conſenſus, ubi deeſt rationis uſus, non erit verum matrimonium „ „.

ARTICULUS II.

De Conſenſu clandeſtino.

Quæ conjugia clandeſtina.

Clandeſtina conjugia proprie dicuntur, quæ ita clanculum, & ſecreto fiunt, ut nulli omnino arbitri, ſeu teſtes interſint, per quos ipſa in foro Eccleſiæ probari valeant, vel quæ præſentibus quidem arbitris, & teſtibus fiunt, ſed omiſſis ſolemnitatibus, quæ jure, ſeu conſuetudine Eccleſiæ debent adhiberi; cujuſmodi ſunt denuntiationes, ſeu proclamationes, quæ contractum præcedere debent, & ſacerdotalis Benedictio, quæ ipſum committatur.

PROPOSITIO PRIMA.

Eccleſia Matrimonia clandeſtina ſemper prohibuit; quamvis ante Concilium Tridentinum ea irrita non declaraverit.

Matrimonia clandeſtina ſemper ab Eccleſia prohibita.

Prima pars Propoſitionis probatur ex *Tertulliano* lib. *De Pudicitia*, c. 4. „ „ Penes non quoque (*inquit*) occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur „ „.

Item ex *S. Ambroſio* Epiſt. 19. novæ Editionis, ad *Vigilium* Epiſcopum data, ſcribente: „ Conjugium „ velamine Sacerdotali, & Benedictione ſanctificari „ oportere „.

Item ex Concilio Vernenſi anno 755. ex Forojulienſi ſub Adriano I. can. 8. & ex Concilio Oecumenico Lateranenſi 4. Can. 51. relato cap. *Cum inhibitio*, Ext. *De clandeſtina Deſponſatione*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Cum inhibitio copulæ conjugalis ſit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtricte obſervari. Unde prædeceſſorum noſtrorum inhærendo veſtigiis, clandeſtina conjugia

penitus inhibemus; prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. Quare ſpecialem quorumdam locorum conſuetudinem ad alia generaliter proroganda, ſtatuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſſe, donec, quid fieri debeat, ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis. Si qui vero hujuſmodi clandeſtina, vel interdicta conjugia inire præſumpſerint in gradu prohibito, etiam ignorantes, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo, non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo illegitima proles cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum in conſpectu Eccleſiæ contrahere præſumpſerint. Sane ſi parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed & iis, qui taliter copulari præſumpſerint, etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur „„.

Clandeſtina illa conjugia juſtiſſimis de cauſis prohibuit Eccleſia. Primo, quia clanculum contracta matrimonia probari non poterant; unde ſæpe numero conjuges leves, inconſtantes, libidinoſi, prioris matrimonii fide violata, nova conjugia inibant, atque in perpetuo deinceps vivebant adulterio, filioſque illegitimos. & adulterinos procreabant: quibus malis occurrere non poterant eccleſiaſtici judices, probationum defectu. Sæpe etiam nonnulli matrimoniis clandeſtine contractis, ad ſacros Ordines adre-

pe-

pebant, & cum uxoribus eccleſiaſtica retinebant beneficia; quorum matrimonia ſuſcepta proles progreſſu temporis revelabat in magnum Eccleſiæ dedecus, ut ait Concilium Londinenſe ſub *Gregorio IX.* cap. 15. Ad hæc, Sacramentum abſque miniſtro Eccleſiæ, & præſcriptis ab ea cæremoniis celebrabatur, quo vel contemptu, vel neglectu, violabatur religio. Denique inceſtæ conjunctiones, aliaque ob impedimenta illegitimæ, haud facile impediri poterant. Has etiam ob rationes clandeſtina matrimonia, lib. 7. Capitularium, cap. 127. vetita ſunt.

Irrita non erant clandeſtina conjugia ante Concilium Tridentinum.

Secunda pars Propoſitionis, ſcilicet, quod Eccleſia clandeſtina matrimonia, ante Concilium Tridentinum contracta, irrita non declaraverit, conſtat ex Concilii Toletani 1. Can. 17. idemque confirmatur ex can. *Sufficiat*, Can. *Matrimonium*, & can. *Omnes*, cauſa 27. quæſt. 2. quibus legitimarum perſonarum libero conſenſu matrimonia perfici, & rata eſſe aſſeritur. Item ex Lateranenſis Concilii Canone ſupra citato, quo prohibentur quidem, ſed irrita non pronuntiántur matrimonia clam contracta. Ac demum ex uſu Eccleſiæ, quæ hujuſmodi matrimonia tanquam invalida, & irrita dirimere nunquam tentavit ante Concilii Tridentini Decretum edictum, & promulgatum; quo nihilominus utraque pars propoſitionis noſtræ confirmatur. „„ Tametſi (*inquit*) dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant.... Nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit „„.

Illa quidem legitima conjugia eſſe negat can. *Aliter*, qui *Evariſti* Papæ nomine a *Gratiano* refertur cauſa 30. qu. 5. quia in iis legum, & Canonum præſcripta non ſervantur. *Adulteria*, *ſtupra*, *fornicationes* vocantur, non abſolute, ſed: *Niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima*; id

eſt, niſi libero perſonarum legitimarum conſenſu contracta fuerint.

PROPOSITIO II.

Eccleſia Matrimonia clandeſtina non ſolum prohibere potuit, ſed irrita declarare.

Eccleſia potuit irrita facere matrimonia clandeſtina.

Eccleſiæ ſcilicet diſpenſationi matrimonium ſubjacet, quatenus contractus eſt ad Sacramenti dignitatem evectus. Nam ſicut ſeculi Principes de contractibus mere civilibus leges condere poſſunt, & iis contractibus ob juſtas cauſas impedimenta quædam objicere, perſonaſque ad contrahendum, vel ſic contrahendum illegitimas declarare; ita ut contractus ab illis initi, vel ſic initi, nullius ſint roboris, ac firmitatis; ita Eccleſia contractui impedimenta juſtis de cauſis apponere potuit, ac poteſt, ſive ex qualitate perſonarum, ſive ex modo contrahendi petita prout expedire judicaverit, ſecundum poteſtatem ſibi a Chriſto datam, & lumen a Spiritu ſancto perenniter adſiſtente donatum. Quamobrem ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. can. 4. dixit anathema iis, qui aſſeruerint: *Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis conſtituendis erraſſe.* Et can. 12. anathemate pariter ferit eos, qui dixerint: *Cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices eccleſiaſticos.*

Non tamen Eccleſia circa ſubſtantiam Sacramenti aliquid immutare ſe poſſe cenſet, aut reipſa immutat. Nam contractus conjugalis legitimarum perſonarum ratus ſemper eſt naturali, divinoque jure, ſicut lege naturæ ratus eſt contractus emptionis, & venditionis inter homines ab emendo, & vendendo nulla lege prohibitos; idque vel ſimpliciter, vel certo modo; ſed ſicut Lex civilis quoſdam prohibet, ac prohibendo impedit a tali contractu; ita & Lex eccleſiaſtica prohibet a contractu matrimonii. Qui autem ſic prohibentur, jam non ſunt legitimæ perſonæ, neque ad contrahendum idoneæ, & habi-

biles, vel certe *Ad ſic contrahendum* (ut Concilii verbis utar.)

PROPOSITIO III.

Tridentina Synodus Matrimonia clandeſtina deinceps irrita declaravit; eaque irrita ſunt, ubicunque Concilii Decretum promulgatum eſt.

Ita nempe ſtatuit ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, c. 1. „„ Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat. Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem S. Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo cohabitent; ſtatuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi poſſe, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quod ſi quis parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive Secularis, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ Sponſos, ſine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus manebit, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur „„.

Idem chriſtianiſſimorum Regum Edictis, præſertim vero Edicti Bleſenſis articulo quadrageſimo ſanctum eſt.

ARTICULI CONSECTARIA,
SEU REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Ad Matrimonium rite celebrandum ſufficit præſentia unius parochi, etiamſi contrahentes ſint ex diverſis parochiis.

De præſentia Parochi. Concilium enim Trid præſentiam parochi, non parochorum poſtulat. Præterea, cum matrimonium ſit duorum conjunctio, is, qui juriſdictionem habet erga alteram partem, habet ſimul erga utramque; ſiquidem una conjungi ſine altera non poteſt. Neque requiritur alterius parochi aſſenſus, dummodo intra fines parochiæ ipſius matrimonium non celebretur.

REGULA II.

Sufficit parochus viri etiam in parochia mulieris.

Concilium enim Trid. de loco nihil expreſſit & præſentiam parochi, & teſtium ſolum poſtulat, ne clandeſtinum ſit matrimonium, ad quod ſufficit unus parochus, ſive viri, ſive mulieris, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii Trid. interpres, teſte *Fagnano* in c. *Quod nobis*, Ext. *De clandeſtina Deſponſatione*.

REGULA III.

Validum eſt matrimonium celebratum in parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam a parocho viri, etſi parochiæ viri, & mulieris non ſint in eadem Diœceſi conſtitutæ.

Ita declaravit ſacr. Congr. Trid. Conc. interpres, 16. Februarii anno 1595. Et certe Conc. Trid. ea tantum matrimonia irrita pronuntiat, quæ celebrata ſunt aliter, quam præſente parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, & duobus teſtibus, in hac autem ſpecie matrimonium celebratum eſt præſente Sacer-

Sacerdote de licentia parochi; itaque celebratum eſt ſecundum formam Trident. Concilii. Præterea, Concilium nihil de loco expreſſit; ubicunque ergo celebretur matrimonium præſente parocho vel alio Sacerdote de parochi licentia, ratum, ac validum eſt. Denique cum juriſdictio voluntaria poſſit exerceri extra territorium, ut probant Juriſconſulti ex *L.* 2. *ff. De Officio Procuratoris*, hoc celebrandi matrimonii miniſterium exerceri poterit extra parochiam, non ſolum a parocho, ſed etiam ab alio Sacerdote, de parochi licentia.

REGULA IV.

Ut Sacerdos, qui non eſt proprius contrahentium parochus, ipſos matrimonio conjungere poſſit, neceſſaria eſt ſpecialis, & expreſſa licentia, vel ſaltem generalis adminiſtrandi omnia Sacramenta.

Sic declaravit ſacra Congr. Conc. Trid. interpres die 22. Junii anno 1581. Imo & Vicarios parochialis Eccleſiæ matrimoniis tanquam parochos intereſſe poſſe, & aliis dare licentiam, ut interſint; atque ſic celebrata matrimonia eſſe valida, refert *Fagnanus* loco ſupra citato. Eadem Congregatio reſpondit die 15. Junii anni 1586. Licentiam contrahentibus nominatim deſignatis a parocho in ſcriptis conceſſam, ut matrimonio inter ſe celebrando quemvis Sacerdotem pro ſuo arbitrio eligere poſſint, ſufficientem cenſeri, ut ratum ſit matrimonium, cui alius Sacerdos vi ejuſdem licentiæ interfuit.

Actum autem ipſum præcedere debet licentia. Unde nullum, & irritum eſſet matrimonium, cui Sacerdos aliquis parochi nomine interfuiſſet, nulla ab eo petita licentia, etiamſi poſtea factum ratum haberet. Nam etſi ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari, habeat Regula juris, in ſexto; tamen ubi lex, vel ſtatutum præſentiam corpoream exigit, ratihabitio ſequens non ſufficit ad robur, & firmitatem actus. Hinc ſac. Congr. Concil. die 7. Septem-

Septembris 1620. reſpondit: „„ Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui revera non habuit a proprio parocho licentiam veram, eſſe nullum „„. Et die 5. Decembris 1626. reſpondit: „„ Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio parocho unius ex contrahentibus, & ignorat ſe illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, eſſe invalidum „„.

REGULA V.

Cujuſcunque Sacerdotis, licentiam ab Epiſcopo contrahentium habentis, præſentia ſufficit, ut matrimonium ratum, ac validum ſit, etiam abſque conſenſu parochi.

Tridentinum enim Concilium alterutrum duntaxat neceſſarium eſſe decernit, præſentia parochi, vel alterius Sacerdotis: *De ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia.* Ordinarium autem tam parochianorum, quam ipſius parochi, eſſe proprium illorum Epiſcopum certum eſt. Et de ejus licentia fieri dicitur, quod ipſe, vel ejus Vicarii generales fieri conceſſerint. Abbates vero juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, perſonas juriſdictioni ſuæ ſubditas matrimonio conjungere non poſſunt, aut Sacerdoti hanc provinciam committere; & contracta coram ipſis, abſque parochi, vel Epiſcopi licentia, matrimonia clandeſtina, & irrita eſſent.

REGULA VI.

Qui in parochia aliqua vere commoratur, quamvis decreverit ibi diu non manere, coram parocho illius loci valide contrahit matrimonium.

Ita declaravit non ſemel ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum. Cum enim olim juvenis nobilis, & meretrix Senenſis, cujus amore captus erat, matrimonio copulari cuperent, metuerentque, ne ſi matrimonium Senis contraherent cum ſolemnitatibus a Concilio Trid. præſcriptis, juvenis pa-

parentes impedimento eſſent, Romam ſe contulerunt, ibique aliquantiſper commorati, coram parocho *S. Anaſtaſiæ*, in cujus parochia habitabant, ac teſtibus, matrimonium contraxerunt. De quo cum dubitaretur, ſacra Congregatio ratum eſſe reſpondit, ea ratione, quia is eſt proprius parochus, in cujus parochia habitabant contrahentes tempore contractus. Alias etiam reſpondit, ratum eſſe matrimonium ſcholaſtici, qui Patavii quinque, vel ſex menſes moratus, timens impedimentum a parentibus, duxit ibi mulierem plebejam coram parocho loci, & teſtibus. Idemque reſpondit de matrimonio alterius, qui ob eamdem cauſam ſe in Angliam contulit, & ibi aliquandiu moratus, coram domicilii parocho matrimonium cum meretrice contraxit. Quin imo cum vir, & mulier Trajectenſes, timentes impedimentum a parentibus, ad vicinam urbem Aquiſgranum ſe contuliſſent, ibique aliquamdiu morati, matrimonium contraxiſſent; ſacra Congregatio reſpondit, ratum eſſe matrimonium, ſi ſaltem unius menſis ſpatio Aquiſgrani manſiſſent. Item cum mulier ex civitate, in qua habitabat, ad ſcandala ſummovenda, ad oppidum ſuæ Diœceſis, juſſu Principis translata fuiſſet, cum præcepto illinc non recedendi abſque novo mandato; & poſt quartum habitationis menſem, coram parocho iſtius oppidi, cum viro incola ejuſdem civitatis matrimonium contraxiſſet, ſacra Congregatio reſpondit, ratum eſſe matrimonium. Hæc refert *Proſper Fagnanus* in cap. *Significavit*, tit. *De Parochiis; & alienis Parochianis*, in 1. par. lib. Decretalium.

Obſervari tamen oportet Statuta, moreſque Diœceſium quoad tempus conſtituendo domicilio, ſeu domicilii juri acquirendo, ad effectum matrimonii contrahendi præfixum. Eo certe tempore contrahentes in parochia manſiſſe neceſſe eſt, quod ſufficiat, ut ibi noti ſint.

REGULA VII.

Proprius vagorum hominum parochus eſt quilibet parochus locorum, ad quæ divertunt, & ratum eſt illorum Matrimonium cujuſcunque loci, qua tranſeunt, parocho præſente celebratum. Peccant tamen graviter parochi, ſi temere, & abſque Ordinarii licentia hujuſmodi vagos homines Matrimonio conjungant.

De vagorum hominum matrimonio.

Prima pars Regulæ ex eo conſtat, quod parochus locorum, per quæ tranſeunt, vel ad quæ divertunt peregrini, aut vagi homines, eis adminiſtrare poſſit pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, etiam tempore Paſchatis; adeoque & ipſos matrimonio conjungere, cum major auctoritas, & juriſdictio ad miniſterium iſtud neceſſaria non ſit, quam ad illa.

Secunda pars inde patet, quod maximam cautionem in hujuſmodi vagis hominibus conjungendis poſtulet ſacra Synodus Tridentina, quia contingit interdum, ut alibi uxores habeant. „ „ Multi ſunt (*inquit cap. 7. ſeſſ. 24. De Reformatione matrimonii*,) qui vagantur, & incertas habent ſedes; & ut improbi ſunt ingenii prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures illa vivente, diverſis in locis ducunt; cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magiſtratus etiam ſeculares hortatur, ut eos ſevere coerceant; parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint „ „. Decreti illius exeçutionem imperant Synodi provinciales in Galliis poſt Concil. Trid. celebratæ, Rothomagenſis 1581. Burdigalenſis 1582. Bituricenſis 1584. Aquenſis 1585.

REGULA VIII.

Clandeſtinum eſt, & irritum Matrimonium contractum coram Presbytero, qui neque ſit alterutrius contrahentium parochus, neque ab ipſo parocho, vel ab Ordinario auctoritatem habeat, ſive licentiam.

De Præſentia, vel licentia parochi.

Id evidens eſt ex Concilii Trid. Decreto. An vero ratum ſit matrimonium, quod contrahitur coram miniſtro hæretico, vel laico magiſtratu, iis in locis, in quibus Trid. Conc. Decretum promulgatum eſt, quæſtio eſt non difficilis ſolutionis. Si enim ſolum Concilii Decretum ſpectaretur, matrimonia hujuſmodi irrita eſſent; ſed ſi mores, & uſus Eccleſiæ ſpectentur, quæ matrimonia hæreticorum, publice contracta ſecundum leges locorum, in quibus hæreſis regnat, coram hæretico miniſtro, non reſcindit, nec permittit alterutri conjugum ad Fidem catholicam converſo, ut alterutrum matrimonium ineat, rata illa eſſe aſſerendum eſt. Si vero coram hæretico miniſtro, aut laico magiſtratu matrimonium contraheretur iis in locis, in quibus hæreticarum Sectarum libera non eſt profeſſio, prorſus irritum eſſet. Calvinianorum in Galliis matrimonia, antequam *Ludovici magni* Edicto publica impiæ ſectæ profeſſio, conventuſque, ac ritus prohibiti eſſent, rata fuiſſe notum eſt, modo in publico ſectæ conventu juxta regias Conſtitutiones contracta eſſent. Similiter in locis, in quibus non ſunt Epiſcopi, nec parochi, aut ubi matrimoniorum celebrationi intereſſe ipſis vetitum eſt ſub pœna mortis, exilii, vel gravioris mulctæ, chriſtianorum matrimonia coram magiſtratu contracta, valida, & rata eſſe, reſpondit Congregatio Concilii Trid. interpres, teſte Cardinale *Bellarmino* in literis ad *Octavium* Tricarienſem Epiſcopum per Germaniam, & Belgium Nuntium apoſtolicum, die trigeſima Decembris, anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum datis. Idem reſpondit rurſus ſacra Congregatio *D. Sasboldo* Philippenſi Archiepiſcopo, die 19. Januarii, anno 1603. Eademque fuit ſententia *Guilielmi*

mi Eſtii eximii Theologi, ea de quæſtione rogati a *D. Miræo* Antverpienſium Epiſcopo die 19. Martii anno 1707.

REGULA IX.

Matrimonium contractum coram parocho, cui Ordinarius prohibuit, ne illius celebrationi intereſſet, aut tales Matrimonio conjungeret, ratum, ac validum eſt, quamvis graviter peccaverit parochus, ac plectendus ſit.

Suo enim jure, non ex facultate ſibi ab Epiſcopo data, parochus matrimonii celebrationi, ut Eccleſiæ miniſter intereſſe poteſt, ut patet ex Decreto Conc. Trident. At licet parocho prohibuerit Epiſcopus, ne matrimonium celebraret, ſi tamen interſit, matrimonium coram parocho celebratur, prout Concilium decrevit, adeoque ratum, ac validum eſt, modo nullum aliud obſit canonicum impedimentum.

Præterea: „„ Eccleſia in his, quæ ad matrimonium pertinent, tripliciter ſe habet; (*inquit S. Thomas, Quodl. 5. q. 8. art. 1. ad 1.*) Uno quidem modo per modum judicantis; alio modo per modum prohibentis, vel punientis; & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit jam contractum: tertio modo ſe habet per modum ſtatuentis, quod fit ſolum auctoritate ſummi Pontificis; & ſecundum hoc perſonæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum, ita quod ſi etiam contrahant, matrimonium dirimitur „„. Poteſtas autem, qua Ordinarius prohibet parocho, ne tales matrimonio conjungeret, ad ſecundum modum refertur; prohibitio itaque Ordinarii matrimonium celebrandum impedit, ſed contractum, & celebratum non dirimit, ſi alia impedimenta non extent. Unde cum Giennenſis Epiſcopus ad S. Congregationem Trid. Conc. interpretem dubium ea de re ſuum retuliſſet, an ſcilicet validum ſit matrimonium adhibito parocho, cui ab Epiſcopo fuerat interdictum, ne illi matri-

monio

monio intereſſet; ſacra Congregatio reſpondit, eſſe validum, teſte *Fagnano*, in cap. *Litera*, Ext. *De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.*

REGULA X.

Matrimonium præſente, & intelligente parocho contractum, quamvis non conſentiente, nec ullum aliud miniſterium obeunte, rituſve ſacros in Matrimonii celebratione præſcriptos non perficiente, ratum, & validum eſt.

De Præſentia parochi non conſentientis matrimonio.

Præſentiam enim duntaxat, non aliud miniſterium parochi Conc. Trid. exigit, ne matrimonium clandeſtinum, & irritum ſit; præſentiam (inquam) illius, tanquam teſtis præcipui, & auctoritatem habentis. Nec credendum eſt, Concilium, quod matrimoniorum libertati maxime conſuluit, ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 9. adeo, ut nec diſſenſu patris irrita effici voluerit (cap. 1.) illa conſenſui parochi ſubjeciſſe. Unde propoſito dubio, an matrimonium cum ſola præſentia parochi, abſque ejus conſenſu, aut miniſterio, coram duobus, vel tribus teſtibus celebratum, irritum ſit ex Decreto Concilii; ſacra Congregatio die 11. Martii, anni 1508. reſpondit; illa verba cap. 1. „ Ubi parochus viro, & „ muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu in„ tellecto, vel dicat, ego vos in matrimonium con„ jungo, &c. „ non pertinere ad ſubſtantiam matrimonii, ideoque matrimonium valere, etiamſi verba prolata ſint tantum a contrahentibus, & non a parocho, dummodo adſit præſentia parochi. Ita refert *Fagnanus* in c. *Quod nobis*, Ext. *De clandeſtina Deſponſatione.* Neceſſe tamen eſt, ut parochus ſit a contrahentibus adhibitus. Unde ſi partes contraxerint matrimonium, dum forte parochus confabulandi cauſa, vel aliud negotium tractandi adeſſet, aliaque re occupatus audivit hujuſmodi contractum fieri, & poſtea contrahentium alter velit hujuſmodi contractum, ratione illius defectus reſcindere; ſacra Con-

gre-

gregatio cenſuit, poſſe, niſi alia intervenerint, quæ parochum a contrahentibus adhibitum fuiſſe arguant; ut refert *Fagnanus* ibidem. Sed ſi ex alia etiam cauſa vocatus, adhibitus tamen fuit ad illum actum, etiamſi nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit, quia affectavit non intelligere, avertendo oculos, & obturando aures, ratum nihilominus eſt matrimonium coram illo contractum, ut declaravit Congregatio Concilii, teſte *Fagnano*, in cap. *Quoniam*, Ext. *De Conſtitutionibus*.

REGULA XI.

Gravis peccati rei ſunt, gravique pœnitentia plecti debent, & a Judicibus etiam regiis mulctari, qui matrimonia contrahunt præſente duntaxat, & non conſentiente parocho, vel altero Sacerdote ab eo, aut ab Epiſcopo facultatem habente; nec Benedictionem nuptialem ſecundum Eccleſiæ ritum recipere curant.

Temere namque violant ſacroſanctæ Eccleſiæ Decreta, & conſtitutiones Principum, graviſque ſcandali ſunt auctores. Cum ipſis ergo, ceu peccatoribus publicis eſt agendum.

REGULA XII.

Gravis etiam peccati rei ſunt, & gravi pœnitentia merito plectendi, qui domicilium ex induſtria mutant, migrantque in parochiam, ubi ſunt ignoti, ut ibi clanculum quæſito domicilii tempore Matrimonium contrahant, ubi noti ſunt, legitime ac juſte impediendum. Eorum longe gravius crimen eſt, qui conſulto migrant in regiones, in quibus Trid. Concilii recepta non eſt diſciplina.

Eccleſiæ namque leges dolo malo, & fraude inſigni eludunt.

RE-

REGULA XIII.

Parochus extra parochiæ ſuæ fines parochianos ſuos Matrimonio conjungere poteſt, modo denuntiationes factæ ſint in parochia. Validum eſt patiter Matrimonium coram Sacerdote, de licentia parochi, extra illius parochiam contractum.

Matrimonii enim celebratio, ſive præſentia illius celebrationi a parocho exhibenda, non eſt actus contentioſæ juriſdictionis (ut loquuntur) adeoque non circumſcribitur territorio.

REGULA XIV.

Matrimonium contractum coram parocho non Sacerdote, ratum eſt, præſertim ſi ſit intra annum ipſi a jure conceſſum, ut Presbyteratus Ordinem ſuſcipiat.

Ita declaravit Congregatio Concilii Triden interpres; imo ſatis ad hoc, ut ratum habeatur, ut contractum ſit coram parocho minoribus tantum Ordinibus initiato. Refert *Fagnanus* in cap. *Quoniam*, Ext. *De Conſtitutionibus.*

REGULA XV.

Matrimonium coram parocho ſuſpenſo, vel excommunicato contractum, nihilominus ratum eſt.

De Matrimonio contracto coram parocho excommunicato, vel ſuſpenſo.

In hoc enim Sacramento parochum nullam exercere juriſdictionem, ſed meram exhibere præſentiam, & miniſterium facti, cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. interpretum; porro ſuſpenſio, & excommunicatio irritum non faciunt Sacramentum, niſi in his, quæ ſunt juriſdictionis, ſicut eſt abſolutio a peccatis. Ratum igitur eſt matrimonium contractum coram parocho ſuſpenſo, & excommunicato, etiam denuntiato, ut reſpondit ſacra Congregatio Concilii, tempore Cardinalis *Matthæi*, re diligenter examinata, teſte *Fagnano* in cap. *Litera quas*, Ext. *De Matrimonio contracto contra inter-*

terdictum Eccleſiæ. Graviter tamen peccant, qui coram parocho excommunicato ſcientes volentes contrahunt, & in excommunicationem incurrunt, ſi ſit denuntiatus, quia ipſius vitare communionem tenentur.

REGULA XVI.

Matrimonium coram parocho intruſo contractum irritum eſt.

De Matrimonio contracto coram parocho intruſo.

Ille enim non eſt verus parochus; Conc. autem Trid declarat irrita matrimonia, quæ aliter quam præſente parocho, aut alio Sacerdote, de ipſius parochi, aut Ordinarii licentia contrahuntur. Verum ſi titulum habeat ſaltem coloratum (ut loquuntur,) & errore communi vulgi parochus habeatur, ratum eſt matrimonium coram ipſo contractum. Quamvis enim ipſo jure privatus ſit beneficio ob aliquod crimen, vel quia excommunicatus erat, cum ad illud promotus eſt, vel quia beneficium habet alterum, quod cum parochiali cura poſſideri non poſſit, vel quia intra annum ſacrum Presbyteratus Ordinem non ſuſcepit; nondum tamen poſſeſſione ſpoliatus eſt, & quamdiu non ſpoliatur, præſumitur habere juſtam retinendi cauſam, ut colligitur ex cap. *Licet Epiſcopus*, tit. *De Præbendis, & dignitatibus*, in ſexto.

REGULA XVII.

Matrimonium contractum coram Clerico non Sacerdote, de licentia parochi, vel Ordinarii, nullum, & irritum eſt.

Tridentinum enim Concilium eos: „„ Qui aliter quam præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos *Decreto ſuo* irritos facit, & annullat „„.

RE-

REGULA XVIII.

Clandeſtinum eſt, & irritum Matrimonium ſine duobus, vel tribus teſtibus contractum.

De teſtibus neceſſariis, ut ratum ſit matrimonium.

Id evidens eſt ex Conc. Trid. Decreto. Quatuor teſtes fide dignos regia Conſtitutio Blæſis edita poſtulat; quod in hoc regno obſervandum eſt. Attamen ſi duo tantum teſtes interſint, ratum erit matrimonium. Majorem enim numerum lex divina non poſtulat ad aliquam veritatem comprobandam: *In ore* (inquit) *duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quod vero ad teſtium qualitatem attinet, non ſunt ad ſeveram legum normam exigendi, ſed ſufficiunt quicunque rationis compotes, quamvis impuberes, conſanguinei, domeſtici, feminæ, aut infames, quia moraliter præſentes eſſe poſſunt, & de re geſta teſtimonium ferre. Quales enim teſtes eſſe debeant Conc. Trid. non præſcribit. Curandum tamen eſt parocho, ut noti ſint, ac probi.

Deut. 19. 15. Mat. 18. 16.

REGULA XIX.

Tres futuri Matrimonii denuntiationes a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus Dominicis, aut Feſtis, ejuſdem celebrationi ſunt præmittendæ.

De Denuntiationibus, ſive Bannis.

Denuntiationes illæ, ſeu proclamationes, quæ *Banna* vulgo nuncupantur, ab Eccleſia decretæ ſunt, tum ne clandeſtina matrimonia contraherentur; tum ut impedimenta matrimonii, ſi quæ forent inter Partes, Eccleſiæ innoteſcerent, nec perſonæ conjungerentur, niſi quas ad contrahendum inter ſe legitimas eſſe conſtaret. Harum denuntiationum uſus in aliquibus Eccleſiis Conc. Later. 4. præceſſit, præſertimque in Eccleſia gallicana, ut diſcimus ex Conſtitutionibus *Odonis de Soliaco* Pariſienſis Epiſcopi, anno 1207. editis, & ex cap. *Cum in tua*, Ext. *De Sponſalibus*, quod *Innoc. III.* reſponſum eſt Epiſcopo Bellovacenſi datum. Hinc aliquorum locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogavit Conc.

Lateran. 4. ſub eodem Pontifice, cap 51. Eamque legem confirmavit Concil. Trid. ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 1. „„ Sancta Synodus, ſacri Lateranenſis Concilii ſub Innoc. III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit, ut impoſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, &c „„. Idem ſanctum eſt regia Conſtitutione Blæſis edita art. 40.

REGULA XX.

Denuntiationes Matrimonii futuri non ſunt neceſſariæ neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum neceſſitate præcepti; adeoque clandeſtinum, & irritum non eſt Matrimonium, quod ſine denuntiationibus contrahitur.

De Denuntiationibus omiſſis.

Denuntiationum omiſſione irritum non fieri matrimonium, ex Conc. Trid. Decreto colligitur. Hæc enim verba: *Qui aliter quam præſente parocho*, &c. ad denuntiationum ſolemnitatem non referuntur, ſed ad parochi, teſtiumque præſentiam, ſine qua initos contractus irritos declarat, & Partes ad ſic contrahendum inhabiles reddit; non obſcure innuens, alterum defectum ſcilicet denuntiationum, matrimonium irritum non facere, nec Partes ad ſic contrahendum inhabiles reddere. Exceptio namque hoc in caſu legem in cæteris firmat. Præterea, ſi denuntiationes ad matrimonii ſubſtantiam pertinerent, poſt matrimonium fieri non poſſent, ſed in ipſo actu deberent adhiberi, ut colligitur ex cap. *Auditis*, & cap. *Quia propter*, Ext. *De Electione*. Individuum enim eſt, quidquid ad ſubſtantiam actus pertinet, ut ſeparari, vel disjungi ab illo non poſſit. Conſtat autem ex Conc. Trid. Decreto, matrimonium

nium absque denuntiationibus celebrari posse, cum illas Episcopus remittit; constat post matrimonii celebrationem denuntiationes differri posse, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si præmittantur; ad substantiam itaque matrimonii non pertinent; nec illarum omissio clandestinum, & irritum facit matrimonium. Ita respondit S. Congregatio Concilii Trid. interpres, eaque est Theologorum omnium, & Jurisconsultorum pene universorum sententia.

Quod ergo regia Constitutio Blæsis edita, art. 40. *Matrimonia sine denuntiationibus valide contrahi non posse* a subditis regiis, cujuscunque status, & conditionis sint; decernit, intelligendum est, matrimonia valida non esse quoad effectus civiles, quamvis ratione contractus, & Sacramenti rata sint. Hanc regiæ Constitutionis formulam sic explicant *Feveretus* lib. 1. *De Abusu*, cap. 2. & Compilator probationum libertatum Ecclesiæ gallicanæ tom. 2. pag. 967. Sic explicuerunt regiorum Sigillorum Custos, & consistoriani Comites a Rege *Ludovico XIII.* triumphantis memoriæ deputati, cum gallicani Cleri quærimoniis, & supplicationi occasione art. 39. Constitutionis a justo Rege editæ anno 1629. quo matrimonia inita contra tenorem Blesensis Constitutionis: *Invalide contracta* censeri; ac declarari decernebat, Regis nomine responderunt anno 1630.

REGULA XXI.

Lethaliter peccarent contrahentes, qui absque dispensatione, aut causa legitima matrimonio jungerentur nullis præmissis denuntiationibus. Similis peccati rei essent parochus, & testes, qui scientes volentes hujusmodi matrimonio interessent.

Ecclesiæ enim præceptum violarent in re gravi: Id *S. Antonini* verba confirmant 3. p. tit. 1. cap. 16. Quamquam multo ante Conc. Trid. scripserit. „ In aliquibus locis (*inquit*) non fiunt Ban- De Denuntiationibus.

na... Unde in talibus locis, ratione contrariæ consuetudinis, omissionem Bannorum puto non esse peccatum; sed ubi servantur, esset mortale omittere „„. Atqui post Trid. Conc. servantur, ubicunque illud promulgatum est; & in Galliis id præterea servari jubent regiæ Constitutiones. Omissio igitur denuntiationum absque dispensatione, aut legitima causa, est peccatum mortale.

REGULA XXII.

Episcopi justis de causis unam, vel duas, imo & omnes denuntiationes remittere possunt.

De remissione denuntiationum.

Id constat ex Tridentinæ Synodi Decreto. „„ Quod si aliquando (*inquit*) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ, & judicio S. Synodus relinquit „„.

REGULA XXIII.

Soli Episcopi, & eorum Vicarii generales necnon Vicarii Capituli sede vacante, non autem Abbates, aut alii jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, matrimonii denuntiationes remittere possunt.

Id enim juris penes solos Episcopos esse voluit Concil. Trid. & S. Congregatio Concilii interpres declaravit, *Alexandrum* Cardinalem *Farnesium* Commendatarium Abbatiæ Farfensis, jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, carere facultate duas denuntiationes remittendi, quam ei ex speciali gratia *Gregorius XIII.* concessit, quoad viveret, responsumque Congregationis approbavit, Ordinarii nomine cap. 1. sess. 24.

ſeſſ. 24. Concilii Trid. *De Reformatione Matrimonii*, ſolum Epiſcopum intelligendum eſſe confirmans, ut refert *Fagnanus* in 4. librum Decretalium, tit. *De clandeſtina Deſponſatione* cap. *Cum inhibitio*.

Conc. Narbonenſe anno 1609. cap. 22. Denuntiationum prætermittendarum licentiam ab Officialibus concedi vetat. „ „ Matrimoniales (*inquit*) denuntiationes ſolus Epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus Vicarius generalis, ex cauſa bene nota, remittat; Officiales vero ſuper illis diſpenſare non attendabunt, cum illud illis prohibitum ſit, prout præſenti Decreto prohibemus „ „.

REGULA XXIV.

Diſpenſationes, ſeu remiſſiones denuntiationum matrimonio præmittendarum, ſine cauſa gravi, ac juſta concedi non debent; idque gratis. Unde redimendorum (ut vulgo loquuntur) Bannorum non probanda conſuetudo.

Concilii Pariſienſis anno 1429. celebrati can. 33. ea de re obſervari expediret. „ „ Epiſcopis (*inquit*) Archidiaconis, & aliis, quibus de jure, vel conſuetudine competit, injungimus, ne de cætero ita faciliter diſpenſent ſuper Bannis in matrimonio concedendis, etiam prætextu cujuſcunque pecuniæ, ſicut hactenus diſpenſare conſueverunt „ „. De remiſſione, & redemptione denuntiationum ſive bannorum.

Regia Conſtitutio Blæſis edita diſpenſationem ſuper denuntiationibus concedi vetat, niſi poſt primam denuntiationem, ſive proclamationem, idque ex urgenti duntaxat, & legitima cauſa, & poſtulantibus præcipuis, proximiſque parentibus contrahentium. Urgente tamen gravi neceſſitate diſpenſationes omnes, hoc etiam in regno Epiſcoporum judicio remittuntur.

Juſtæ autem hac in re diſpenſandi cauſæ hæ præcipuæ ſunt. Prima, quam Tridentina Synodus exprimit: „ Si probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium „ malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes „. Quæ ſint juſtæ cauſæ remittendi denuntiationes.

Secunda, quando ſine infamia contrahentium fieri denuntiationes non poſſunt, cum ſcilicet aliquo impedimento dirimente intercedente, nihilominus contraxerunt, quod matrimonii tempore occultum, poſtea ad Eccleſiæ notitiam perlatum eſt; vel cum in concubinatu vixerunt, & tamen pro veris conjugibus ſunt habiti, legitimoque matrimonio e peccato emergere volunt.

Tertia, quando ſine gravi animæ, aut rerum etiam temporalium diſcrimine, differri nuptiæ non poſſunt; ut ſi vir ſit in periculo mortis conſtitutus, aut debeat ſubito longum iter ſuſcipere; & neceſſe ſit contrahi connubium, ut ingenuæ mulieris honori conſulatur, & proles jam nata, vel concepta legitima fiat.

Quarta, cum duobus, ad vitandum peccatum, ſcandalum, vel infamiam, vel periculoſas lites, & vexationes ex parte parentum, aut tutorum, expedit quamprimum nuptias inire, & periculum eſt in mora, ne alterius animus ex levitate, infidelitate, aut aliorum ſuaſionibus immutetur; quæ cauſa maxime urget, cum ambæ ſimul partes in ſtupro deprehenſæ, in matrimonium conſentiunt.

Quinta, quando virgo ſub tutela iniqui tutoris eſt, qui eam viro ignobili, & diſpari tradere vult, aut ſub poteſtate noverçæ, quæ vult eam in monaſterium protrudere.

Sexta, quoties inter contrahere volentes diſparitas eſt, conditionis, ætatis, divitiarum; quando ſcilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honeſtæ vitæ cum meretrice, aut infami contrahere vellet matrimonium. Viro enim, qui ſui juris eſt, meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem, ut eam a peccato revocet, idque inter opera charitatis non minimum, facientibus in remiſſionem peccatorum proficere, reſpondet *Clemens III.* cap. *Inter opera*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio.*

Septima, quando Principes contrahunt matrimonium, quod magna cum deliberatione fieri ſolet, ac impedimenta, ſi quæ intercedant, ſatis nota ſunt.

Quam

Quam cauſam, ſicut & præcedentem, *S. Anton.* approbat 3. p. tit. 1. cap. 16.

Octava, quando tempus urget, quo nuptiarum celebratio prohibita eſt, nec tamen differri poſſunt citra grave incommodum, aut animæ periculum, propter eorum, qui contrahere volunt, incontinentiam. Hanc cauſam approbavit S. Congregatio Conc. Trid. interpres, teſte *Zerola* in *Praxi Epiſcopali*, verbo *Matrimonium*, dubio nono An vero his, & illis perſonis concedenda ſit ob eam rationem diſpenſatio, prudentiæ, ac judicio Epiſcoporum relictum eſt. Paſſim concedendam non eſſe, pleriſque priſcæ diſciplinæ amantibus videbitur, ut *S. Carolo Borromæo*, & Conc. Mediolanenſi 5. viſum eſt p. 3. tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent.* Sic autem ſtatuit: „„ Matrimonii denuntiationes, quas aliquando ab Epiſcopo remitti, Conſtitutione Tridentina permiſſum eſt, is videat, ne ob aliam cauſam, quam ea ipſa conſtitutione cavetur, remittat; cum ſcilicet Ordinarii judicio veriſimilis ſuſpicio eſt, matrimonium malitioſe impediri poſſe. At vero ſi hæc cauſa non ſubeſt, quamobrem illas remittat, ea certe ſola, quod inſtat lacti Adventus, Quadrageſimæve tempus, neque neceſſaria eſt, nec vero cum ratione conſentiens; cum præſertim eo ſacro tempore, qui jam matrimonio juncti ſunt, ab illius uſu abſtinere potius conveniens ſit, nedum Sponſos una conjungi „„.

Conc. Rothomagenſe anno 1581. celebratum tit. *De Matrimonio*, denuntiationes abſque cauſa legitima remitti vetat. „„ Denuntiationes (*inquit*) vel omnino, vel ex parte remitti poſſunt pro ſolius Ordinarii judicio, non tamen abſque cauſa legitima, & rationi conſentanea, præſertim ſi qua ſit juſtarum oppoſitionum ſuſpicio. Petitur vero frequentius denuntiationum remiſſio ad cavenda maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam exercentur; vel ad declinandam populi inſultantis diu, noctuque, nuptiis maxime ſecundo, aut tertio repetitis, laſci-

Denuntiationes ſine cauſa legitima remitti non debent.

laſciviam „„. Tum cauſas iſtas legitimas, & rationi conſentaneas non eſſe innuit, alia proponendo remedia contra maleficia, alia media ad inſultus avertendos. „„ Contra maleficia (*inquit*) & ut digne Sacramentum accipiant, hortamur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum accedant. Sacerdos vero, ne ullum det maleficiis locum, cautius, & circumſpectius in nuptiarum benedictione ſe gerat. Nec omittant Paræciarum Rectores, populi circa nuptias petulantiam, ſub interminatione excommunicationis, advocato etiam (ſi opus fuerit) brachii ſecularis auxilio, compeſcere „„.

Concil. Turonenſe 1583. cap. 9. „„ Matrimoniis (*inquit*) clandeſtinis, ut amplius via præcludatur, omnes Epiſcopos a diſpenſationibus de duabus proclamationibus, & extra tempora nubendi, omnino abſtinere monemus, niſi ob cauſam legitimam, neceſſariam, eiſque cognitam, exiſtimaverint eſſe diſpenſandum: omnibus aliis perſonis Eccleſiaſticis non Epiſcopis a diſpenſationum hujuſcemodi concedendarum facultate excluſis „„

REGULA XXV.

Certis in caſibus, ubi gravis, & aperta neceſſitas urget, nec per temporis anguſtias adiri Epiſcopus poteſt, quia cito elaberetur occaſio, ſine proclamationibus contrahi poteſt matrimonium, etiamſi non ſint ab Epiſcopo remiſſæ.

Caſus urgentes, in quibus matrimonium ſine denunciationibus contrahi poteſt.

Id ut fiat certis in caſibus, probat Eccleſia, ut ſi vir ſit in præſenti mortis periculo, velitque ducere concubinam, quæ pro illius conjuge vulgo habebatur: & prolem ex ea ſuſceptam legitimam reddere; vel ſi vir, qui virgini ſtuprum intulit auctoritate publica, ſeu judicis ſententia compellatur ad matrimonium cum illa contrahendum ſtatim poſt cauſæ cognitionem, ut illius aboleat infamiam.

REGULA XXVI.

Si contrahentes ſint diverſarum parochiarum, denuntiationes in utriuſque parochia faciendæ ſunt. Si diverſarum ſint Diœceſium, parochus, ſive Epiſcopus eos matrimonio jungere non poteſt, niſi proclamationes factæ ſint in utraque Diœceſi in propriis parochiis, ac de illis teſtimonium habeat authenticum, ab Epiſcopo recognitum, & confirmatum; aut legitimam diſpenſationem in ſcriptis conceſſam.

Aliter enim impedimenta cognoſci facile non poſſent, plurimæque ad contrahendum inter ſe illegitimæ perſonæ fallerent Eccleſiam, & nuptialem Benedictionem ſurriperent. Id confirmat Conc. Aquenſis anno 1585. celebrati, & a *Sixto V.* approbati Decretum, in Tridentini executionem editum, tit. *De Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba; „„ Matrimonii denuntiationes a parochis tum demum fiant, cum vir, & mulier, eorumve parentes, vel ii, qui puellæ curam habent, id poſtularint. Quod ſi ambo diverſis in parochiis habitant, tum in unius, & alterius item parochia fiant. Eas autem denuntiationes ne ullas quidem remittere eis liceat, niſi proprii Epiſcopi conſenſu, idque cauſis jure permiſſis. Caveant autem parochi, ne alienæ parochiæ ſponſum, ſponſamve ante matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius parocho, ſi ejuſdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ Diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit, cujus teſtimonii fide ſibi teſtatum fiat, ex Trid. Concilii præſcripto, denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut Ordinarii ſui voluntate omiſſas eſſe; aut factas quidem, nullumque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum, quo minus tale matrimonium contrahi liceat. Illud vero teſtimonium, ſi a paracho alienæ Diœceſis fiat, ab Ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegaverit, ſubſcriptione, ac ſigillo comprobatum ſit; ſi vero in Diœceſi, a Vicario foraneo „„. Idem ſtatuit Conc. Narbonenſe an-

Denuntiationes niſi faciendæ.

anno 1609. Atque ita decreviſſe *Paulum V.* in Rituali refert *Chriſtophorus Marcellus*.

REGULA XXVII.

Teſtis unus ad matrimonium impediendum ſufficit, modo juxta formam juris impedimentum teſtificetur.

De teſtimoniis ad matrimonium impediendum neceſſariis.

Nititur hæc Regula cap. *Super eo*, Ext. *De Teſtibus, & Atteſtationibus*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum *Matthæo* Cardinali datum. „„ Super illa quæſtione, (*inquit*) an mulier conjungenda non ſit viro, pro eo, quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur: reſpondemus, quod ſi non eſt firmatum matrimonium inter eos, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi, quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant. Si vero matrimonium eſt firmatum, non debet ſine plurium juramento diſſolvi „„.

Et cap. *Præterea*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod reſponſum eſt ejuſdem Pontificis Epiſcopo ſanctæ Agathæ datum. „„ De muliere (*inquit*) quæ a viro impetitur, cujus conſanguineus cum ea ſe deliquiſſe proponit, ſed hoc publice confiteri recuſat propter metum, & potentiam mulieris; taliter reſpondemus, ut matrimonium ipſum fieri (niſi juramentum interveniſſet) diſtricte prohibeatis, ne deterius inde contingat „„. Itaque ſi juramentum intervenerit, matrimonium prohiberi non debet propter ſecretam unius de impedimento hujuſmodi confeſſionem, niſi alibi probetur legitimis documentis.

Idem confirmat *Innoc. II.* Epiſcopo Bellovacenſi reſpondens, cap. *Cum in tua*, ſub eodem titulo.

Forma vero teſtificandi his in cauſis præſcribitur c. *Tua nos*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate*; teſtes ſcilicet, qui conſanguinitatem, vel affinitatem teſtificantur, gradus aſſignare debere, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis deſignando perſonas;

nas; & a ſtipite, id eſt, a parentibus, vel germanis incipere debere, ubi de conſanguinitate agitur.

REGULA XXVIII.

Fama publica alicujus impedimenti matrimonium contrahendum impedit.

An fama impedimenti matrimonium ſuſpendere debeat.

Ita declaravit *Urbanus III.* Burdigalenſi Archiepiſcopo reſpondens, cap. *Super eo*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate*, cujus hæc ſunt verba: „„ Super eo, quod juvenem aſſeris puellam quamdam nondum nubilem fide interpoſita deſponſaſſe; quæ jam facta nubilis eum repetit, & ille excipit dicens: Se non debere eam ducere, pro eo, quod poſtquam puellam affidavit eamdem, carnaliter propinquam ipſius cognovit. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi manifeſtum eſt, juvenem cognoviſſe propinquam prædictæ puellæ; vel, ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet: cum eſſet ſponſata tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet abſolvi „„.

REGULA XXIX.

Teſtimonium de auditu ad matrimonium impediendum, multo minus ad dirimendum ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, non ſufficit, niſi ſecundum formam juris feratur.

Forma illa præſcripta eſt a Concilio generali Lateranenſi 4. ſub *Innocentio III.* c. 52. & habetur c. *Licet ex quadam*, Ext. *De Teſtibus*, cujus hæc ſunt verba: „„ Statuimus, ne ſuper hoc recipiantur de cætero teſtes de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat; niſi forte perſonæ graves extiterint, quibus fides ſit merito adhibenda, & ante litem motam teſtificata didicerint ab antiquioribus quidem ſuis; non utique ab uno, cum non ſufficeret ille, ſi viveret; ſed duobus ad minus; nec ab infamibus, & ſuſpectis, ſed a fide dignis, & omni exceptione majoribus; cum ſatis videretur abſur-

ſurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores. Nec tamen ſi unus a pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint, quod teſtantur, tanquam plures & idonei teſtes debent admitti; cum ſecundum ordinem ſolitum judiciorum non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi prælidiali refulgeat dignitate, & actus legitimi ſint infamibus interdicti „ „.

„„ Teſtes autem hujuſmodi proprio juramento firmantes, quod ad ferendum teſtimonium in cauſa ipſa odio, amore, & timore, vel commodo non procedant, perſonas expreſſis nominibus, vel demonſtratione, vel circumlocutione ſufficienti deſignent, & ab utroque latere ſingulos gradus clara computatione diſtinguant; & in ſuo nihilominus juramento concludant, ſe accepiſſe a ſuis majoribus, quod deponunt, & credere ita eſſe. Sed nec tales ſufficient, niſi jurati deponant ſe vidiſſe perſonas, vel ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas pro conſanguineis ſe habere. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta hominum ſeparare „ „.

REGULA XXX.

Sponte oblata juramenta parentum, contra perſonæ gravis, & fide dignæ denuntiationum, quæ famam, vel ſcandalum probat, prævalere non debent, in cauſis impedimentorum matrimonii.

De parentum juramentis in cauſis impedimentorum matrimonii ſponte oblatis.

Hæc Regula nititur c. *Cum in tua*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod eſt *Innocentii III.* reſponſum Bellovacenſi Epiſcopo datum: „„ Si perſona gravis (*inquit*) cui fides ſit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui ſunt matrimonio copulandi, ſe propinquitate contingant, & de fama, vel ſcandalo doceat; aut etiam per teipſum poſſis certificari de plano; non ſolum debes juramenta parentum ſponte oblata non recipere, verum etiam eos, qui ſic contrahere nituntur, ſi moniti, induci nequiverint,

sint, compellere, ut a tali contractu desistant; vel contra famam hujusmodi, secundum tuæ discretionis arbitrium, juramenta exhibeant propinquorum. Alioquin si persona denuntians non extiterit talis, vel de fama, vel de scandalo non poterit edocere; ad desistendum monere poteris, non compellere contrahentes „„.

REGULA XXXI.

Qui intra quatuor menses post peractas denuntiationes matrimonium non contraxerunt, postmodum non possunt contrahere, nisi novæ denuntiationes Episcopi arbitrio fiant.

Quando denuntiationes sint iterandæ.

Sic edixit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum. Imo si denuntiationibus factis, matrimonium ultra duos menses differatur: „„ Ne idem antea parochus celebret, quam iterum denuntiationes ex Concilii Trid. præscripto fecerit, edixeritve, si modo aliud Episcopus non concesserit „„, statuit Concil. Mediolanense 5. tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent.*

REGULA XXXII.

Matrimonium clandestinum vim Sponsaliorum non habet. Unde contrahentes nec publica auctoritate, neque a Confessariis cogi possunt ad contrahendum secundum formam Concilii Trid.

An Matrimonium clandestinum vim Sponsaliorum habeat.

Nulla enim obligatio nec civilis, nec naturalis oritur ex consensu præstito in matrimonio clandestino, quia actus a principio nullus nullum producit effectum; actus autem gestus contra legem, quæ substantiam actus prohibet, nullus est (ut Jurisconsulti loquuntur) ac proinde nullam obligationem infert.

Id confirmat Concilium Mediolanense 5. P. 3. tit. De Matrimonio: „„ Qui testibus adhibitis (*inquit*) at sine parocho aliove Sacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto con-

contraxerit; ne eos cogi liceat, ut denuo inter se contrahant; nec rursus eo nomine impediri, quominus eorum unusquisque cum aliis libere contrahat; cum illud eorum factum, ne Sponsalium quidem, nedum matrimonii vim habeat „ „. Atque ita judicavit sacra Congr. Concilii.

REGULA XXXIII.

Tridentini Concilii Decretum obligat iis omnibus in locis; in quibus est promulgatum.

Id constat ex ipso Concilio sess 24. *De Reformatione matrimonii*, c. 1. „ „ Hujusmodi decretum (*inquit*) in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos „ „.

REGULA XXXIV.

Parochus librum habere debet; in quo conjugum; & testium nomina, dieinque, & locum contracti Matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat.

Ita sanxit sacra Synodus Tridentina; ibidem; quod Synodi provinciales postea celebratæ executioni mandari jusserunt.

ARTICULUS III.

De Consensu parentum.

PROPOSITIO PRIMA.

Rata sint Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta.

De Matrimonio filiorum familias sine parentum consensu.

Id enim postulat libertas matrimonii, de qua Apostolus 1. ad Cor. 7. *Cui vult* (inquit) *nubat, tantum in Domino.* Quod etsi de vidua dictum est, pari tamen ratione de omnibus aliis utriusque sexus nubentibus est intelligendum, ut ibidem innuit: *Dico* (inquit) *non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic per-*

permanſerint, ſicut & ego; quod ſi non ſe continent, nubant, cui ſcilicet placuerit. Quod & veteris Teſtamenti ſcriptura docet Gen. 24. ubi *Rebeccæ* parentes ajunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.* Et Num. ultimo, de filiabus *Salphaad* dicitur: *Nubant, quibus volunt, tantum ut ſuæ tribus hominibus.*

Id & recta ratio ſuadet. In iis enim eligendis, & conſtituendis, quæ ad totius vitæ ſtatum pertinent, cujuſmodi ſunt matrimonium, vel continentia perpetua, vitaque monaſtica, liber quiſque eſt, nec alicui ſubditus niſi Domino Deo. In diſciplina ſcilicet domeſtica, & moribus alter alteri præeſſe poteſt, non autem in his, quæ ad naturam pertinent, aut eam conſequuntur, ut eſt generatio prolis. Quamobrem mutuo contrahentium conſenſu inter perſonas legitimas perfici matrimonium Canones ſtatuunt, cap. *Cum locum*, Ext. *De Sponſalibus*, & *Matrimonio*, c. *Licet*, & c. *Tua*, Ext. *De ſponſa duorum.*

Id confirmat *S. Ambr.* lib. 1. *de Virginibus* c. 10. „ Si hominem vellent amare filiæ veſtræ (*inquit*) „ per leges poſſent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet „? Et lib. *de Virginitate*, c. 5. „ „ An indignum videtur, ut ſacratæ Virgines a ſacroſanctis Altaribus non abducantur ad nuptias? Et quibus licet Sponſum eligere, non abducantur ad nuptias? Et quibus licet Sponſum eligere, non licet Deum præferre „ „.

Idem confirmat *S. Auguſt.*, Ep. 254. alias 223. ad *Benenatum*, de puella quadam ſcribens nondum viro matura, de cujus matrimonio jam agebatur. „ „ Fortaſſis (*inquit*) quæ nunc non apparet, apparebit; & mater, cujus voluntatem in tradenda filia, omnibus, ut arbitror, natura præponit; niſi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentiare ſibi eligat ipſa, quod velit „ „.

Id docet *S. Thomas*, 2. 2. q. 104. art. 6. „ „ Tenetur (*inquit*) homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda; in quibus tamen ſe-

ſecundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent; homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo; quia omnes homines natura ſunt pares; puta, in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel Virginitate ſervanda; aut aliquo alio hujuſmodi „ „. Conjugium certe ſervorum invitis dominis ratum eſſe, nemo diffitetur; ut habetur c. *Dignum eſt*, Ext. *De conjugio Servorum*. Multo magis ergo matrimonia filiorum familias invitis parentibus rata ſunt; ſiquidem major eſt ſervorum ſubjectio reſpectu dominorum, quam filiorum reſpectu parentum.

Rata ſunt.

Itaque ſancta Synodus Tridentina, ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, c. 1. jure damnandos illos cenſuit: „ „ Ut eos anathemate damnat, qui falſo affirmant, matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe „ „.

Anathema illud Trid. Concilii Lutheranos, & Calvinianos hæreticos ferit, qui pertinaciter aſſerebant, matrimonia filiorum familias ſolo parentum diſſenſu, aut conſenſu irrita, vel legitima eſſe jure naturali, & divino, nulloque habito reſpectu ad leges Eccleſiæ.

Quid leges principum hac in cauſa poſſint.

Legibus quidem romanis irrita fuiſſe conjugia filiorum familias invitis parentibus contracta, pleræque Digeſti, & Codicis leges probant, tit. *De Ritu nuptiarum*; *& Juſtinianus* lib. 1. *Inſtitutionum*, c. 10. *De Nuptiis*; ſed irrita duntaxat declarate potuerunt quoad civiles effectus, non autem quoad ſubſtantiam, & quoad rationem Contractus & Sacramenti. Sane jus romanum intellexit *Paulus* Juriſconſultus lib. 2. Sentent. tit. 14. ſcribens: „ „ Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur; ſed contracta non ſolvuntur; contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur „ „. Idem confirmat Formula 16. inter illas, quas illuſtris *Bignonius* ſub hoc titulo edidit:

For-

Formulæ veteres ſecundum Legem romanam, quæ ſic habet: „ Viventibus patribus, inter filios familias, „ ſine voluntate eorum, matrimonia non legitimè „ copulantur, ſed contracta non ſolvuntur „. Si ergo pater juſtam rationem habuit non probandarum hujuſmodi nuptiarum, injuſtæ nuptiæ, injuſta uxor, injuſti liberi. *Nulla dos, nulla uxor*, ut *Juſtinianus* ait, in *Inſtit. de Nuptiis.* Non tamen diſſolvitur matrimonium, etiam jure civili romano, ut explicant inſignes, & eruditi Juriſconſulti *Cujacius*, *in lib.* 35. *Pauli ad Edictum. Ad L.* 2. *&* 10. *De Ritu nuptiarum*, & *Dionyſius Godefridus in L. Filius* ff. *de Ritu Nuptiarum.*

Nec aliter intelligenda ſunt Regum chriſtianiſſimorum edicta, quæ matrimonia filiorum familias invitis parentibus *Invalide contracta* declarant, invalide (inquam) quoad effectus quoſdam civiles, non quoad rationem Sacramenti, ſive quoad ſubſtantiam Contractus, qui materia Sacramenti proxima eſt, ut conſtat ex *Henrici II.* Conſtitutione Pariſiis edita anno 1566. ex Conſtit. *Henrici III.* Blæſis edita, anno 1579. art. 41. Conſtitutionibus *Ludovici XIII.* editis anno 1629. & 1639. quibus quidem ab omni hæreditate repelluntur filii familias, qui parentibus invitis matrimonium contraxerint, omnibuſque juribus, & commodis, vi matrimonialium contractuum, & teſtamentorum, legumve, aut conſuetudinum municipalium beneficio illis alias quærendis, cum ipſi tum eorum filii, & nepotes in perpetuum privantur; ſed matrimonii ſic contracti ſubſtantiam, firmitatem, rationemque Sacramenti non attingunt, ut Regis nomine Clero gallicano reſponderunt illuſtriſſimi Commiſſarii ab ejus Majeſtate deputati anno 1629. utque oſtendit doctiſſimus Præſul *Iſaacus Habertus* Epiſcopus Vabrenſis, in libr. *De Juſtitia connubialis Edicti*, a juſto Rege *Ludovico XIII.* conditi, quo inauſpicatum quemdam libellum, qui ſub nomine Optati Galli, *De cavendo Schiſmate*, in lucem prodierat, refellit, edictique Regii æquitatem

Regum chriſtianiſſimorum edicta.

contra larvatum auctorem egregie defendit. „ „ Non multum (*inquit*) laborandum eſt de conciliandis Regiis edictis cum Eccleſiæ ſententia; nullo ſiquidem unquam edicto matrimonia filiorum familias invalida, ac nulla eſſe abſque conſenſu parentum, tutorumve conſtitutum eſt, etſi hic error multis impoſuerit; prohibita quidem ſunt, ſed invalida; & nulla eſſe, haud quaquam definitum. Unde etiam Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Rex chriſtianiſſimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac auſterius interdixit; invalida tamen, ac nulla eſſe contra Tridentinæ Synodi Decretum, ac Theologorum unanimem etiam in regno ſuo ſententiam minime ſanxit „ „.

Et infra. „ „ Intelligendum eſt, illud omne, quod in matrimonio juris divini poſitum eſt, Sacramentale eſſe, proindeque ad Eccleſiam ſpectare, quæ divini juris contritionem interpretationemque abſolutiſſimam ſola in terris erroris, culpæque expers, columna, & firmamentum veritatis exercet. Unde tanquam divini juris interpretis, ac oraculi, de veritate, validitate, ſubſtantia, cauſis, partibus, contractu, conſenſuque, ut materia, & forma, conditionibus, effectibuſque Sacramenti matrimonii decernere, unius Eccleſiæ eſt. Id fidei caput eſſe, nemo dubitat Orthodoxus. Ex his omnibus chriſtianiſſimus Princeps, ſi quid in edicto ſuo attigit, illud non ut ex ſui, ſed divini, vel eccleſiaſtici juris Conſtitutione præjudicatum expreſſit. Verum alia ſunt ad matrimonium pertinentia, quæ Sacramentum ipſum non componunt, aut efficiunt; ſed antecedunt, comitantur, aut conſequuntur, ut reverentia, ac metus parentum, publicæ legis, & conſuetudinis obſervantia, familiæ decus, & ornamenta, honeſtatis, & pudoris ſalus, famæque ſolicitudo, pactorum integritas, rerum, & fortunarum conſervatio, hæreditatum, ac ſucceſſionum jura, aliaque id genus quam plurima, quæ Principem tanquam boni publici inſpectorem, arbitrum, vindicemque reſpiciunt. Ea vero ſunt, de quibus, non ſub nullitate (ut inquiunt)

aut

sint juris divini, canonicique pœnis, sed civilis plane juris dicendi forma, Rex justissimus edicto suo cavit, cavere potuit, ac debuit „„

PROPOSITIO II.

Ecclesia Canonem condere potest, quo irrita reddantur Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta.

Potestas Ecclesiæ in matrimonia.

Cum enim fide certum sit, Ecclesiam impedimenta matrimonii constituere posse; cumque clandestina antea rata, deinceps irrita fore declaraverit; minime dubitandum est; quin eodem jure potuerit matrimonia filiorum familias, repugnantibus parentibus contracta irrita declarare. In Ecclesia græca hæc olim disciplina viguit, ut compertum est ex Ep. *S. Basilii* ad *Amphilochium*, can. 42. cujus hæc sunt verba: „„ Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint. Tunc enim accipit firmitatem conjugium „„ Ad tempus usque Schismatis, & deinceps hanc disciplinam in Ecclesia græca viguisse, constat ex Nomocanone *Photii*, Tit. 13. c. 9. ex *Balsamone*, qui Nomocanonem commentatus est, & ex jure græco Romano To. 1. p. 205. & To 2. p. 101.

Vetus Ecclesiæ græcæ disciplina.

Cæterum hanc in Ecclesiam latinam admittendam non esse judicavit sacra Synodus Tridentina, ne matrimonii libertatem minueret, & quia contingit interdum, ut filii parentibus sint prudentiores. Deinde, quia parentes quandoque sunt perversæ, aut suspectæ religionis; quos proinde verisimile est uxorem filio quæsituros, sive filiæ maritum, per quos a catholica Religione avocentur. Tertio, quia contingit parentes esse sordide avaros, qui ne dotem numerare cogantur, filiarum nuptias procrastinant, magno salutis earum detrimento; aut certe filiis uxores quærunt dote divites magis quam bonis moribus

Diversa Ecclesiæ latinæ disciplina.

Ejus rationes.

ornatas; aut imparibus, & indignis conjugiis filios, & filias copulare volunt, aut iis dare, quos non diligunt. Ex quibus omnibus quanta mala oriantur, nemo non videt. Quarto, quia contingit interdum, ut liberos etiam invitos in monaſterium detrudere velint, nunquam in eorum nuptias conſenſuri. Poſtremo, quia multi ſunt filii extra parentum poteſtatem conſtituti, ut vidui, ac viduæ, vel quocunque modo emancipati, & qui in regionibus a parentibus longe diſſitis degunt, vel qui ætate, ac rerum peritia multum ſunt provecti, parentibus ipſis, vel dudum mortuis, vel præ ſenio delirantibus. Quos omnes ea lege conſtringi, ut ſine parentum, vel propinquorum conſenſu matrimonia illorum rata non eſſent, minus æquum fore judicavit ſacra Synodus.

PROPOSITIO III.

Lethaliter peccant filii familias, qui parentibus inconſultis, vel juſta ex cauſa repugnantibus, & invitis, Matrimonium contrahunt.

Quam grave peccatum filiorum inconſultis, aut invitis Parentibus nubentium.

Id enim vetat divina Lex de honore, & obſervantia parentum lata. Hinc illi, quos Scriptura ſacra commendat, fere non leguntur inconſultis parentibus uxores accepiſſe. Nam de Iſaac, & Jacob Patriarchis clare Scriptura teſtatur, quod parentum conſiliis, & voluntati in ducendis uxoribus fuerint obſecuti, *Gen.* 24. & 28. Samſon ſine conſenſu parentum mulierem, quam valde amabat, ducere noluit. *Judicum* 14. Tobias quidem uxorem duxit inconſulto patre; verum id fecit longe remotus a parentibus, & ejus conſilio, cui tanquam duci, ac moderatori fuerat a patre commendatus, nec dubitans quin ratum habiturus eſſet pater, quod illius conſilio a ſe factum eſſet. Id denique fecit Deo intus inſpirante, qui exterius ipſi per Angelum ſuum loquebatur. Ad hæc, *Exodi* 34. & *Deuteronomii* 7. præceptum de conjugio filiorum parentibus potius datur quam filiis; ne videlicet cum Chananæis jungantur:

tur: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. Non inibis cum eis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Iſraelitis Babyloniam translatis (*Jeremiæ* 29.) præcepit Deus: *Date filiis veſtris uxores, & filias veſtras date viris*, &c. Id confirmat *S. Paulus* 1. ad Cor. 7. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

Huic Propoſitioni robur addit Patrum auctoritas. *Tertulliani* lib. 1. *ad Uxorem*, ſcribentis: „ Nam nec „ in terris filii ſine conſenſu Patrum recte, & jure „ nubunt „.

S. Ambroſii lib. 1. *De Abraham*, c. ultimo, ubi de Rebecca loquens: „ „ Conſulitur (*inquit*) puella non de ſponſalibus, nam illa judicium expectat parentum; non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum. Unde illud Euripideon, quod mirantur plerique, unde translatum ſit, manifeſtum eſt: *Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit; hoc enim non eſt meum.* Ergo quod & ipſi Philoſophi mirati ſunt, ſervate Virgines. Sed etiam mulieres, ſi qua amiſſo cito marito adoleſcentula, laqueum infirmitatis ſuæ timet incidere, ut, ſi vult nubere, nubat tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat „ „. Euripides in Andromacho.

S. Leonis, Ep. ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum: „ Paterno (*inquit*) arbitrio viris junctæ carent culpa, &c „.

Idem confirmant Canones. Canon. *Aliter*, ſub *Evariſti* Papæ nomine relatus cauſa 30. q 5. & in lib. 7. Capitularium, c. 463. tranſcriptus: „ „ Aliter (*inquit*) legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus ſponſetur, & legibus dodetur. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos, atque hæreditabiles generabunt „ „.

Canon, *Videtur nobis*, ſub *Cæleſtini* Pontificis nomine relatus cauſa 35. q. 6. verius *Clementi III.* tribuendus, Ext. *Qui matrimonium accuſare poſſunt*, parentes, fratres, & cognatos utriuſque ſexus in teſtificationem ad matrimonium ſuorum conjungendum, vel dirimendum admitti jubet, ſecundum antiquam conſuetudinem, & ſecundum leges. „ „ Qui enim (*inquit*) melius recipi debent, quam illi, qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe, ita ut ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundum leges nullum fiat matrimonium „ „?

Hormiſdas Pontifex, can. *Tua ſanctitas*, cauſa 31. qu. 2. „ „ Poteſt (*inquit*) de filio nondum adulto, voluntas cujus nondum diſcerni poteſt, pater eum, cui vult, in matrimonium tradere; & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino obſervare, & adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus ſancitum a nobis tenendum mandamus „ „.

Puellam, cujus pater ſervus erat, non illius, ſed avi liberi, qui paternæ poteſtatis jura in ipſam conſervabat, conſenſum ad ineundum matrimonium obtinere debere, reſpondet *Pelagius* Papa, Canone *Patrem*, cauſa 32. q. 3. „ Et ideo (*inquit*) avi magis electionem de conjunctione neptis, quam Patris ejus, cujus nullo modo liberum poteſt eſſe arbitrium, decernimus attendi „.

Nicolaus I. in reſponſis ad Conſulta Bulgarorum, matrimonia celebranda eſſe ſcribit: *Conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt.*

Alexander II. apud *Ivonem Carnutenſem* P. 3 Decreti, c. 17. Juvenem quemdam, qui juramento ſe obſtrinxerat ad concubinam ſuam, eamdemque conſanguineam, ducendam in uxorem, reum eſſe ſcribit adulterii, inceſtus, perjurii. Probat autem reum eſſe perjurii, quia *Quod obſervare legaliter non potuit ſine judicio Parentum, vel judicum, temere juraſe præſumpſit.*

Conc.

Conc. Aurelianenſe 4. anno 541. celebratum, can. 22. matrimonium contra parentum voluntatem impie contrahi aſſerit. Can. ſcilicet 22. ſtatuit; „ „ Ut nullus per imperium poteſtatis, filiam competere audeat alienam; ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur. Sed ſicut eſt prohibitum, non admittatur; & his, qui perpetraverint, excommunicationis ſeveritas pro modo piaculi imponatur „ „.

Concilium Pariſienſe 6. anno 557. Can. 4. ſtatuit; „ „ Ut nullus viduam, neque filiam alterius, contra voluntatem parentum, aut rapere præſumat, aut Regis beneficio æſtimet poſtulandam. Quod ſi fecerit, ſimiliter ab Eccleſiæ communione ſemotus, anathematis damnatione plectatur „ „.

Concilium Turonenſe 2. anno 567. Can. 20. Virginum Deo ſacratarum, & Viduarum, quæ poſt mutatam veſtem nupſerint, inanes excuſationes refellens; trium Franciæ Regum Edicta illis opponit, quibus vetitum erat, ne quis puellam ſine parentum conſenſu in uxorem duceret. „ „ Et excludatur (*inquit*) excuſationis adinventio, quam modo aliquæ dicere meditantur, quod propterea ſe veſte mutaverint, ne eas inferiores perſonæ macularent; cum non ſolum Domini gloriolæ memoriæ Childebertus, & Clotharius Reges conſtitutionem legum de hac re cuſtodierint, & ſervaverint, quam nunc Dominus Charibertus Rex ſucceſſor eorum præcepto ſuo roboravit, ut nullus ullam puellam abſque parentum voluntate trahere, aut accipere præſumat. Quæcunque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad Eccleſiam, donec propinqui poſſint eam Principis imperio, aut Sacerdotis, vel Eccleſiæ beneficio liberare, & defenſare, ac condigno ſociare marito „ „.

Et cap 455. lib. 7. Capitularium, *De qualitate virginis in conjugio*, inſcriptum, ita ſtatuit. „ „ Sciſcitandum eſt, ſi vult pater virginis, quia caput mulieris vir, Requirenda eſt a patre voluntas virginis,

cum Deus relinquat hominem in manibus consilii sui „ „.

Concilium Colonienſe anno 1536. celebratum, tit. *De Administratione Sacramentorum*, c. 43. „ „ Optandum (*inquit*) ut Canon Evaristi Pontificis Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ invitis parentibus, ac propinquis, veneris potius quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis matrimoniis mala suboriantur, in aperto est. Interea vero donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ canonicæ, hoc est, excommunicationi, contrahentes, & qui his ope, aut consilio adfuerint, subjaceant; quam nec tam facile, nisi Ecclesiæ satisfiat, tolli, admodum expedire nobis videtur. Quantum fieri potest, cavebit parochus, ne liberos citra parentum auctoritatem conjungat. Quod si parentes negligentes fuerint, aut in admittendo matrimonio jam contracto rigidiores negatores, admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, neve vinculo jam per Ecclesiam indissolubili pertinacius obluctentur „ „.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Nullatenus in Galliis parochi filios familias minores triginta annis, & puellas minores annis viginti quinque completis matrimonio conjungere debent invitis parentibus, sed eorum consensum in scriptis exigere tenentur.

De consensu Parentum Regum christianissimorum constitutiones.

Ita sancitum est Regum christianissimorum *Henrici II. Henrici III. Ludovici XIII.* Constitutionibus, quibus parere tenentur omnes, & singuli Regis Galliæ subditi; siquidem justissimæ sunt, ad promovendam nempe pietatem, & filiorum erga parentes observantiam, divina Lege præscriptam, ordinatæ, quamobrem illis necessario parendum est; *non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam,*

tiam, (ut Apoſtolus monet.) Nec movere debet, quod poſſet quis cauſari incontinentiæ periculum, ut leges illas conſcientiam non ligare exiſtimemus. Eadem enim ratione ſequeretur, leges ab Eccleſia latas conſcientiam non obligaſſe. Suis enim legibus prohibuit olim Eccleſia publice pœnitentibus, ne matrimonium contraherent, ut conſtat ex Concilio Arelatenſi 2. can. 21. Toletano 6. can. 8. & aliis pleriſque Synodis. Inceſtus reis ſpem omnem conjugii abſtulerunt Concilium Vermerienſe Canonibus 2. 10. 11. 12. & 18. Compendienſe Canonibus 8. 10. 14. & 15. Moguntinum can. 56. Triburienſe Canonibus 43. 44. & 45. qui Canones in Regum noſtrorum Capitularibus promulgati, vim publicæ legis in judiciis etiam civilibus habuerunt. Eum, qui Epiſcopum occidiſſet, abſque ſpe conjugii perpetuo manere decrevit Concilium apud *Theodoniſvillam* c. 4. Idem ſtatutum eſt de illis, qui Presbyterum, Diaconum, vel Monachum interfeciſſent, libr. 6. Capitularium, c. 98. quod in ſua Collectione tranſcripſit *Iſaac* Lingonenſis Epiſcopus Tit. 2. c. 9. & Conc. Troslejanum Canoni ſuo 13. contra homicidas edito, inſerunt. Viduis Subdiaconorum, Exorciſtarum, Acolythorum ſecundas nuptias interdixit Concilium Matiſconenſe ſecundum, canone 16. Viduis Presbyterorum, & Diaconorum idem prohibet Concilium Antiſiodorenſe can. 22. Puellæ, quæ raptori conſenſerat, perpetuam continentiam indixerunt Regum noſtrorum Capitularia, Epiſcoporum conſilio edita, & ab Eccleſiis illorum imperio ſubditis olim recepta, & obſervata, lib. 6. c. 96. „ „ Ipſa namque quæ rapitur, ſi aut primo, aut poſtmodum tam nefario ſceleri libens conſenſerit, nunquam poſtea nubat, ſed publica pœnitentia mulctetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat „ „. Quod caput *Iſaac* Lingonenſis Epiſcopus Titulo Collectionis ſuæ undecimo refert. Quis dicere audeat has Eccleſiæ, Principumque concordantes leges conſcientias eorum, quibus latæ erant

non obligaſſe? Et tamen incontinentiæ periculum cauſari poterant. Sed hæc excuſatio non movebat Eccleſiam, cui certum erat, Deum gratiam incontinentiæ illis non negare, qui illam a Deo poſtulant, ut oportet. Nam *Fidelis Deus eſt* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. 13.) *qui non patietur vos tentari ſuper id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Qua ſententia innititur Concilii Trid. Seſſionis 24. can. 9. „ „ Si quis dixerit, poſſe omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari „ „.

Quod ſi quædam incommoda ex his legibus ſequantur in paucioribus, quæ legum omnium humanarum conditio eſt, majori certe, & publica utilitate compenſantur, familiarum, adeoque & reipublicæ commodis, & pace, clandeſtinorum conjugiorum, & quæ veneris potius, quam Dei cauſa contrahuntur, extirpatione. Parentes tamen in filiorum, & filiarum ſuarum collocatione, ſive matrimoniis permittendis, quando convenientia ſunt, difficiles, & moroſos monere, & adhortari poſſunt, & debent Epiſcopi, & parochi, ne paterna poteſtate, legumque beneficio abutantur.

REGULA II.

Qui patre, & matre ſunt orbati, & præſcriptam regiis Conſtitutionibus ætatem nondum attigerunt, non ſunt matrimonio conjungendi, niſi Tutorum, & Curatorum conſenſus appareat.

De conſenſu Parentum, vel tutorum.

Sic edixit *Henricus III.* Rex chriſtianiſſimus Conſtitutionis Bleſenſis art. 12. quæ *Ludovici XIII.* Edicto confirmata eſt; nec immerito, cum tutores, & curatores vice parentum conſtituti, adoleſcentiam, & primam juventutem pupillorum, conſilii ut plurimum inopem, ac præcipitem, ob ferven-

tes

tes cupiditates, & novitiorum cordium lubricam in laqueos amoris propenſionem, dirigere debeant, ac moderari. Quare peccati lethalis rei eſſent pupilli, qui abſque tutorum, & curatorum conſenſu matrimonium contraherent.

REGULA III.

Parochi filios, & filias, qui præſcriptam regiis Conſtitutionibus ætatem attigerunt, conjungere matrimonio non debent, niſi conſilium parentum ſcripto illos rogaſſe conſtet.

Ita ſancitum eſt regia Conſtitutione Bleſenſi, & Edicto *Ludovici XIII.* Filii, qui huic erga parentes officio defuerint, ab hæreditate excludi poſſunt parentum ipſorum arbitrio; ipſoſque contra legem divinam lethaliter peccare, minime dubium eſt, cum in re tanti momenti, ex qua totius vitæ ſtatus pendet, conſilium parentum exquirere contemnant, quo in officio maximum eſt reverentiæ, & obſervantiæ in parentes a Deo præceptæ, argumentum.

REGULA IV.

Matrum, quæ ad ſecundas nuptias convolarunt, conſilium ſatis eſt, ut rogent filii, nec earum conſenſum tenentur expectare.

Ita ſancitum regia Conſtitutione *Henrici II.* ab *Henrico III. & Ludovico XIII.* confirmata.

REGULA V.

Quamvis parentes in Galliis filios, qui abſque illorum conſenſu Matrimonium contraxerunt, exhæredes teſtamento declarare poſſint, donationeſque omnes in eorum favorem factas revocare; neque illis neganda ſint Sacramenta, qui ſolo juſtitiæ ſtudio, ad exemplum aliorum, & ut pœna iſta filiis proficiat ad emendationem, & ſalutem, id præſtiterint; pietas tamen poſtulat, ut Epiſcopi, parochi, & Confeſſarii parentes filiis placare, & reconciliare conentur, illiſque perſuadere, ne ſecundum legum ſeveritatem in ipſos agant.

Om-

Omnia enim, quæ licent, non ſemper expediunt; & *S. Ambroſii* modum agendi cum *Siſinnio*, quo invito filius uxorem duxerat, Sacerdotes imitari decet. Patrem filio jure iratum agnovit *S. Ambroſius*, filium ad officium revocavit, & ad veniam rogandam adduxit, patrem conciliavit filio, ejuſque ac nurus benevolam ſuſceptionem *Siſinnio* gratulatus eſt Ep. 83. „„ Quod (*inquit*) filio noſtro remiſiſti meo rogatu, quia te inconſulto uxorem acceperat, pietati magis tribuo, quam noſtro amori; plus eſt enim pietatem ipſam de te impetraviſſe, quam cujuſque petitionem. Certe Sacerdos tunc magis impetrat, cum virtus prævalet; Sacerdotis enim petitio doctrina pietatis eſt. Impetravit igitur natura, impetravit filius eo plenius, quia poſtulati contemplatio temporalis ſolet eſſe; virtutis autem diuturnus habitus, & jugis animorum inductio. Pulchre itaque geſtum, ut te patrem recognoſceres; ſimul quia juſta indignatio fuit; malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia; ſed & ipſa paterna offenſio fuit, quoniam venturam in locum filiæ tuo debuiſti eligere judicio, cui fieres pater. Namque aut natura filios ſuſcipimus, aut electione; in natura caſus eſt, in electione judicium; magiſque in adoptatis offendimus, quam in genitalibus filiis; quia genitales filios eſſe degeneres, ad naturam refertur; adſcitos vel adoptione, vel copula dedecores eſſe, noſtro errori adſcribitur. Fuit ergo, quod ſuccenſeres filio, ſed fuit etiam, quod remitteres; quia ſibi uxorem elegit. Acquiſiſti filiam ſine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquiſivit gratiam; ſi eravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem conſilio puella filio a patre traditur; ſed majore obſequii propoſito a filio ad patrem ducitur, & a viro lecta ingreditur ſoceri domum; dum metuit & filius diſplicere judicium ſuum, & nurus miniſterium. Illam paternæ electionis prærogativa attollit, atque erigit; iſtam offenſionis humiliat metus, inclinat verecundia. Nam habebit filius,

quod

quod in uxorem referat, quasi exsors culpæ, si quid fortasse offensum sit, quod habet usus; imo amplius elaborabit, ut in utroque suum possit probari & in uxore judicium, & in se obsequium Feciſti igitur, quod boni parentes, ut cito ignoſceres, ſed obſecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoſcere, ſed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illis inutile; neque enim paterna viſcera diutius tolerare poſſent „ „.

CAPUT III.

De Sponſalibus.

I. Sponſalia a ſpondendo dicta ſunt. Veteres enim futuras ſibi conjuges ſtipulabantur, & ſpondebant; unde ſponſi, & ſponſæ nomen derivatum eſt. Nam, (ut obſervat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 27. q. 2. art. 1. ad ſextum.) „ „ In matrimonio poteſt conſiderari ipſa conjunctio matrimonialis, & actus ejus; & a ſponſione primi in futurum dicitur ſponſus a Sponſalibus contractis per verba de futuro; & a ſponſione ſecundi dicitur aliquis ſponſus etiam, quando contractum eſt matrimonium per verba de præſenti. Quia ex hoc ipſo ſpondet matrimonii actum; tamen a prima ſponſione dicuntur Sponſalia proprie, quæ ſunt quædam Sacramentalia matrimonii, ſicut Exorciſmus Baptiſmi „ „.

II. *Sponſalia* definiuntur: *Promiſſio futurarum nuptiarum.* Quæ promiſſio vera, & ſincera, non ſimulata, libera, reciproca, & ſignis exterioribus expreſſa eſſe debet. Sponſaliorum libertati adjectio pœnæ repugnat, ut declarat *Greg. IX. Gemma*, Ext. *De Sponſalibus.* Sponſaliorum definitio.

Variis autem modis Sponſalia contrahuntur, ſcilicet re, verbis, literis, & conſenſu: Re, per nudam ſubarrhationem, vel annuli immiſſionem; verbis, ſi inter virum, & mulierem promiſſio futuri matrimonii interceſſerit, veluti altero alteri vice mutua dicente; Quibus modis Sponſalia contrahuntur.

Ego

Ego te accipiam in meum maritum, & ego te accipiam in meam uxorem, ſive in hunc ſenſum verba ſimilia protulerint. Literis, cum abſentes inter ſe de futuris nuptiis paciſcuntur per epiſtolam, per nuntium, vel procuratorem. Conſenſu denique contrahuntur Sponſalia, cum pubes, & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſuppleat ætatem, matrimonium per verba de præſenti contrahunt. Licet enim verba matrimonium in præſens ſignificent, juris tamen interpretatione in Sponſalia de futuro reſolvuntur. Cenſuerunt enim juris conditores, eos, qui, cum non poſſent, conjugium de facto contraxerunt, voluiſſe etiam, in caſu, quo poſſent, contrahere; ideoque ſaltem conventionem vim habere Sponſaliorum; c. *Si infantes*, Tit. *De Deſponſatione impuberum*, in ſexto.

Rurſus contrahuntur Sponſalia, aut pure, aut adjecta die, aut ſub conditione. Pure, cum vir, & mulier ſe invicem futuros conjuges profitentur. Adjecta die, cum quis intra certum temporis ſpatium aliquam ſe ducturum in uxorem ſpondet. Sub conditione, cum quis, ſi quid fiet, vel contigerit, nuptias ſe contracturum pollicetur.

Paulo aliter *S. Th.* in 4. Sent. diſt. 27. q. 2. art. 1. „ Conſenſus (*inquit*) in conjugalem copulam per verba de futuro, non facit matrimonium, ſed matrimonii promiſſionem. Et hæc promiſſio dicitur Sponſalia, a ſpondendo. .. Fit autem dupliciter; ſcilicet abſolute, & ſub conditione. Abſolute quatuor modis. Primo, nuda promiſſione, ut cum dicitur: *Accipio te in meam*, & e contrario. Secundo, datis arrhis ſponſalitiis, ut pecunia, vel hujuſmodi: Tertio, annuli ſubarrhatione. Quarto, interveniente juramento. Si autem fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt; quia aut eſt conditio honeſta, cum dicitur: *Accipiam te, ſi parentibus placeat*; & tunc ſtante conditione ſtat promiſſio; & non ſtante, non ſtat; aut eſt inhoneſta, & hoc dupliciter; quia aut eſt contraria bonis matrimonii;

ut

ut ſi dicam: *Accipiam te, ſi venena ſterilitatis prohibeas;* & tunc non contrahuntur Sponſalia; aut non eſt contraria bonis matrimonii; ut ſi dicam: *Accipiam te, ſi furtis meis conſentias*, & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio „ „ (ut videre eſt Ext. *De Conditionibus appoſitis in deſponſatione, &c.* cap. *Quicunque*, cap. *De illis*, cap. *Super eo*, cap. *Per tuas*, & cap. *Si conditiones.*)

Alia Sponſaliorum diviſio jure canonico recepta eſt, cap. *Duobus*, Ext. *De Sponſa duorum*, cap. *Veniens*, nec non cap. *Si inter virum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio.* Ea petitur ex diverſo tempore, quo Sponſalia implenda intelliguntur ex mente contrahentium. Prioris generis Sponſalia ea ſunt, quæ in futurum tempus conferuntur, in quibus dari dicitur *Fides Pactionis*, id eſt, promiſſio contrahendi matrimonii; & vere & proprie dicta Sponſalia ſunt, ut jam innuimus. Poſterioris generis ſunt ea, in quibus datur *Fides Conſenſus*, qui ſcilicet jam tum reciproce interponitur. Hoc poſterius genus jure Decretalium parem cum matrimonio inducebat obligationem, quia mutuo contrahentium conſenſu, etiam privatim, & clanculum abſque Sacerdote, & teſtibus ſignificato, matrimonium perficiebatur; ſed nunc poſt Tridentinam Synodum, quamvis clandeſtina Sponſalia irrita non ſint, matrimonium certe clandeſtinum irritum eſt, & ne Sponſaliorum quidem vim habet, ut ſupra obſervavi. Multo minus matrimonii vim habent Sponſalia per verba de futuro contracta, etiam ſecuta copula, ut Concilium *Mediolanenſe* 5. ſub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *Quæ ad matrimonium pertinent*, declarat. „ „ Si qui (*inquit*) ætate legitima, & parocho præſente, teſtibus duobus adhibitis, & Notario jurati ſpoponderunt, ſe matrimonium inituros, ac deinde non contracto legitime per verba de præſenti matrimonio, copulationem inter ſe inierunt; eorum matrimonium nullum ab Epiſcopo declaretur, ac decernatur. Id vero ne accidat, parochus quam ſæpiſſime populum, ut

opus

opus erit, moneat ad præſcriptum Concilii Trident. „ „

Cur ſponſalia matrimonio præmittantur.

III. Sponſalia optimis de cauſis matrimonio præmittuntur. Primo: *Ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam:* (inquit *S. Auguſt.* lib. 7. *Confeſſionum*, cap. 3.) Secundo, ut interim in contrahentium ſtatum, conditionem, & mores diligentior fiat inquiſitio. Tertio, ut ſponſi ad matrimonii Sacramentum ea, quæ Chriſtianos decet, pietate ſe præparent. Qua de re ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 1. *De Reformatione matrimonii*, ita ſtatuit: „ „ Poſtremo ſancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat „ „.

Et *S. Carolus* in Inſtr. de Matrimonio: „ „ Parochus aget omni cohortatione cum ſponſis, ut ad matrimonii celebrationem ne accedant, priusquam peccata diligenter confeſſi, ſacram Communionem ſumpſerint, ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem; omnino autem & jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujuſmodi Sacramentum pura mente accedant „ „.

Qua ætate ſponſalia contrahi poſſint.

IV. Sponſalibus contrahendis ſeptennii ætas a jure conſtituta eſt, c. *Literas*, & cap. *Acceſſit*, Ext. *de Deſponſatione impuberum*, ubi *Alexander III.* Eboracenſi Archiepiſcopo reſpondet, matrimonium inter quemdam, & cujuſdam puellæ, quæ deſponſata ipſi fuerat, matrem celebratum, ſubſiſtere debere; omninoque ratum eſſe: *Si conſtiterit, quod puella non eſſet ſeptennis, quando deſponſata fuit, nec poſtea in eum conſenſit.* Idemque confirmat *Innoc. III.* cap. *Ad diſſolvendum*, ſub eodem titulo. Si contrahentes nondum quidem ſeptennium attigerunt, ſed parum abſunt ab ea ætate, contractus ſponſaliorum robur habet;

bet; (inquit *S. Thomas*,) quæ propinquitas ſecundum conditionem contrahentium determinanda eſt, quia in quibuſdam magis acceleratur rationis uſus, quam in aliis.

V. Si ante annos pubertatis fiat contractus Sponſalium per alium, ſcilicet per parentes, vel tutores, ambo, vel alter reclamare poſſunt; unde nihil tunc actum eſt; adeo ut nec affinitas ulla ex hoc contrahatur; & ideò Sponſalia, quæ inter aliquos per alias perſonas contrahuntur, robur habent, in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant, ex quo intelliguntur conſentire his, quæ per alios facta ſunt (inquit *S. Thom.* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 2. art. 2. ad primum.) Idque colligitur ex cap. *De illis*, Ext. *de Deſponſatione impuberum*, & ex cap. *Infantes*, in ſexto, ſub eodem titulo.

VI. Diſſolvuntur Sponſalia aut ipſo jure, aut facto hominis. Ipſo jure, cum nulla habita ratione voluntatis, & conſenſus partium, certa cauſa emergente diſtrahuntur, ſcilicet matrimonio cum alia perſona inito, regularis vitæ profeſſione ſolemni; orta inter ſponſos ex unius cum alterius cognato, vel cognata concubitu affinitate, & ſacri Ordinis a viro ſuſceptione. Facto hominis diſſolvuntur ſponſalia, vel utriuſque contrahentis diſſenſu, vel cum legitima interveniente cauſa diſſolutio alterius tantum voluntati permittitur, veluti ex fornicatione, defectione a vera religione, abſentia diuturna, membrorum amiſſione, incurabilis morbi interventu. Hæc autem ſequentibus Regulis accuratius explicantur. Quo modo ſponſalia diſſolvi poſſunt.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Sponſaliorum fidem frangere, lethale peccatum eſt, niſi legitimum impedimentum interveniat.

Ita docet *S. Thomas* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 2. art. 1. ad ſecundum: „„ Ex tali (*inquit*) pro- De fide ſponſalitia.

rum ſervanda.

miſſione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundum hoc etiam Eccleſiam cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato; tamen in foro contentioſo non compellitur; quia matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere; niſi forte juramentum intervenerit; quia tunc cogendus eſt (ut quidam dicunt:) quamvis aliis non videatur, propter cauſam prædictam; præcipue ſi de uxoricidio timeretur „„.

Hæc *S. Thoma* reſponſio Canonibus conſona eſt. Ita enim ſtatuit illiberitana Synodus, can. 54. „„ Si qui parentes fidem fregerint Sponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe a Communione; ſi tamen iidem ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio, & polluerint ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſervatur „„. Refertur can. *Si qui*, cauſa 31. qu. 3. excommunicationem pro peccato mortali ſolum infligit, docet Concilium Meldenſe, can. 53. Quare fatendum eſt, Sponſaliorum fidem frangentes vel impedientes, crimen admittere capitale, cum illiberitanæ Synodo triennii excommunicatione puniendi viſi ſint. Quinimo diſertis verbis id ſignificaverunt Synodi iſtius Patres, dum ſtatim de ipſis ſponſis ſubdunt: *Si tamen idem ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi.* Grave crimen vocant, tanquam capitale, & mortale.

REGULA II.

Eos, qui ſponſalia legitime contraxerunt, Judex eccleſiaſticus ad fidem implendam, contrahendumque matrimonium compellere poteſt, ſi nullum occurrat impedimentum; maxime ſi Sponſalia jurejurando firmata ſint.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas* loco mox indicato, jureque canonico nititur, cap. *Ex litteris*,

ris, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt, de quodam, qui ſe filiam alterius, conſentiente patre, in uxorem ducturum juraverat, & tamen cum alja matrimonium contrahere cupiebat, ita decernentis: „ „ Quia prædicto viro periculoſum eſt, contra ſuum juramentum venire; fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum eccleſiaſtica Cenſura compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet „ „.

Et cap. *Requiſivit*, quod eſt *Lucii III.* reſponſum ſub eodem titulo; ubi de muliere, quæ ſe alicui nupturam interpoſito juramento firmaverat, & poſtmodum jurisjurandi religione neglecta, id exequi renuebat: „ Cum (*inquit*) libera debeant eſſe matri„ monia monenda eſt potius quam cogenda; cum coa„ ctiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere „.

Quamvis autem acrius compellendi ſint, qui Sponſalia juramento firmavere, propter majus vinculum, & juramenti religionem; ſunt etiam urgendi, ut datam fidem impleant, qui illam ſine juramento obſtrinxerunt. Ad fidem enim promiſſorum ſervandam quiſque ex juſtitia tenetur. Sed tamen ita urgendi ſunt a judice, ut ex nolentibus volentes fiant, quemadmodum de compellendis ad Fidem catholicam hæreticis dicitur can. *Vi.es*, cauſa 33 qu. 6 ex *S. Auguſt.* Cæterum ſi ex hujuſmodi nuptiis gravia ſcandala, implacabiles inimicitiæ, diuturnæ, & periculoſæ lites, & alia id genus mala probabiliter timeantur, & ſponſorum alter ſit in negando conſenſu pertinax, ſponſaliorum diſſolutio, permittenda, vel toleranda eſt, ſeu minus malum, & gravius malum avertendum. Levius enim, ac tolerabilius malum eſt, Sponſaliorum fidem infringi, quam matrimonia cogi, duaſque familias implacabilibus diſſidiis, litibus, odiis perturbari.

REGULA III.

Solvuntur Sponſalia per Matrimonium, quod ſponſorum alter cum alia perſona valide contraxerit.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Matrimonii enim vinculum indiſſolubile eſt; adeoque Sponſalia ante illud contracta obſervare eſt impoſſibile. Unde eorum obligatio per ſubſequens matrimonium extinguitur. Nec tamen ſponſus, vel ſponſa, qui Sponſaliorum fide violata, cum alio, vel alia contraxerunt, a peccato ſunt immunes, ut declarat *Gregorius IV.* c. *Si inter virum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „„ Verum ſi inter ipſos acceſſit tantummodo promiſſio de futuro, utroque dicente alteri; ego te recipiam in meam; &, ego te in meum, ſive verba ſimilia; ſi alius mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiamſi inter ipſam, & primum juramentum intervenerit (ſicut diximus) de futuro, hujuſmodi deſponſationis intuitu ſecundum matrimonium non poterit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda „„.

REGULA IV.

Irrita eſſent ipſo jure Sponſalia, quæ vota ſolemnia in profeſſione vitæ religioſæ emitti ſolita, aut vota etiam ſimplicia Religionis, caſtitatis, aut ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſequerentur.

Nemini enim promittere licet, quod præſtare non poteſt, cauſis legitimis prohibentibus; qui autem hujuſmodi votis Deo ſe obſtrinxit, matrimonium contrahere non poteſt, votis prohibentibus; poſtrema enim tria contrahendum impediunt, priora etiam dirimunt contractum. Quare matrimonium promittere non poteſt, qui hujuſmodi vota Deo nuncupavit.

Id confirmatur ex c. *Rurſus*, Ext. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt*, quod eſt *Cœleſtini III.* reſponſum. „„ Quidam (*inquit*) votum caſtitatis emittens, juravit, ſe quamdam ducu-

ſtorum poſtea in uxorem. Unde a fraternitate tua requiſiti arbitramur, quod cum ſimplex votum apud Deum non minus obliget, quam ſolemne; pro eo quod juravit temere, pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare. Quod, ſi poſtquam hujuſmodi præſtitit juramentum, ad nuptias motu proprio convolaſſet, cum votum ſimplex matrimonium impediat contrahendum; non tamen dirimat contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur „„.

At votum ſimplex Sponſalia ſubſequens, illa non dirimit, ut docet *S. Anton.* 3. P. tit. 1. cap. 18. §. 2. „„ Aut votum ſimplex præcedit Sponſalia ipſa (*inquit*) aut ſequitur; ſi præcedit, tunc impedit, & dirimit Sponſalia etiam jurata; quia hoc caſu juramentum eſt illicitum cum juret facere contra id, quod voverat; aut Sponſalia præcedunt votum ſimplex, & tunc votum non impedit, vel dirimit Sponſalia; ſed eo caſu cogi debet, vel votum ſolemnizare, ſcilicet profitendo in religione, & ſic eſſent ſoluta Sponſalia; vel Sponſalia profiteri, & contrahere matrimonium „„.

REGULA V.

Sponſalia ipſo jure diſſolvuntur per profeſſionem monaſticam.

Cum enim matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum dirimatur, ut declarat ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. can. 6. multo magis, Sponſalia, quorum non tam arctum vinculum eſt, per eamdem diſſolvuntur. Id confirmat *S. Th.* in 4. Sent. diſt. 27. q. 2. art. 3. „„ In duobus (*inquit*) caſibus (ſcilicet cum quis ad religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit) ipſo jure Sponſalia dirimuntur; ſed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum judicium Eccleſiæ „„.

Qui tamen monaſterium ſimpliciter ingreditur, Sponſaliorum vinculo non ſolvitur, antequam ſolemnibus votis ſe Deo conſecraverit, mundoque penitus mortuus ſit. Sed, qui in ſeculo relinquitur, ſponſione ſua liberatus eſt ſtatim, atque veſtem religioſam alter ſuſcepit, & matrimonium cum altero, vel altera contrahere poteſt. Qui enim religioſam veſtem induit, cauſam dedit, ut joco, & ſerio, animo irato, & pacato, poſſit improperari ei cuculli, aut veli aſſumptio, & abjectio, levitas & inconſtantia, & alia, quæ rixarum materiam præſtare poſſunt, ſi ad ſeculum revertatur.

REGULA VI.

Qui religionis ingreſſum vovit poſt Sponſalia juramento firmata, monaſterium ingredi poteſt nulla Sponſalium habita ratione. Tutius tamen fecerit, ſi primum nubat ob juramenti religionem, deinde ante matrimonii conſummationem ſecedat in monaſterium, ut votum adimpleat.

Ita reſpondet *Alexander III.* c. *Commiſſum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „ Significavit nobis fraternitas tua, quod quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, & ſe cum ea intra biennium per verba de præſenti contracturum, præſtito juramento firmavit; nunc autem privata lege ductus, ad frugem melioris vitæ tranſire ſuſpirat .. Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod tutius eſt ei (religione juramenti ſervata) prius contrahere; & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare; ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis „. Tutius facturum Pontifex reſpondet, ne violati juramenti reus apud homines habeatur, indeque generetur offenſio; & quia utrumque ſervare poterit & juramentum, & votum, ſive ſanctum propoſitum; quamquam juramentum violare non videtur, qui illud in melius commutat, ut colligitur ex c. *Pervenit*,

nit, Ext. *De jurejurando*, & c. *Scriptura*, Ext. De voto, & voti redemptione. „ Poteſt ergo (*inquit* „ *Gloſſa*) ſervare utrumque, ſi vult; tamen ſine pec„ cato poteſt intrare religionem, & non contrahere „.

REGULA VII.

Subſequens alterutrius ſponſi fornicatio Sponſalia dirimit, etiam jurata.

Hæc enim datæ fidei directe repugnat. „„ Quamvis enim nondum dederint ſibi mutuo poteſtatem corporis Sponſalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in futurum; & ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium, Sponſalia dirimendo „„; (*inquit S. Thomas* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 2. art. 3. ad ſextum.) Eaque reſponſio conſona eſt Decretali *Innocentii III.* c. *Quemadmodum*, Ext. *De Jurejurando*, cujus hæc ſunt verba: „„ Quemadmodum ſi vir mulieri juraſſet, quando contraxit cum illa quod eam ſemper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione, quam mulier antea commiſiſſet, non poſſet eam dimittere, ſed pro fornicatione, quam poſtea perpetraret, eam dimittere poſſet, non obſtante hujuſmodi juramento; quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet in legem conjugii illa non peccaret; ita ſi quis juraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem ut illam non ducat in conjugem; quia in illo juramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contra regulam deſponſationis non venerit. Alioquin ſi poſt hujuſmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod eſt prorſus abſurdum. Nam, ſi poſt contractum conjugium vir propter fornicationem licite poteſt uxorem a ſua cohabitatione dimittere, longe fortius ante conjugium celebratum, propter eamdem cauſam licite poteſt in ſuam cohabitationem non admittere ſponſam;

ſam ; quia turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes ; non obſtante in alterutro caſu vinculo juramenti, quod quidem propter ſubintelligendam conditionem eſt tale, ut is, qui juravit ad utrumque ſine tranſgreſſione poſſit ſe habere „ „ : Id eſt, ut eam recipiat, vel non recipiat. Cæterum fornicario non licet parte invita pactum reſcindere ; quippe cui ſua malitia patrocinari non debet. Hæc Regula etiam in puella ab altero vi oppreſſa locum habet ; imo & in ea, quæ cum crederetur eſſe virgo, poſtea compertum fuit eſſe corruptam. Ad illam enim ducendam propter inſignem in ea factam, vel cognitam in pejus mutationem, ad ſtatum matrimonii pertinentem, ſponſus non obligatur ; maxime cum bigamiæ vitium contrahere nemo cogatur. Quod ſi propter fornicationem corporis Sponſalia dirimuntur, minime dubitandum eſt, quin propter fornicationem ſpiritualem, ſcilicet hæreſim, apoſtaſiam, & quodcunque grave crimen, & infamiam inducens, diſſolvi poſſint.

REGULA VIII.

Diſſolvuntur Sponſalia propter affinitatem ex illicita copula, vel cognationem ſpiritualem ſupervenientia, & propter famam cujuſque impedimenti, ſi fama probetur.

Si quis ergo fide interpoſita deſponſavit aliquam, & deinde conſanguineam ſponſæ intra gradum prohibitum carnaliter cognovit, ipſo jure Sponſalia inter eos inita dirimuntur, ut conſtat ex c. *Fraternitati*, c. *Ex literis*, & c. *Veniens*, quæ ſunt *Innoc. III.* reſponſa, Ext. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.*

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. Sent. diſt. 28. q. 2. art. 3. ad quartum reſpondens : „ „ Si ſponſus cognovit conſanguineam ſponſæ, vel e converſo, tunc debent Sponſalia dirimi ; & ad hoc probandum ſola fama ſufficit propter ſcandalum vitandum. Cauſa enim,

enim, quo in futurum expectant effectus ſuos, impediunt a ſuis effectibus non ſolum ex eo, quod eſt, ſed ex eo, quod futurum eſt. Unde ſicut affinitas, ſi eſſet tempore contractus Sponſalium, impediviſſet contractum illum, ita ſi interveniat ante matrimonium, quod eſt effectus quidam Sponſalium, prior contractus ab effectu ſuo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, imo ei confertur; quia abſolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo ſe odioſum reddidit „ „. Affinitatem porro ex illicita copula provenientem Tridentina Synodus ad ſecundum gradum reſtrinxit; unde ſi quis ſponſæ ſuæ conſanguineam in ſecundo gradu cognoverit, irrita fiunt ipſo jure Sponſalia, nullumque inter ſe matrimonium contrahere poſſunt; aliter tamen ſe res habet, ſi ſponſæ ſuæ conſanguineam in remotiori gradu cognoverit.

Sponſalia parirer dirimit cognatio ſpiritualis ſuperveniens, velut ſi alter alterius filium e ſacro Fonte ſuſcipiat, ut conſtat ex c. *Veniens*, Ext. *De Cognatione ſpirituali*, quod *Innocentii III.* reſponſum eſt.

Quod autem ſola fama impedimenti probata ſit ſufficiens ratio Sponſalia dirimendi, conſtat ex c. *Super eo*, quod *Urbani III.* reſponſum eſt, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate.*

REGULA IX.

Sponſalia dirimi poſſunt propter ferociam, & aſperitatem morum alterutrius ſponſi, ſi certo perſpecta ſit, & cognita; non vero ſi vulgi duntaxat rumore fama illa percrebuerit.

Hæc Regula colligitur ex c. *Veniens*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt, Ext. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt.*

REGULA X.

Sponſalia dirimuntur propter paralyſim, lepram, epilepſiam, aliumve ſimilem morbum, necnon propter magnam deformitatem, vel debilitatem ſupervenientem.

Hæc Regula nititur c. *Literas*, Ext. *De Conjugio Leproſorum*, quod eſt *Urbani III.* reſponſum. „„ Quia (*inquit*) poſtulaſti, utrum ſi poſt Sponſalia de futuro inter legitimas perſonas contracta, antequam a viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alius ad conſummandam copulam maritalem compelli debeat; reſpondemus, quod ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos matrimonium fuit conſummatum „„.

Nititur & c. *Quemadmodum*, quod eſt *Innocentii III.* Ext. *De Jurejurando*, ita reſpondentis: „„ Quod, ſi poſt hujuſmodi juramentum mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, ſeu quidquam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profecto ductam non poſſet dimittere. Sed nunquid non ductam admittere tenetur? Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum „„.

Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. Sentent. diſt. 27. q. 2. art. 3. in reſponſione ad tertium: „„ Si (*inquit*) ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos ſunt contracta Sponſalia, quæ ipſum nimis debilitet, (ut epilepſia, vel paralyſis;) aut eum deformet (ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum vel aliquid hujuſmodi;) aut quæ ſit contra bonum prolis (ut lepra, quæ ſolet prolem inficere;) poſſunt Sponſalia dirimi, ne ſibi invicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur; nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat, quod non eſt inconveniens „„.

REGULA XI.

Fraus commiſſa in ſolutione dotis, vel impotentia ſolvendi, ſeu aliam quamvis honeſtam conditionem pacto appoſitam adimplendi, cauſa legitima eſt dirimendi Sponſalia.

Hæc Regula colligitur ex c. *De illis*, Ext. *De conditionibus appoſitis in Deſponſatione*, &c. quod

eſt

ett *Alexandri III.* reſponſum Panormitano Archiepiſcopo datum, „„ Si vero (*inquit*) aliquis ſub hujuſmodi verbis juramentum alicui mulieri præſtiterit; ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere, quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem; niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis inter eos ſit commixtio ſubſecuta „„

REGULA XII.

Capitales inimicitiæ inter ſponſos, vel eorum parentes ſubortæ ſufficientem rationem præbent dirimendi Sponſalia.

Funeſti enim exitus ex nuptiis illorum timendi ſunt; quare Eccleſiæ judicio Sponſalia in ea hypotheſi dirimuntur, juxta c. *Requiſivit*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio.*

REGULA XIII.

Sponſalia diſſolvi poſſunt, cum quis ante pubertatis annos illa contraxit.

Poſtquam enim ad pubertatis annos pervenit, eorum diſſolutionem ab eccleſiaſtico Judice petere poteſt, niſi pubes factus illa expreſſo, vel tacito conſenſu rata habuerit. Idem eſto judicium, ſi ambo impuberes contraxerunt Contractus enim diſſolutionem petere non poſſunt antequam ad pubertatem pervenerint, ſed ſolum puberes facti. Id conſtat ex c. *De illis*, Ext. *De Deſponſatione impuberum*, & c. *A nobis*, ſub eodem titulo, quæ ſunt *Alexandri III.* reſponſa. Si tamen carnalis commixtio interveniſſet quæ interdum tempus anticipare ſolet pubertatis, Sponſalia dirimenda non eſſent, (inquit idem Pontifex.)

Idem confirmatur ex Ep. 135. *Yvonis* Carnotenſis Epiſcopi ad *Dambertum* Senonenſem Archiepiſcopum „„ De pacto (*inquit*) conjugali, quod factum eſt inter duos nobiles, ita ut qui filiam habebat, jura-

juraverit ſe eam traditurum uni de filiis alterius nobilis cui vellet, cum ad nubiles annos virgo perveniſſet; hoc paternitati veſtræ reſpondeo, quod & natura diſpoſuit, & Lex tam eccleſiaſtica, quam mundana firmavit; quia quorum per conjugalem copulam unum debet fieri corpus, eorumdem pariter animorum eſſe conſenſus. Quidquid ergo pater neſciente virgine juraverit, cum ad annos rationales perducta eſt, niſi ipſa virgo conſentiat, etiam vivente patre, ſecundum leges irritum erit. Unde Papa Nicolaus Hincmaro ſcribit Epiſcopo: *Sufficiat per leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur.* Qui conſenſus ſolus in nuptiis ſi forte defuerit, cætera omnia, etiam cum ipſo coitu fruſtrantur, Joanne Chryſoſtomo magno Doctore atteſtante, qui ait: *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Inde etiam in Legibus romanis Juſtiniani Imperatoris ita habetur: *Sponſalia, ſicut nuptiæ, conſenſu fiunt contrahentium. Et ideo ſicut in nuptiis, ita Sponſalibus filias familias conſentire oportet.* Et alibi: *A primordio ætatis effici Sponſalia poſſunt, ſi modo ab utraque perſona id fieri intelligitur, id eſt, ſi non minores ſint quam duodecim annis.* Hoc de propoſita quæſtione ſentio, & hujuſmodi controverſiam, ſi ad aures meas pervenerit, tali ratione definio „ „.

REGULA XIV.

Sponſalia dirimi poſſunt, cum ſponſorum alter ſine alterius conſenſu in longinquam regionem proficiſcitur.

Nam per hujuſmodi profectionem datam fidem retractare, & voluntatis mutationem declarare videtur. Jure quidem civili triennii abſentia conſtituta eſt, ut Sponſalia ſolvi poſſint, L. 2. C. *De Repudiis;* ſed jus canonicum profectionem ſolam in longinquam regionem abſque alterius conſenſu, legitimam eſſe cauſam diſſolvendi Sponſalia ſanxit. Sic reſpondit panormitano Archiepiſcopo *Alexander III.*

cap.

cap. *De illis*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „ „ De illis autem, qui præſtito juramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis (ſi non eſt amplius in facto proceſſum) ad alia ſe vota transferre; recepta tamen de perjurio pœnitentia, ſi per eas ſteterit, quominus fuerit matrimonium conſummatum „ „.

Huic Pontificis oraculo conſona eſt *S. Thomæ* reſponſio, in 4. Sentent. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad ſecundum. „ „ Dubium illud (*inquit*) determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad matrimonium perficiendum; unde ſi ex parte ejus non defuit; quin matrimonium compleret, poteſt licite alteri nubere ſine aliquo peccato. Si autem per eum ſtetit, quod matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut juramenti (ſi juramentum intervenit) & contrahere cum aliqua (ſi vult) judicio Eccleſiæ „ „. Cæterum prius quam ſolvantur, abſentem tribus edictis citari in ipſa Eccleſia, in qua matrimonii futuri denuntiationes factæ ſunt, ſtatuunt Synodus Senonenſis anno 1524. & Pariſienſis 1557.

REGULA XV.

Sponſalia dirimi poſſunt propter lapſum temporis ad ineundum matrimonium ex conventione partium conſtituti; ille tamen, per quem ſtetit, ne matrimonium contraheretur, pœnitentia eluere debet violationem datæ fidei.

Sic reſpondet *Innoc. III.* c. *Sicut*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*. Idemque ſanxere Synodus Senonenſis anno 1524. & Pariſienſis anno 1557. Id tamen intelligendum, quando terminus adjicitur Sponſalibus ad reſtringendam obligationem; tunc enim obligatio extinguitur, vinculum ſolvitur. Aliter

ter autem ſe res habet, ubi dies adjicitur obligationi jam contractæ; tunc enim cenſetur potius adjecta ad ſolemnizandum effectum obligationis (ut loquuntur Juriſconſulti) quam ad extinguendam ipſam obligationem. Quare ſi contractis puris Sponſalibus, poſtea tractetur de die nuptiarum, lapſus illius dieſ ſponſum a ſponſione matrimonii non liberat, etiamſi per ipſum non ſteterit, quin illo die contraheret.

REGULA XVI.

Sponſalia, etiam jurata, mutuo partium conſenſu ſuam ſponſionem remittentium, dirimi poſſunt.

Sic reſpondet *Innoc. III.* c. *Præterea*, 2 Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „„ Qui de matrimonio contrahendo pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent. Si autem ſe ad invicem admittere noluerint; ne forte deterius inde contingat, ut talem ſcilicet ducat, quam odio habet; videtur, quod ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eamdem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari „„.

Nec ſemper eſt levitatis retractare, quæ prius firmata ſunt, inquit *S. Thomas* quia *incerta ſunt providentiæ noſtræ*, ut dicitur *Sapientiæ* 9.

Utrum ſponſalia propter Deum jurata remiſſione partium ſolvi poſſint.

Dubitari poteſt, utrum Sponſalia propter Deum jurata, partium remiſſione ſolvantur; reſpondetur, diſtinctione hoc in caſu opus eſſe; aut enim promiſſio præcipue facta fuit Deo, licet in favorem tertii, ut ſi quis dixerit: *Promitto Deo, me talem acceſturum in uxorem*; & tunc mulier promiſſionem remittere non poteſt, licet ad ejus utilitatem facta ſit, quia mulieri primario, ac præcipue non eſt facta, ſed Deo, & ſapit rationem voti. Aut promiſſio præcipue facta eſt mulieri; ut ſi quis dixerit: *Promitto tibi matrimonium intuitu, & amore Dei*; & tunc a muliere, cui, & in cujus utilitatem facta eſt, remitti,

&

& condonari poteſt obligatio. Hæc reſponſio eſt *S. Thomæ*, 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. „„ Homo (*inquit*) poteſt alteri promittere aliquid ſub juramento dupliciter Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius; puta, ſi ſub juramento promittat ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum; & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus utilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum; puta, ſi aliquis ſub juramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum; & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem; quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo; niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale „„.

Cum autem ſponſi mutuo conſenſu a promiſſis reſilire volunt, abſolvi tamen non poſſunt a promiſſione futurarum nuptiarum, niſi auctoritate Epiſcopi, ſive ab Officiali cauſa diſſenſus cognita, ut decrevit Synodus Carnotenſis anno 1526. & Pariſienſis anno 1557. ſub pœna etiam excommunicationis prohibens, ne quiſquam a Diœceſanis contrarium attentare præſumat.

Sponſi abſolvi non poſſunt a futuri Matrimonii promiſſione niſi auctoritate Epiſcopi, ſive ab officiali cauſa cognita.

REGULA XVII.

Ad Sponſalia dirimenda non eſt neceſſaria Judicis eccleſiaſtici ſententia, cum ipſo jure diſſolvantur.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 1. art. 3. „„ In duobus (*inquit*) caſibus, ſcilicet cum quis ad religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit, ipſo jure Sponſalia dirimuntur „„. (Tertium caſum addit *S. Anton.*, 3. P. Tit. 1. cap. 7. ſcilicet fornicationem notoriam.) *Sed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum judicium Eccleſiæ*; (inquit *S. Th.*)

Exceptio

Th.) quod tamen expectandum neceſſario non eſſe *S. Anton.* cenſet, ſi Sponſalia clandeſtina ſunt, nec in facie Eccleſiæ, aut præſentibus teſtibus contracta. Verumtamen clandeſtina Sponſalia Eccleſia irrita non fecit, ſed matrimonia duntaxat clandeſtina, ut reſpondit S. Congr. Conc. Trid. interpres. Quamobrem quicunque matrimonium alicui legitime promiſit, ſive pura ſit promiſſio, ſive juramento firmata; ſeu verbo, ſeu ſcripto; ſive clam, ſive coram teſtibus; ſive in facie Eccleſiæ, ſive abſque præſentia Sacerdotis, matrimonium contrahere tenetur cum illo, vel illa, cui fidem ſuam obſtrinxit.

REGULA XVIII.

Qui ſimpliciter, vel cum juramento promiſit, ſe nunquam matrimonium contracturum cum alio, vel cum alia, contrahere non tenetur, ſed ſolum obligatur ad contrahendum cum illo, vel illa, ſi contrahere velit.

De promiſſis negativis matrimonialibus.

Promiſſiones enim, & pactiones negativæ aliam obligationem non pariunt; ſicut ſi quis dicat, non vendam rem meam niſi Sempronio, non propterea cogi a Sempronio poteſt ad vendendum, niſi velit eam vendere. Quare qui hoc modo promiſere, ego nunquam alteram præter te accipiam uxorem, ego nulli unquam nubam alteri viro quam tibi, matrimonium cum alio contrahere non poſſunt abſque violatione fidei, & conſequenter abſque lethali peccato, niſi aliqua ex cauſis Sponſalia dirimentibus intervenerit; ſed tamen cælibem vitam agere poſſunt, & nuptiis nuntium in perpetuum remittere.

REGULA XIX.

Curare debent Epiſcopi, & parochi, ne ſponſi, priuſquam matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti celebraverint, non modo ſimul habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur.

Ita

Ita ſtatuit *S. Carolus* in Conc. provinciali Mediolanenſi 6. Tit. *Quæ ad matrimonium pertinent.* Qui & carnalem copulam inter ſponſos, ante matrimonii celebrationem coram parocho, & teſtibus, in eorum peccatorum numero eſſe voluit, quorum abſolutio Epiſcopo reſervata eſt in Mediolanenſi provincia, illiuſque peccati reis gravem pœnitentiam imponi decrevit, in Synodo provinciali 2. Tit. 1. Decreto 27. Idemque repetit in inſtructionibus *De Sacramento Matrimonii*; & ſponſos ea de re diligenter, ac vehementer a parocho moneri jubet. Peccata enim carnis, ſive opere conſummata, ſive per oſcula, & amplexus, tactuſve libidinoſos inchoata, gratiæ ſacramentali, & benedictionibus, quas Deus in caſtos conjuges larga manu effundit, obicem ponunt. Synodi Mediolanenſis ſecundæ & *S. Caroli* ea de re Decretum ſuum fecit Synodus Aquenſis anno 1585. celebrata.

Cautiones parochorum neceſſariæ.

REGULA XX.

Matrimonio conjungendi non ſunt, qui chriſtianæ Fidei rudimenta ignorant.

Ita ſtatuit *S. Carolus* in Concilio provinciali Mediolanenſi 5. & in inſtructionibus. Ita jubet Rituale romanum.

REGULA XXI.

Graviter peccant, qui Sponſalia clandeſtina, ſine præſentia ſcilicet Sacerdotis, & teſtium, nec ritu ab Eccleſia præſcripto contrahunt.

Quamvis enim hujuſmodi Sponſalia Eccleſia irrita non fecerit, ea tamen prohibet; ac Sponſalia in facie Eccleſiæ celebrari Ritualia omnia jubent, eorumque ritum præſcribunt; & Sponſalia nonniſi coram parocho, vel ejus Vicario, idque in Eccleſia, & non alibi, niſi de licentia Ordinarii, præſentibus teſtibus, & ſine aliqua petulantia fieri, ſtatuunt Synodus Senonenſis anno 1524 Carnotenſis 1526. & Concilium Remenſe anno 1583.

Sponſalia clandeſtina prohibita.

CAPUT IV.

De impedimentis Matrimonii.

Obſervandum eſt cum *S. Thoma*; in 4. Sentent., diſt. 34. q 1. art. 1. Perſonas illegitimas ad matrimonium dici ex eo, quod ſint contra legem, qua matrimonium conſtituitur. „ „ Matrimonium autem, in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur jure naturæ; in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur jure civili; in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino; & ideo ex qualibet dictarum legum, naturæ, humanæ, & divinæ, poteſt perſona effici ad matrimonium illegitima „ „. Hoc poſito, ſit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Eccleſia poſſit conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia.

PROPOSITIO UNICA.

Eccleſiam potuiſſe, ac poſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, Dogma Fidei eſt.

Eccleſiæ poteſtas in conſtituendis impedimentis matrimonii.

Duobus Canonibus illud expreſſit, ac declaravit ſacra Synodus Trid. Seſſ. 24. ſcilicet can. 3. cujus hæc ſunt verba: „ „ Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit „ „.

Et can. 4. cujus hæc ſunt verba: „ „ Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit „ „.

Sane cum Eccleſia ſacra quædam reſpublica ſit, cui a Chriſto tradita eſt ampliſſima circa res ſpirituales juriſdictio, legumque condendarum poteſtas; conſequens eſt, ut ſicut civiles reſpublicæ conſtituere

pot-

poſſunt impedimenta civiles contractus prohibentia, vel dirimentia; ita ipſa contractui matrimonii ad ſpiritualem ordinem, ſcilicet ad Sacramenti dignitatem evecto, & ad forum ſuum pertinenti, impedimenta quædam apponere poſſit, ipſum prohibentia, vel dirimentia; alioqui Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis defuiſſet, ipſique imperfectam in matrimonium poteſtatem reliquiſſet. Hæc enim poteſtas illi neceſſaria eſt, ut Chriſtianos ad bona ſpiritualia, quæ matrimonii Sacramento Chriſtus adjunxit, tuto perducere valeat.

Eccleſiæ poteſtas in matrimonia fidelium.

Hanc poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ traditam, ex Apoſtolo diſcimus 1. ad Cor. 7. ubi conjugi ad Fidem chriſtianam converſæ, cum qua vir infidelis pacifice, & citra Creatoris injuriam habitare non vult, permittit, ut ab eo diſcedat, alterique nubat; adeoque infidelitatem ejus, ſeu cultus diſparitatem, hoc in caſu impedimentum eſſe dirimens ſtatuit, ut Chriſti Apoſtolus, ac miniſter. *Iis* (inquit) *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Non præcipit Apoſtolus, ut fidelis mulier in illo caſu innupta maneat, ſed permittit, ut ſi infidelis diſcedit, & ipſa diſcedat, dirempto ſcilicet matrimonio.

Eccleſiæ jus illud vindicat Traditio, uſuſque perpetuus a prioribus Nominis chriſtiani ſeculis. *Tertullianus* impedimentum diſparitatis cultus agnoſcit lib. 2. *ad Uxorem*, ubi illud duntaxat Chriſtianorum matrimonium omnimode ratum eſſe docet: „ Quod „ Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, obſignat „ benedictio, Angeli renuntiant, pater rato habet „

Et lib. *De Corona militis*, cap. 13. „ „ Coronant (*inquit*) & nuptiæ ſponſos; & ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam uſque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt „ „.

Impedimentum Ordinis.

Canon 26. ex iis, qui Apoſtolici inſcribuntur, Ordinem ſeu impedimentum matrimonii conſtituit, & minoribus tantum Clericis nuptias permittit. „ „ Innuptis autem, (*inquit*) qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed lectores, cantoreſque tantummodo „ „. Quem canonem Trullana Synodus innovat can. 6.

Impedimentum diſparitatis cultus.

● Impedimentum diſparitatis cultus Synodus illiberitana confirmat can. 15. Virgines chriſtianas gentilibus in matrimonium dari prohibens. Et 17. quo chriſtianis parentibus, qui filias ſuas Sacerdotibus idolorum collocaverint, nec in fine dandam eſſe Communionem ſtatuit. Eadem Synodus ſtatuit impedimentum voti can. 13. nec in fine dandam eſſe Communionem decernens Virginibus, quæ ſe Deo dicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint. Impedimentum affinitatis indicant can. 61. & 66. quorum primus his verbis conceptus eſt: „ „ Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis; quinquennium placuit a communione abſtineri. *Poſterior vero ſic habet*: Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quod ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe communionem „ „.

Impedimentum affinitatis.

Affinitatem velut impedimentum dirimens Neocæſarienſe Conc. can. 2. deſignat. „ „ Mulier, (*inquit*) ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem; verumtamen in exitu, ſi promiſerit, quod, ubi convaluerit, ſolvet matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit „ „.

Concilium Ancyranum impedimentum raptus, ſeu violentiæ deſignat can. 11. „ „ Deſponſatas puellas (*inquit*) & poſtea ab aliis raptas, placuit erui, & his reddi, quibus fuerant ante deſponſatæ, etiamſi a raptoribus florem pudoris ſui amiſiſſe conſtiterit „ „.

Im-

Impedimenta matrimonii plurima *S. Baſilius* notat in Ep. ad *Amphilochium*, ſcilicet impedimenta Ordinis, & voti can. 6. *Canonicorum*, inquit, *fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio cum eo divellatur.* Canonicos eos dicit, qui in Eccleſiæ canone numerantur, ſcilicet Clericos, monachos, moniales, omneſque virginitatem profeſſas ut *Balamon* interpretatur. Et can. 18. *Virgo*, inquit, *aduiteræ judicio ſubjicitur.* Ordinis, & voti.

Can. 22. Raptum, ſeu violentiam impedimentum eſſe dirimens declarat: „ „ Eos, *inquit*, qui ex raptu habent mulieres, ſi ab aliis quidem deſponſas habuerint, non oportet prius admittere, quam ab eis ablatæ ſint, & ſint in eorum poteſtate, quibus deſponſæ fuerant, an eas velint accipere, an deſiſtere. Si quis vero vacantem acceperit, auferre quidem oportet, & ſuis reſtituere; illorum autem ſententiæ permittere, ſive ſint parentes, ſive fratres, ſive quicunque alii virgini præſint „ „. Raptus, ſeu violentiæ.

Can. 23. Affinitatis impedimentum attingit, irritum eſſe declarans matrimonium ejus, qui viduam fratris ſui duxit uxorem, nec non illorum, qui duas ſorores ducunt, vel illarum, quæ duobus fratribus nubunt; citatque *S. Baſilii* Epiſtolam ea de re ſcriptam ad *Diodorum*, quæ eſt centeſima nonageſima ſeptima, cujus hæc ſunt verba: „ „ Principio igitur, quod in ejuſmodi rebus maximi momenti eſt, morem, qui apud nos eſt, objicere poſſumus, quod is legis vim habeat; propterea quod ſanctiones illæ a ſanctis nobis ſunt viris traditæ; eſt autem hic mos talis: ſi quis affectu immundo correptus ad illicita duarum ſororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium eſſe cenſendum; neque talem ad eccleſiaſticum cætum admittendum, priuſquam a ſe invicem dirimantur „ „.

Siricius Pont. maxim. Ep. 1. ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum, cap. 4. Deſponſatam alteri puellam, ab altero in matrimonium accipi prohibet: „ „ Quia illa benedictio, quam nupturæ Sa-

cerdos imponit, apud Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur „ „. En impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Impedimentum voti.

Cap. 6. Monachorum, & monacharum ſacrilega matrimonia execratur, ſeu Eccleſiæ jure, publiciſque legibus prohibita: *Quod publicæ leges*, inquit, *& eccleſiaſtica jura condemnant.* Eos in ergaſtula detrudi jubet, ut pœnitentiam agant; eiſque in exitu duntaxat per Communionis gratiam ſubveniri. En impedimentum voti.

Conc. Carthaginenſe ſecundum anno 390. ſub *Genethlio* Epiſcopo, can. 2. ſtatuit: „ Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe „ abſtineant „. En impedimentum Ordinis.

Concilium Carthaginenſe quartum, canone centeſimo quarto: „ „ Viduas, quæ religioſitatem mutaverunt, notari ait, adulterii crimine, ſi devotionem, quam Deo ſponte, non coacte obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fecerint „ „. En impedimentum voti.

Innocentius I. Ep. 9. ad *Probum*, matrimonium *Fortunii* cujus uxor *Urſa* nomine a barbaris rapta fuerat, ipſa ſuperſtite contractum: *Nullo pacto poſſe eſſe legitimum* pronuntiat. En impedimentum ligaminis.

Idem impedimentum confirmat *S. Leo* Epiſt. 129. alias 79. ad *Nicetam* Aquilejenſem Epiſcopum, mulieres, quæ viris in captivitatem abductis, aliis nupſerant, & ad illos poſtea reverſos redire nolebant, eccleſiaſtica Communione privari decernit; „ „ Quæ de re excuſabili contaminationem criminis elegerunt, oſtendentes ſibi pro ſua incontinentia placuiſſe, quod juſta remiſſio poterat expiare. *Nam (ut præmiſerat)* Omittendum eſt, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit; & reſtituendum, quod fides poſcit „ „.

Et Ep 12. alias 84. ad *Anaſtaſium* Theſſalonicenſem Epiſcopum, cap. 4. „ „ Nec Subdiaconis (*inquit*) carnale connubium conceditur; ut & qui habent,

ſint

ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares „ „. En impedimentum Ordinis.

Epiſtola 2. alias 92. ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum, cap. 4 de conditionis impedimento ſcribit: „ „ Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales. *Et cap. 6.* Ancillam a thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed profectus eſt honeſtatis „ „. Impedimentum conditionis.

Concilium Chalcedonenſe can. 16. Monachis, & ſacris Virginibus *Non licere matrimonio conjungi*, declarat; ſin autem inventi fuerint hoc perpetrantes, excommunicari decernit. Ecce rurſus impedimentum voti.

Conc. Agathenſe anno quingenteſimo ſexto, can. 61. conſanguineorum, & affinium matrimonia irrita eſſe pronuntiat. „ „ De inceſtis (*inquit*) conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint; inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus; ſi quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione polluerit; ſi quis frater germanam uxoris acceperit; ſi quis novercam duxerit; ſi quis conſobrinæ ſe ſociaverit; ſi quis relictæ, vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ; aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem; quos omnes, & olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus; & inter Catechumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere, & orare præcipimus; quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea, quæ ſunt hactenus conſtituta, non diſſolvantur „ „. Impedimentum voti, conſanguinitatis, & affinitatis.

Symmachus Pont. max. Ep. ad *Cæſarium* Arelatenſem Epiſcopum cap. 5. Viduis: „ Quæ in religioſo „ propoſito diuturna obſervatione permanſerunt; & „ Virginibus, quas annis plurimis in monaſteriis æta„ tem peregiſſe contigerit „, nuptias prohibet.

Conc. Lugdunenſe 1. anno 517. ſententiam tulit in *Stephanum* quemdam, qui cognatam ſuam *ſibi illicite ſociaverat.*

Conc. Aurelianenſe 2. an. 533. can. 11. contracta matrimonia ob ſupervenientem infirmitatem ſolvi vetat. Et can. 17. Matrimonia Diaconiſſarum irrita declarat.

Concilium Aurelianenſe 3. anno 1538. de matrimonii impedimentis plurima ſuperiorum Conciliorum, aut ſummorum Pontificum ſtatuta renovat. Can. 7. Clericos legitima ætate, abſque reclamatione, ordinatos, qui poſt ſacram Ordinationem uxores duxerint, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellit. Can. 9. Priora ſtatuta circa matrimonia conſanguineorum, vel affinium ſervari jubet, ita tamen, ut cum illis, qui ante Baptiſmum, vel ignorantes hucuſque contraxerunt, ſuper hoc impedimento diſpenſetur. „ „ De inceſtis (*inquit*) conjunctionibus ita, quæ ſunt ſtatuta, ſerventur, ut his, qui aut modo ad Baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum Statuta ſacerdotali prædicatione in notitia antea non venerunt; ita pro novitate converſionis, ac fidei ſuæ credimus conſulendum, ut contracta hucuſque hujuſmodi conjugia non ſolvantur, ſed in futurum, quod de inceſtis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum eſt, obſervetur; id eſt, ut ne quis ſibi ſub conjugii nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, ſororem uxoris, conſobrinam, aut ſobrinam, relictam avunculi, aut patrui. Quod ſi qui in hoc inceſti adulterio potius, quam conjugio fuerint ſociati, quamdiu ſe non ſequeſtraverint, a Communione eccleſiaſtica repellantur. Illud etiam adjiciendum eſſe credimus, ut in Epiſcopi diſcuſſione conſiſtat, de his, qui in civitate ſua, ac territorio conſiſtunt, & tali ſunt ordine ſociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam, quæ ſunt interdicta, præſumpſerint; quia ſicut his, qui per ignorantiam lapſi ſunt, ſubvenitur, ita illis,

illis, quibus prius Patrum Statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione verſantur, priorum Canonum in omnibus ſtatuta ſerventur, ut non prius ad Communionem recipiantur, quam inceſti adulterium, ſicut ſcriptum eſt, ſeparatione ſanaverint „„.

Conc. Aurelianenſe 4. anno 541. can. 24. Mancipiorum conjugia invitis dominis contracta, irrita declarat: „„ Quæcunque mancipia, *inquit*, ſub ſpecie conjugii ad Eccleſiæ ſepta confugerint, ut per hoc credant poſſe fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio a Clericis defenſetur; quia probatum eſt, ut ſine legitima traditione conjuncti, pro religionis ordine, ſtatuto tempore ab Eccleſiæ Communione ſuſpendantur, ne in ſacris locis turpi concubitu miſceantur. De qua re decernimus, ut parentibus aut propriis dominis, prout ratio poſcit perſonarum, accepta fide excuſati ſub ſeparationis promiſſione reddantur &c „„. Ea impedimentum conditionis confirmatum. Eadem Synodus can. 27. Concil. Aurelianenſis 3. & Concil. Epaonenſis ſtatuta de inceſtis conjunctionibus renovat. Impedimentum conditionis.

Superiorum Conciliorum, ac Pontificum Decreta de matrimonii impedimentis confirmant, & obſervari jubent Concilium Turonenſe 2. Canonibus 15. & 20. Antiſiodorenſe Canonibus 22. 27. 28. 29. 30. 31. 42. Matiſconenſe 1. can. 12. Matiſconenſe 2. Canonibus 16. & 18. & Lugdunenſe 3. can. 4.

S. Gregorius magnus lib 6. Ep. 1. ad *Fortunatum* Epiſcopum Neapolitanum, in cauſa impedimenti dirimentis ſententiam tulit, mulierem quamdam, quam maritus dimiſerat ob conditionem ſervitutis tempore conjugii (ut objiciebat) diſſimulatam, marito reſtitui, ab eoque conjugali affectu tractari decernit, quia probata fuerat illius libertas, nullaque ſervilis in ea macula inventa. Eccleſiæ romanæ diſciplina.

Epiſtola 119. lib. 7. *Virgilium*, & *Syagrium* gallicanos Epiſcopos arguit, quod *Syagria*, quæ vitam religioſam profeſſa fuerat, mutatis veſtibus, poſtea-

que marito violenter ſociata, defenſionem, ut bonos Paſtores decebat, non ſuſcepiſſent. „„ Quid enim dicturi, *inquit*, quamve rationem futuro eſtis Judici reddituri, quos ſtupri ſcortatio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam religioſi habitus excitavit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem ſacerdotalis conſideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpæ ſolicitet, & officii veſtri conſideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne forte per tempus tranſiiſſet in voluntatem neceſſitas, lingua illi veſtra medela ſit, atque admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori noſtro cor pœnitens exhibeat, & caſtitatis damna, quam ei corpore ſervare non licuit, fletu reſarciat „„. Duplex impedimentum dirimens in ea conjunctione interceſſiſſe *S. Gregorius* ſignificat, violentiæ, ſcilicet, atque voti.

Ep. 31. lib. 12. ad *Auguſtinum* Epiſcopum & Apoſtolum gentis Anglorum, plura circa matrimonii impedimenta ſtatuit, ac declarat, præſertim in reſponſione ad ſextam, & ſeptimam interrogationem. „„ Quædam, *inquit*, terrena lex in romana republica permittit, ut ſive fratris, ſive ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius, & filia miſceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Et ſacra Lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam tertia, vel quarta generatio Fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecunda, quam diximus, a ſe omnimode debet abſtinere. Cum noverca autem miſceri, grave eſt facinus .. Cum cognata quoque miſceri, prohibitum eſt, quæ per conjunctionem priorem carо fratris effecta eſt „„. Terrena lex, cujus meminit *S. Gregorius*, eſt lex, *Celebrandis*, 19. lib. 5. *Cod.* Tit. *De Nuptiis.* Theodoſius magnus conſobrinorum conjugia lege lata prohibuerat, ut teſtantur *S. Ambroſius*

ſius Epiſtola 60. novæ Editionis Pariſienſis, *S. Auguſt.* lib. 15. *De Civitate Dei*, & alii. Eam revocaverant Arcadius, & Honorius Imperatores ejus filii, L. *Celebrandis*, mox indicata. Eccleſia nihilominus Theodoſii magni legem approbavit, ſuam fecit, retinuit, ut ex ſummorum Pontificum Decretis, & Conciliorum Canonibus jam allatis conſtat. Adeoque non precaria auctoritate, id eſt, a Principibus accepta, matrimonii impedimenta conſtituit, aut eorum conceſſione de matrimonii impedimentis judicavit, ſed auctoritate propria, a Chriſto Sponſo ſibi tradita.

Leges eccleſiaſticæ a S. Greg. M. temperatæ in gratiam Anglorum recens ad fidem converſorum.

Legum vero eccleſiaſticarum rigorem, in favorem Anglorum ad Fidem recens converſorum temperat *S. Gregorius*, & matrimonia ante Baptiſmum ab ipſis in gradibus prohibitis contracta tolerat. „ „ Quia vero, *inquit*, multi ſunt in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando conjugio dicuntur admixti; ad fidem venientes admonendi ſunt, ut ſe abſtineant, & grave hoc peccatum eſſe cognoſcant. Tremendum Dei judicium pertimeſcant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re Corporis, & Sanguinis Domini Communione privandi ſunt, ne in eis illa ulciſci videamur, in quibus ſe per ignorantiam ante lavacrum baptiſmatis adſtrinxerunt. In hoc enim tempore S. Eccleſia quædam per favorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat, atque portat, ut ſæpe malum, quod adverſatur, portando, & diſſimulando compeſcat. Omnes autem, qui ad fidem veniunt, admonendi ſunt, ne aliquid tale audeant perpetrare, &c „ „.

Eccleſiæ gallicanæ diſciplina.

Conc. Pariſienſe 5. anno 615. duobus Canonibus totidem matrimonii impedimenta dirimentia confirmat, & declarat, ſcilicet impedimentum voti can. 13. & impedimentum conſanguinitatis, & affinitatis, can. 14.

„ „ De Viduis, & puellis, quæ ſibi veſtes in habitu religionis in domibus propriis, tam a parentibus,

bus, quam per ſeipſas mutaverint, & ſe poſtea contra ſtatuta Patrum, vel præcepta Canonum, conjugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur a Communione ſuſpenſi, quouſque quod illicite perpetraverunt, emendent; aut ſi emendare neglexerint, a Communione eccleſiaſtica, vel omnium Chriſtianorum convivio in perpetuum ſint ſequeſtrati „ „.

„ „ Inceſtas vero conjunctiones ab omni Chriſtianorum populo cenſuimus ſpecialiter reſecari; ita ut ſi quis relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinam, ſobrinam, vel relictam item patrui, atque avunculi, vel in religionis habitu deditam, conjugii crediderit conſortio violandam, tamdiu a Communionis conſortio ſegregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus ſequeſtratione manifeſtiſſima debeat abſtinere „ „.

Concilium Remenſe anno 625. Canones Synodi Pariſienſis, quam *Generalem* vocat, Eccleſiæ nimirum gallicanæ plenariam, omni firmitate cuſtodiri jubet. Inceſtas conjunctiones can. 8 rurſus prohibet, irritas declarat, atque ita conjunctos novis pœnis ſubjicit, niſi pœnitentiam ſceleris mutua ſeparatione teſtentur. „ „ De inceſtis, *inquit*, conjunctionibus, ſi quis infra ſcriptum Canonibus gradum inceſtuoſo ordine cum his perſonis, quibus a divinis Regulis prohibetur, ſe conjunxerit, niſi pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, Communione priventur; & neque in palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habeant. Et quando prædicti ſe inceſtuoſi conjunxerint, Epiſcopi, ſeu Presbyteri, in quorum Diœceſi, vel pago actum fuerit, Regi, vel Judicibus ſcelus perpetratum annuntient; ut cum ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione, aut cohabitatione ſequeſtrent, & res eorum ad proprios parentes perveniant, ſub ea conditione, ut antequam ſequeſtrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perve-

niant

niant facultates, niſi præfati ſceleris ſeparatione pœnitentiam fateantur „ „.

Concilium Toletanum 4. anno 633. can. 44. irrita declarat conjugia Clericorum, qui viduam, vel repudiatam, vel meretricem duxiſſent, & hujuſmodi conjugia a proprio Epiſcopo diſſolvi jubet. Can. 63. Chriſtianas mulieres Judæis ante converſionem matrimonio conjunctas, ab illis ſeparari ſtatuit, niſi Chriſtiani fiant. Filios vero ex hujuſmodi connubiis natos in Fide chriſtiana inſtitui, matriſque religionem, & conditionem ſequi.

Concilium Toletanum 13. anno circiter 638. can. 5. vetat ne quis „ „ Superſtitem Reginam, poſt decedentis Principis mortem ſibi in connubio copulet: *Quod ſi quiſquam id facere præſumpſerit*, ſive ſit Rex, ſive quilibet hominum, ſit ab omni Chriſtianorum communione ſecluſus, & ſulphureis cum diabolo contrudatur ignibus exurendus „ „. Hunc, cæteroſque Concilii Canones Rex *Ervigius* auctoritate ſua confirmavit, non auctoritatem tribuendo, ſed executionem eorum impetrando. Hæc autem diſciplina Hiſpanienſis licet Eccleſiæ propria, & ſingularis, luculenter probat Eccleſiæ auctoritatem in matrimonii impedimentis conſtituendis. Hiſpanienſis Eccleſiæ diſciplina.

Eccleſia orientalis in Trullana Synodo, can. 53. ſpiritualis affinitatis impedimentum adſtruit. „ „ Quoniam, *inquit*, ſpiritualis neceſſitudo, ſeu affinitas, corporum conjunctione major eſt; in nonnullis autem locis cognovimus quoſdam, qui ex ſancto, & ſalutari Baptiſmate infantes ſuſcipiunt, poſtea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, ſtatuimus, ut in poſterum nihil fiat ejuſmodi. Si qui autem poſt præſentem Canonem hoc facere deprehenſi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio deſiſtant, deinde & fornicatorum pœnis ſubjiciantur „ „. Can. 54. irrita matrimonia declarat cum patrui filia, ſive conſobrina, vel patris & filii cum matre, & filia, vel cum duabus ſororibus, vel matris, & filiæ cum duobus fratribus; Impedimentum ſpiritualis affinitatis.

vel

vel duorum fratrum cum duabus ſororibus. Can. 98. adulterii damnat eum, qui alteri deſponſam mulierem, eo adhuc vivo, cui deſponſa eſt, in nuptiarum ducit ſocietatem; quod eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Eccleſiæ romanæ diſciplina.

Concilium romanum 1. ſub *Gregorio II.* anathemate ferit eos, qui Sanctimonialem, qui commatrem ſpiritualem, fratris uxorem, neptem, novercam, aut nurum, conſobrinam, aut aliquam de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, uxorem duxerit.

Idem Pontifex Ep. 13. ad *Bonifacium* Epiſcopum cap. 1. ſuper impedimento conſanguinitatis, & affinitatis, quod eo uſque extendi reſponderat, quouſque ſe cognoſcerent affinitate propinquos, diſpenſat cum Germanis recens ad fidem converſis, ut poſt quartam generationem jungantur.

Gregorius III. Impedimentum conſanguinitatis ultra ſeptimum gradum impoſterum non extendi ſtatuit.

Matrimonii impedimenta priorum Pontificum, & Synodorum Decretis conſtituta confirmat *Zacharias* Pontifex maximus Ep. 7. ad *Pipinum* majorem Domus, & ad Epiſcopos, Abbates, Procereſque Francorum, c. 18. 20. 21. 22. 26. & 27.

Concilium romanum ſub eodem Pontifice matrimonia cum Sanctimoniali, aut ſpirituali commatre, cum conſobrina, nepte, noverca, fratris uxore, vel aliqua etiam de propria cognatione, ſub pœna excommunicationis prohibet, irritaque declarat Canonibus 5. & 6. Reges, & Epiſcopos Germaniæ ad ſummum Pontificem ante aliquot annos ſcripſiſſe: *Petentes apoſtolica Præcepta, qualiter liceat eis conjugia copulare, & quomodo debeant obſervare*, teſtatus idem Concilium, ſeu Pontifex illi præſidens.

Conc. romanum 2. ſub eodem Pontifice, *Clementem* quemdam hæreticum damnavit, qui *ſanctorum Patrum reſcripta reſpuens, & omnia ſynodalia Acta parvipendens*, Judaiſmum Chriſtianis inferebat, prædicando, fratrem uxorem fratris ſui defuncti ſibi matrimonio jungere poſſe.

In-

Inter Capitula *Theodori Cantuarienſis*, Tomo 9. *Spicilegii* edita, & in excerptionibus *Egberti* Eboracenſis Archiepiſcopi, plurima leguntur Capitula, quibus eccleſiaſticæ Leges de matrimonii impedimentis continentur. Sæculo 7. floruit Theodorus, octavo *Egbertus*, collectionemque ſuam anno circiter 757. edidit. Eccleſiæ anglicanæ

Concilium Moguntinum anno 813. celebratum, *Carolo magno* imperante, tres de matrimonio Canones edidit, impedimenta dirimentia conſanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis ſpiritualis ſpectantes, ſcilicet quinquageſimum quartum, quinquageſimum quintum, & quinquageſimum ſextum. Et germanicæ diſciplina.

54. „„ Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur; ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit, ſeparetur „„.

55. „„ Nullus proprium filium, vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat; non filiolam, nec commatrem ducat uxorem; nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur „„.

56. „„ Si quis uxorem viduam duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit; aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum patre, & filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari „„.

Concilium quidem *Caroli magni* auctoritate firmari, & emendari poſtulat, quæ decreta ſunt: ſed ex his verbis, urbanitatis, & reverentiæ erga Imperatorem teſtibus, perperam quis colligeret, Eccleſiam Regum duntaxat conceſſione, vel approbatione matrimonii impedimenta conſtituere poſſe, ac de cauſis matrimonialibus judicare. Non ea mens erat Patrum; nec Imperatoris auctoritatem implorabant, niſi ut Canonum executionem impetraret, ac eccleſiaſticam Auctoritatem pro more tueretur. Sane cum in tres turmas, ſeu ordines Concilium diviſum eſſet (ut conſtat Ea eſt a Regum approbatione, & conceſſione independens.

ſtat ex præfatione Patrum) & in prima turma Epiſcopi, in ſecunda Abbates, in tertia *Comites, & judices in mundanis legibus decertantes* ſederent; cognitionem eorum, quæ matrimonium ſpectant, non ſuſcepere laici illi magiſtratus, Imperatoris auctoritate *Vulgi juſtitias perquirentes, omniumque advenientium cauſas diligenter examinantes*, ſed Epiſcopi *ſacra Dogmata diligenti ſtudio perquirentes*, ut ſtatum Eccleſiæ Dei, & chriſtianæ plebis perficerent, & conſervarent. Quod argumento eſt, magiſtratus ipſos jus Eccleſiæ in conſtituendis matrimonii impedimentis agnoviſſe.

Nicolaus I. in reſponſis ad conſulta Bulgarorum, cap. 2. Spiritualis affinitatis impedimentum confirmat, matrimonium patrini, vel filiorum ejus cum ea, quam ex ſacro Fonte ſuſcepit, prohibens, & irritum declarans, caput 39. Impedimentum conſanguinitatis, & affinitatis ex ſacris Canonibus, & præcipue *Zachariæ* ſummi Pontificis decretis judicandum reſpondet. „ Sacri vero Canones, & præcipue Za„ chariæ ſummi Præſulis decreta, quid hinc promul„ gent, Epiſcopo veſtro vobis explorandum relin„ quimus „, cap. denique 48. nuptias quadrageſimali tempore celebrari prohibet.

Eccleſiæ germanicæ diſciplina.

Concilium Triburienſe anno 895. celebratum, nonnullos edidit de matrimonio canones. Can. 38. „ „ Paternam (*inquit*) ſequentes auctoritatem, ſtatuimus, & libere judicamus, ut quiſquis liber libertam, hoc eſt, ex ancilla per manumiſſionem, & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debeat. & quamdiu illa vivat, nullam aliam accipiat „ „.

Can. 39. ſtatuit, ut matrimonia inter mulieres & viros diverſarum gentium, diverſiſque legibus viventium contracta, non obſtante legum diverſitate, quarum imperfectionem Eccleſiæ ſupplet auctoritas, rata ſint. Si quis legum, conſuetudinum diverſitatem cauſatus, aliam, cujuſcunque ſit gentis, duxerit, ad priorem redire compellatur, & pœnitentiæ ſub-

ſubjiciatur. „„ Quicunque, *inquit*, alienigenam, hoc eſt, alienæ gentis feminam, v. gr. Francus mulierem bavaricam, utrorumque conſultu propinquorum, legitime, vel ſua, vel mulieris lege acquiſitam, in conjugium duxerit; velit, nolit, tenenda erit, nec ultra ab eo ſeparanda, excepta fornicationis cauſa. Quamvis enim, ut ait Apoſtolus, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma utrique communis ſit nationi, legem tamen habent diverſam, & quantum ad ſeculum longe diſtinctam; quare ſi unus e duobus unam carnem in duas dividere, & copulam nuptialem machinetur disjungere, dicendo: Non ſecundum ſuæ gentis legem jura matrimonii contraxiſſe, & ideo ſeparari poſſe; canonica inſtitutione definimus, & noſtro, Orthodoxorumque omnium judicio ſtatuimus, ut, quod legis imperfectum ſit, perficiatur, & jus matrimonii nequaquam reſolvatur. Si quis poſt hæc hujus ſancti Concilii inſtitutum parvipendens, aliam duxerit, cujuſcunque gentis ſit, canonice arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur „„.

Idem Concilium can. 40. de impedimento criminis ſtatuit hunc in modum: „ Non licet, nec chriſtianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus eſt adulterio „. Impedimentum criminis.

Anno nongenteſimo nonageſimo octavo *Gregorius V.* cum Synodo romana *Roberti* Regis Francorum cum *Berta* conſanguinea matrimonium irritum declaravit, & *Erchembaldum* Turonenſem Archiepiſcopum, alioſque Epiſcopos, qui tali conjugio interfuerant, a communione ſuſpendit, donec ad Sedem apoſtolicam ſatisfacturi veniſſent, can. 1. & 2. Conſanguinitatis.

„„ Ut Rex Robertus conſanguineam ſuam Bertam, quam contra leges duxerat, derelinquat, & ſeptem annorum pœnitentiam agat, ut ſecundum præfixos eccleſiaſticos gradus judicatum eſt: quod ſi non fecerit, anathema ſit; idemque de eadem Berta præceptum eſt „„.

„„ Erchembaldum Turonenſem Archiepiſcopum talis conjugii conſecratorem, cum omnibus Epiſcopis, qui conſentientes interfuerunt his inceſtis nuptiis Regis, & Bertæ conſanguineæ ſuæ, a ſacroſancta communione ſuſpendimus, donec ad hanc ſanctam Sedem apoſtolicam veniant ſatisfacturi „„.

Leges, quarum mentionem facit Synodus, non aliæ ſunt, quam eccleſiaſticæ. Purum enim delirium eſt, ad magni *Theodoſii* legem hoc verbum referre, quam ejus filii *Honorius*, & *Arcadius* Imperatores abrogaverant, & quæ Regem Francorum ligare non poterat.

Alexander II. Pontifex maximus cauſam divortii inter *Radulfum* Comitem, ejuſque uxorem, *Gervaſio* Remenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis judicandum commiſit, Ep. 24. Idem Pontifex Ep. 27. & 28. modum computandi gradus conſanguinitatis, ſecundum ſacros Canones, & eccleſiaſticum morem præſcribit, ut matrimonia conſanguineorum ad ſeptimam uſque generationem prohibita, & irrita eſſe confirmet. Idem *Guilielmo de Monſtrolio*, ſeu *Monaſteriolo*, prohibet, ne uxorem, quam prætextu conſanguinitatis dimittere volebat, ullatenus dimittere præſumat, vel aliam ducere: *Donec Epiſcoporum religioſorum Concilium cauſam iſtam examinaverit.* Refertur can. *Multorum*, cauſa 35. qu. 6.

Eccleſiæ poteſtatem in chriſtianorum matrimonia pariter probant ſequentium Pontificum Epiſtolæ, ac Decreta Conciliorum generalium Lateranenſium, primi, ſecundi, tertii, & quarti Canones, præſertimque poſtremi ſub *Innocentio III.* celebrati cap. 2. quo prohibitiones de conjugio in ſecundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, revocantur, decerniturque, ut ſic contrahentes deinceps libere copulentur. Impedimentum inſuper conſanguinitatis, & affinitatis reſtringitur ad quartum gradum.

Ac-

Accedit auctoritas *S. Thomæ*, in 4. Sentent., dist. 42. q. 1. art. 1. „ „ Sicut (*inquit*) carnalis cognatio impedit matrimonium, ita ſpiritualis ex Eccleſiæ ſtatuto, &c. *Et qu.* 2. *art.* 2. Lex divina (*inquit*) illas præcipue perſonas a matrimonio excludit, quas neceſſe erat cohabitare, ne ſi ad eas liceret uti carnali copula, facile pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium eſt ordinatum; & quia filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi, & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata, & inde habetur, quod legalis cognatio matrimonium impediat. *Et in reſponſione ad quartum*: Prohibitio (*inquit*) legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum matrimonii, niſi interveniret auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit „ „.

Idem, dist. 40. qu. 1. art. 3. „ „ Sicut olim matrimonia gentilium diſpenſabantur per leges civiles, ita nunc per ſtatuta Eccleſiæ; ſed olim lex civilis determinabat gradus conſanguinitatis, qui matrimonium impediunt, & qui non; ergo & modo poteſt hoc fieri per Eccleſiæ ſtatutum „ „.

Argumentum iſtud ſecundo loco ſibi objecerat: matrimonium eſt Sacramentum, ſicut & Baptiſmus; ſed non poſſet ex ſtatuto Eccleſiæ fieri, ut ille, qui ad Baptiſmum accedit, non reciperet characterem baptiſmalem, ſi ex jure divino ejus capax ſit. Ergo nec Eccleſiæ ſtatutum facere poteſt, quod matrimonium non ſit inter illos, qui per jus divinum matrimonio conjungi non prohibentur. Sic autem huic objectioni reſpondet: „ „ Matrimonium non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam eſt officium; & ideo magis ſubjacet ordinationi miniſtrorum Eccleſiæ, quam Baptiſmus, qui eſt Sacramentum tantum; quia ſicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia ſpiritualia lege Eccleſiæ „ „.

Ibidem in reſponſione ad tertium: „„ Quamvis conſanguinitatis vinculum ſit naturale, non tamen eſt naturale, quod conſanguinitatis carnalem copulationem impediat niſi ſecundum aliquem gradum; & ideo Eccleſia ſuo ſtatuto non facit, quod aliqui ſint, aut non ſint conſanguinei; ſed facit, quod carnalis copula ſit licita, vel illicita, ſecundum diverſa tempora in diverſis gradibus conſanguinitatis „„.

Et diſt. 37. qu. 1. art. 1. „„ Ordo ſacer de ſui ratione habet ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, quia in ſacris Ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant, & ideo decens eſt, ut munditiam corporalem per continentiam ſervent. Sed quod impediat matrimonium, ex conſtitutione Eccleſiæ habet. Tamen aliter apud latinos, quam apud græcos, quia apud græcos impedit matrimonium contrahendum ſolum ex vi ordinis, ſed apud latinos impedit ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiæ, quod eſt Ordinibus ſacris annexum, quod etiamſi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipſo tamen, quod Ordinem ſuſcipit ſecundum ritum occidentalis Eccleſiæ, intelligitur emiſiſſe „„.

Denique quodlibeto 5. q. 8. art. 1. in reſponſione ad primam objectionem. „„ Eccleſia (*inquit*) in his, quæ ad matrimonium pertinent, ſe habet tripliciter; uno quidem modo per modum judicantis; & quia homines vident ea, quæ apparent, ſecundum quod dicitur 1. Regum 16. oportet, quod Judex eccleſiaſticus judicet ſecundum ea, quæ ſibi apparent. Alio modo ſe habet per modum prohibentis, & punientis, & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum... Tertio modo ſe habet per modum ſtatuentis, quod fit ſolum auctoritate ſummi Pontificis; & ſecundum hoc perſonæ aliquæ redduntur illegitimæ, ut patet in quibuſdam gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, vel etiam de adultera, cum quis dedit ei fidem de contrahendo, cum machinatus eſt in mortem uxoris „„.

Ex

Ex his omnibus perſpicuum eſt, Eccleſiam potuiſſe ſemper, ac poſſe conſtituere impedimenta matrimonii, tam prohibentia, quam dirimentia, non auctoritate ab hominibus accepta, ſed a Chriſto ſponſo ſuo immediate tradita; Conciliique Tridentini de iſto fidei dogmate Canones Traditione perpetua niti. Id unum ex his teſtimoniis colligi velim. Quæſtiones enim vel inutiles, vel invidioſas non moveo, Tridentini Concilii, & Catechiſmi ejus decreto editi finibus hoc in argumento, aliiſque me continens.

ARTICULUS II.

Quot ſint impedimenta Matrimonii.

Matrimonii impedimenta ſunt duplicis generis. Quædam nuptias dirimunt, hoc eſt invalidas, irritaſque reddunt; quædam celebratas nuptias non dirimunt, ſed earum celebrationem prohibent. Prima matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum; poſteriora contrahendum impediunt, faciuntque ut illicite contrahatur, ſed contractum non diſſolvunt. Matrimonii impedimenta duplicis generis.

Impedimenta dirimentia quatuordecim omnino recenſentur; ſcilicet, error, conditio; votum ſolemne caſtitatis, & continentiæ, cognatio, affinitas, crimen, id eſt, homicidium, & adulterium certis in caſibus, diſparitas cultus, ſeu religionis diverſitas, vis, Ordo ſacer, alterius matrimonii vinculum ſubſiſtens, juſtitia publicæ honeſtatis, impotentia Quæ quidem duodecim impedimenta ante Concilium Tridentinum conſtituta erant. His vero clandeſtinitas, & raptus, eiuſdem Concilii decretis acceſſerunt. Quæ his verſibus memoriæ juvandæ cauſa exprimuntur. Impedimenta dirimentia.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Affinis, raptor, ſi clandeſtinus, & impos,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta prohibentia duntaxat, ſecundum hodiernam diſciplinam, quinque numerantur, ſcilicet Impedimenta prohibentia.

interdictum Ecclesiæ, Feriæ, Catechismus, Sponsalia cum altera inita, & votum simplex castitatis, seu continentiæ perpetuæ, & religionis; quæ tribus his versiculis exprimuntur:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Interdictum est, cum Episcopus, seu Judex alius ecclesiasticus, aut parochus interdicit alicui, ne contrahat matrimonium cum aliqua, ob aliquod impedimentum, donec constet, an vere subsit illud, necne. Ratum nihilominus est, si contrahatur, quoties vere non aderat impedimentum, licet peccent graviter contrahendo, ut constat ex cap. *Litteræ*, & cap. *Ex literis*, quæ sunt *Alexandri III.* responsa, Ext. *De Matrimonio contracto, contra interdictum Ecclesiæ*. Interimque, donec de impedimento cognoscatur, separari eos jubet idem Pontifex, cap. *De muliere*, sub eodem Titulo.

Feriarum tempus, quo nuptiarum solemnitates prohibentur, olim erat ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, a Septuagesima usque ad octavam Paschæ, & a primo die rogationum usque ad octavam Pentecostes, ut constat ex cap. *Cum oportet*, causa 33. qu. 4. & cap. *Capellanus*, Ext. *De Feriis*. Hodie vero ex Concilii Tridentini Decreto sess. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 10. est tantum ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a Feria 4. Cinerum usque in octavam paschatis inclusive.

Sponsalia cum aliqua inita, nisi ipso jure, aut ecclesiastici Judicis sententia solvantur, impediunt, ne matrimonium cum altera contrahatur. Contractum tamen per verba de præsenti ratum est, ut docet cap. *Veniens*, & c. *Sicut*, Ext. *De Sponsalibus, & Matrimonio.*

Votum simplex castitatis, id est, quod professio religionis approbatæ, vel sacri Ordinis susceptio solemne non fecit; votum etiam religionis matrimo-

nium

nium contrahendum impediunt, contractum non dirimunt; ut constat ex can. *Quidam nubentes*, & can. *Si vir*, dist. 27. Item ex cap. *Minimus*, & cap. *Veniens*, quæ sunt *Alexandri III.* responsa, Ext. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.* Necnon cap. *Quod votum*, Tit. *De Voto & voti Redemptione*, in 6 Peccant autem mortaliter, qui hujusmodi votis obstricti contrahunt, tum quia frangunt voti fidem, tum quia sponsam decipiunt. Hæc dilucide *S. Th.* explicat, in 4. *Sentent.* dist. 38. qu. 1. art. 2. quæst. 2. „ „ Per hoc (*inquit*) res aliqua desinit esse in potestate alicujus, per quod transit in dominium alterius; promissio autem alicujus rei non transfert eam in dominium ejus, cui promittitur; & ideo non ex hoc ipso, quod aliquis rem promittit aliquam, desinit res illa esse in ejus potestate. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam servandam Deo facta, post votum simplex adhuc remanet homo dominus corporis sui; & ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori, in qua datione matrimonii Sacramentum consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex, quamvis impediat contrahendum (quia peccat matrimonium contrahens post votum simplex continentiæ) tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi „ „.

Et in responsione ad primum: „ „ Votum (*inquit*) est fortius vinculum, quam matrimonium, quantum ad illud, cui fit, & ad quod ligat; quia per matrimonium ligatur homo uxori ad redditionem debiti, sed per votum Deo ad continentiam; tamen quantum ad modum ligandi, matrimonium est fortius vinculum, quam votum simplex. Potior autem semper est conditio possidentis; sed quantum ad hoc simili modo obligat votum simplex, sicut Sponsalia; unde propter votum simplex sunt Sponsalia dirimenda „ „.

Catechiſmus eſt inſtructio baptizandi ſolemniter a Sacerdote, in janua Eccleſiæ facta, antequam baptizetur, de articulis Fidei catholicæ credendis, ut conſtat ex can. *Ante Baptiſmum*, diſt. 4. *De Conſecratione.* Ex eo ſpiritualis oritur cognatio, quæ matrimonium impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum. c. *Per Catechiſmum*, Tit. *De ſpirituali cognatione*, in 6. Sed probabilius eſt, hoc impedimentum a Conc. Trid. ſublatum fuiſſe. Poſtquam enim ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, c. 2. declaravit, ſpiritualem cognationem contrahi tantum inter eos, qui baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiunt, & baptizatum ipſum, illiuſque patrem, ac matrem; necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem; eam quoque cognationem, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, ac matrem, ac tenentem non egredi, ſubdit: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Atque ita etiam reſpondit olim S. Congregatio Concilii interpres. Quamobrem cum infans domi ob mortis periculum imminens baptizatus, poſtmodum ad Eccleſiam defertur, ut ſolemnes Baptiſmi cæremoniæ ſuppleantur, quarum una dicitur Catechiſmus, ſi alii Patrini ad has cæremonias, & ad nomen puero imponendum adhibeantur, quam qui puerum in Baptiſmo domi collato tenuerunt, inter eos, & puerum, ejuſque patrem, & matrem non contrahitur cognatio ſpiritualis.

Supereſt, ut ſigillatim de impedimentis dirimentibus agamus, certiſque Regulis explicemus, quid obſervandum ſit ſecundum eam, quæ nunc in Eccleſia viget, diſciplinam. Quoniam vero de impedimento violentiæ, & metu in virum conſtantem cadente, & a cauſa extranea incuſſo ad extorquendum conſenſum in matrimonium abunde diximus q. 2. in ar. 1. Conſectariis; item de conſenſu clandeſtino, art. 2. ejuſdem qu. Propoſit. 1. 2. & 3. & in art. Conſectariis, ſive Regulis praxim ſpectantibus; nihil

tra-

tractandum ſupereſt de impedimentis violentiæ, & clandeſtinitatis. Ad alia itaque explicanda aggrediamur.

ARTICULUS III.

De impedimentis erroris, & conditionis.

Error quadruplex eſt. Alius circa perſonam, quando contrahens putat aliam eſſe perſonam, cum qua contrahit, quam revera ſit; verbi gratia, ſi Petro volenti contrahere cum Maria, ſupponatur Margarita. Alius circa conditionem eſt, cum quis putat ſe contrahere cum libera, & ingenua muliere, quæ tamen ſervilis conditionis eſt. Error circa qualitatem eſt, cum putatur virgo, quæ eſt corrupta; cum exiſtimatur nobilis, quæ eſt plebeja; cum formoſa creditur, quæ eſt deformis. Error circa fortunam eſt, cum putatur dives, quæ eſt pauper.

REGULA PRIMA.

Error circa perſonam matrimonium jure naturæ irritum facit.

Tollit enim conſenſus libertatem, ſiquidem, ut dicitur in Digeſtis, Tit. *De juriſdictione omnium Judicum*, L. Si per errorem: *Quid tam contrarium eſt conſenſui, quam error?* Cum ergo conſenſus ad matrimonium ſit omnino neceſſarius, error circa perſonam matrimonium irritum facit. Unde ſicut qui ordinatur ab eo, quem putat Epiſcopum, cum adhuc ſit laicus, errat, nec vere ordinem ſuſcipit; ſic errans circa perſonam, & eam, cum qua contrahit, aliam eſſe putans, quam revera ſit, verum, ac ratum matrimonium non contrahit. Quare „ matrimonium quod fuit inter Liam, & Jacob, non „ fuit perfectum ex ipſo concubitu, qui ex errore „ contigit; ſed ex conſenſu, qui poſtmodum acceſſit „; (ut reſpondet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 30. qu. 1. art. 1. ad 4) Uterque tamen a peccato excuſatur; Jacob quidem propter ignorantiam facti, quia pu-

De impedimento erroris. Error circa perſonam dirimit matrimonium, tametſi non ſit conjunctus cum ullo dolo partis alterius, idque ſive ſit antecedens, & dans cauſam contractui ſive ſolum concomitans, & incidens in contractum.

tabat ipſam eſſe Rachel, quæ ipſi deſponſata erat; Lia vero propter ignorantiam juris invincibilem, putans jure primogenituræ, & paterna auctoritate, ſe legitime deſponſatam, & conjunctam.

REGULA II.

Error circa qualitatem, aut fortunam matrimonium contractum non dirimit.

Diverſitas namque fortunæ „ Non variat aliquid „ eorum, quæ ſunt de eſſentia matrimonii, nec „ diverſitas qualitatis, ſicut facit conditio ſervitutis „ (*inquit S. Th.* in reſponſione ad quartum) ſive (ut ait *Gratianus* cauſa 29. qu. 1.) Error fortunæ, & qualitatis non excludit conſenſum; veluti ſi qui conſentiret in Prælaturam alicujus Eccleſiæ, quam putaret eſſe divitem, & illa eſſet minus copioſa, quamvis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen poſſet renuntiare Prælaturæ acceptæ; ſimiliter quæ nubit pauperi, putans illum eſſe divitem, non poteſt renuntiare priori conjugio, quamvis erraverit. Error qualitatis non excludit ſimiliter conſenſum; utpote ſi quis emerit agrum, vel vineam, quam putabat eſſe uberrimam. Quamvis ille erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non poteſt tamen emptionem reſcindere; ſimiliter, qui ducit uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat eſſe caſtam, vel virginem, non poteſt eam dimittere, & aliam ducere.

REGULA III.

Error qualitatis, vel fortunæ, qui tranſit in errorem perſonæ, irritum facit Matrimonium.

Id fit, quando qualitas circa quam erratur, determinat certam aliquam perſonam diſtinctam ab ea, quæ præſens eſt; ut ſi Henricus contraxerit cum filia Ludovici, quæ ſe falſo dicebat filiam præſidis provinciæ, conſenſumque ſuum ad illam determinabat; vel ſi mulier nubere vult Joanni, quem falſa rela-

relatione, ſive perſuaſione deluſa, credit eſſe primogenitum, præcipuumque bonorum paternorum hæredem, cum ſit natu minor, & ſola penſione vitalitia donandus, aut in quartam duntaxat bonorum partem ſucceſſurus. Irritum his in ſpeciebus matrimonium eſt, ut docet *S. Th.* loco ſuperius indicato, in reſponſione ad quintum. „„ Error (*inquit*) nobilitatis, in quantum hujuſmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis; ſed ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit matrimonium. Unde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directe, error de nobilitate ipſius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit conſentire in filium Regis, quicunque ſit ille, tunc ſi alius præſentetur ei, quam filius Regis, eſt error perſonæ; & impeditur matrimonium „„

REGULA IV.

Error conditionis Matrimonium dirimit.

De errore conditionis.

Talis enim error accidit circa id, quod pertinet ad eſſentiam matrimonii. „„ Duo *ſcilicet* includit matrimonium ipſum; perſonas, quæ conjunguntur, & mutuam poteſtatem in invicem, in qua matrimonium conſiſtit. Primum tollitur per errorem perſonæ; ſecundum per errorem conditionis; quia ſervus non poteſt poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu domini ſui „„; *inquit S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 30. qu. 1. art. 2. Hac itaque ratione ſit inter liberum, & ſervum iniqua pactio, non conſentiente huic iniquitati eo, qui liber eſt, & ſervilem alterius conditionem ignorat.

Et diſt. 36. qu. 1. art. 1. „„ In matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum, & ideo ſi ille, qui ſe obligat, eſt impotens ad ſolvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo, cui fit obligatio, tollit contractum; ſicut autem per impotentiam coeundi, efficitur aliquis impo-

potens ad ſolvendum debitum, ut omnino non poſſit ſolvere, ita per ſervitutem, ut libere reddere debitum non poſſit; & ideo ſicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium; ita conditio ſervitutis ignorata matrimonium impedit „„.

Id confirmatur ex can. *Si quis*, cauſa 29. qu. 2. qui ex Conc. Vermerienſi deſumptus eſt, can. 9. cujus quidem Canonis ipſa verba repræſento prout in Conc. leguntur: „„ Si quis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, ſi ipſa femina poſtea fuerit inſervita (inſervitus, id eſt, in ſervitutem revocatus) ſi redimi non poteſt, ſi ita voluerit, liceat ei aliam accipere. Similiter & mulier ingenua ſi ſervum accipiat pro ingenuo, & poſtea pro quacunque cauſa, inſervitus fuerit; niſi pro inopia fame cogente ſe vendiderit, & ipſa hoc conſenſerit, & de pretio viri ſui a fame liberata fuerit; ſi voluerit, poteſt eum dimittere, & ſi ſe continere non poteſt, alium ducere „„.

Idem rurſus confirmatur ex cap. *Ad noſtram*, Ext. *De conjugio ſervorum*, quod eſt *Innocentii III.* reſponſum. „„ Mandamus (*inquit*) quatenus ſi conſtiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſerit in eamdem, propter quod per Cardinalem eumdem ab ejus fuerit conſortio ſeparatus, contrahendi cum alia liberam ipſi concedas auctoritate apoſtolica facultatem „„.

REGULA V.

Servitus cognita non impedit matrimonium, adeo ut homo liber cum ancilla, cujus conditionem non ignorat, valide contrahere poſſit; ſicut & ſervus cum libera, quam credit ancillam.

De conditionis impedimento.

Id conſtat ex can. *Si quis liber*: Cauſa 29. qu. 2. qui eſt *Zachariæ* Pontificis maximi, & can. *Si femina*, qui eſt Concilii Vermerienſis; ex cap. *Propoſuit*, quod *Alexandri III* & cap. *Ad noſtram*, quod *Innocentii III.* reſponſum eſt, Ext. *De conjugio ſervorum.*

Idem

Idem confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 36. q. 1. art. 1. in reſponſione ad primum. „ „ Servitus (*inquit*) contrariatur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non poteſt libere exequi, & quantum ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex ſervitute parentis. Sed quia quilibet poteſt in eo, quod ſibi debetur, ſponte detrimentum aliquod ſubire; ideo ſi alter conjugum ſcit alterius ſervitutem, nihilominus matrimonium tenet. Similiter etiam, quia in matrimonio eſt æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non poteſt aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipſe poſſit facere; & propter hoc ſervus, etiamſi contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium. Et ſic patet, quod ſervitus non impedit matrimonium, niſi quando ignorata eſt ab alio conjuge, qui ſit liberæ conditionis. Et ideo nihil prohibet inter ſervos eſſe conjugia, vel etiam inter liberum, & ancillam „ „.

REGULA VI.

Servorum matrimonia, inconſultis etiam, & invitis dominis contracta, rata ſunt.

Olim quidem, ſecundum jus civile, ſervorum conjunctiones vera matrimonia non dicebantur, ſed mera contubernia; eodemque jure irrita cenſebantur liberorum hominum connubia cum ancillis, vel ingenuarum mulierum cum ſervis. His legibus diſciplinam ſuam diu accommodavit Eccleſia; ut conſtat ex Epiſt. 2. alias 92. *S. Leonis* ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum, ex quo refertur can. *Non omnis*, & can. *Ancillam*, cauſa 32. q. 2. „ „ Non omnis mulier (*inquit*) juncta viro, uxor eſt viri; quia nec omnis filius hæres eſt patris, nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipſum Domino conſtituente, quam initium romani juris exiſteret. Itaque aliud

Lib. 14. De ritu nuptiarum. De ſervorum matrimonio.

eſt

eſt uxor, aliud concubina; ſicut aliud ancilla, aliud libera.... Igitur cujuslibet loci Clericus, ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit, niſi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur „.

„ Ancillam a thoro abjicere, & uxorem certæ in„ genuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed „ profectus eſt honeſtatis „.

Adriani quarti reſponſum eſt ad conſultationem Eborardi Salisburgenſis Epiſcopi.

Verum Eccleſia ſervorum matrimonia, invitis etiam dominis contracta, tandem rata eſſe voluit, ut conſtat ex cap. *Dignum eſt*, Ext. *De conjugio ſervorum*, quod eſt *Adriani* Papæ; ea tamen lege, ut nihilominus debita, & conſueta ſervitia propriis dominis exhiberent. Atque huic Eccleſiæ diſciplinæ civiles leges cedere oportuit.

Impedimentum igitur ſervitutis duraſſe videtur uſque ad ſæculum circiter 12.

Idem docet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 36. q. 1. „ „ Cum (*inquit*) jus poſitivum progrediatur a jure naturali, ideo ſervitus, quæ eſt de jure poſitivo, non poteſt præjudicare his, quæ ſunt de lege naturali. Sicut autem appetitus naturæ eſt ad conſervationem individui, ita eſt ad conſervationem ſpeciei per generationem; unde ſicut ſervus non ſubditur domino, quin poſſit libere comedere, & dormire; ita non ſubditur ei quantum ad hoc, quod non poſſit libere matrimonium contrahere, etiam domino neſciente, aut contradicente „ „. Præterea: *In Chriſto Jeſu non eſt ſervus, neque liber* (inquit Apoſtolus ad *Galat.* 3.) Ad matrimonium igitur contrahendum in fidem Chriſti Jeſu eadem eſt libertas ſervis, & liberis. „ Et ideo ſi dominus præcipiat ſervo, ne con„ trahat matrimonium, ſervus non tenetur ei ob„ edire „; (*inquit* angelicus Doctor in reſponſione ad ſecundum.)

REGULA VII.

Servus, qui domino conſentiente matrimonium contraxit, uxori debitum potius reddere debet, quam obſequi domino, ſi utrumque officium ſimul impleri non poſſit; at aliter ſe res habet, ſi inconſulto, & invito domino contraxerit.

De ſervorum matrimonio.

Hanc Regulam tradit *S. Thom.* loco mox indicato, in reſponſione ad tertium: „ „ Si ſervus (*inquit*) volente domino matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere ſervitium domini imperantis, & reddere debitum uxori; quia per hoc, quod dominus conceſſit, ut matrimonium ſervus contraheret, intelligitur ei conceſſiſſe omnia, quæ matrimonium requirit. Si autem matrimonium ignorante, vel contradicente domino eſt contractum, non tenetur reddere debitum, ſed potius domino obedire, ſi utrumque ſimul eſſe non poſſit. Sed tamen in his multa particularia conſiderari debent, ſicut etiam in omnibus humanis actibus; ſcilicet periculum caſtitatis imminens uxori, & impedimentum, quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur, & alia hujuſmodi, quibus omnibus rite penſatis judicari poterit, cui magis ſervus obedire teneatur; domino, vel uxori „ „.

REGULA VIII.

Servitus matrimonio ſuperveniens, illud non dirimit, nec virum a debito uxori reddendo abſolvit.

Id conſtat ex can. *Perlatum eſt*, cauſa 29. qu. 2. qui Conc. Triburienſis nomine profertur. Idemque confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 31. qu. 1. art. 3. hac ratione fretus; *Quia nullum impedimentum matrimonio ſuperveniens poteſt diſſolvere ipſum.* Et in reſponſione ad primum: „ „ Fraus (*inquit*) bene poteſt nocere ei, qui fraudem fecit, ſed non poteſt alteri præjudicium generare; & ideo ſi vir in fraudem uxoris alteri det ſe in ſervum, ipſe damnum re-

reportat, inæſtimabile libertatis bonum amittens; ſed uxori nullum poteſt ex hoc præjudicium generari, quin teneatur debitum reddere petenti, & ad omnia, quæ matrimonium requirit; non enim poteſt ab his retrahi domini ſui præcepto „ „.

REGULA IX.

Proles in libertate, & ſervitute ſequitur matrem, quamvis in iis, quæ ad dignitatem pertinent, ſcilicet in honoribus, municipiis, hereditate, & aliis, patrem ſequatur.

De ſervorum matrimonio, & prole.

Servitus enim corporalis conditio eſt; mater autem ſubſtantiam corporis ſubminiſtrat; quare natus ex patre libero, & matre ancilla ſervus eſt; natus ex patre ſervo, & matre libera ingenuus ac liber eſt. Hinc illud juris civilis effatum: *Partus ſequitur ventrem.* Quod moſaicæ Legi conſonum eſt *Exodi* 21. ubi de ſervo emptitio dicitur: *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi; in ſeptimo egreditur liber gratis... Si dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, & filias, mulier, & liberi ejus erunt domini ſui, ipſe vere exibit cum veſtitu ſuo.*

Eadem Regula colligitur ex can. *Liberi*, cauſa 32. qu. 4. qui eſt *S. Iſidori Hiſpalenſis* lib. 9. *Originum* cap. 5. & cap. *Indecens*, Ext. *De natis ex libero ventre*, quod ex *S. Gregorio* libro 1. Epiſt. 53. ſumptum eſt. Hac tamen de re ſecundum leges, & conſuetudines municipales judicandum, in iis locis, quæ romano jure non reguntur, *Urbanus III.* reſpondit cap. *Licet*, Ext. *De conjugio ſervorum*, idemque docet *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 36. qu. 1. art. 4.

REGULA X.

Cum matrimonium irritum eſt ob impedimentum erroris, vel conditionis, ratum fieri non poteſt, niſi accedente novo partium conſenſu, & niſi ſecundum formam Tridentini Concilii contrahant.

Hæc

Hæc Regula colligitur, quantum ad primam partem, ex *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 30. qu. 1. art. 2. in responsione ad octavum, ubi loquens de viro, qui errore personæ deceptus, multos annos cum muliere mansit, filiosque ex ea procreavit: „ Quantumcunque (*inquit*) fuerit cum ea, nisi de „ novo consentire velit, non est matrimonium „. Veteri quidem jure cohabitatio post agnitum personæ, vel conditionis errorem subsecuta matrimonio conferebat firmitatem, ut liquet ex cap. *Proposuit*, & cap. *Ad nostram*, Ext. *De conjugio servorum*: sed jure novo Concilii Tridentini, ubi promulgatum est, iterum contrahere debent coram parocho, & testibus.

Quomodo rata fieri possint matrimonia ob impedimentum erroris, vel conditionis irrita.

ARTICULUS IV.

De impedimentis voti & Ordinis.

Votum aliud simplex, aliud solemne. Ea distinctio voti simplicis, & solemnis veteribus incognita, seculo 12. vulgo recepta. Voti simplicis, & solemnis discrimen. Simplex est nuda promissio Deo facta absque sui traditione. Solemne est promissio conjuncta cum sui traditione ad ea, quæ promittuntur; quando nimirum homo seipsum consecrat, & tradit Deo ad obedientiam, paupertatem, & continentiam perpetuam. Unde qui votum simplex emittunt, similes sunt contrahentibus matrimonium; in quo fit traditio hinc, & inde potestatis corporum; cum in Sponsalibus fiat duntaxat promissio id aliquando faciendi. Votum autem solemne castitatis dupliciter celebratur; scilicet sacri Ordinis susceptione, & professione expressa, vel tacita religionis alicujus a Sede apostolica approbatæ, ut ait *Bonifatius VIII.* cap. *Quod votum*, Tit. *De Voto, & voti Redemptione*, in sexto. Idem docet *S. Thomas*, *Secunda secundæ* qu. 88. art. 7. „ „ Voti solemnitas adhibetur (*inquit*) quando aliquis per susceptionem sacri Ordinis divino ministerio applicatur; & in professione certæ Regulæ, quando per abrenuntiationem

ſeculi, & propriæ voluntatis, aliquis ſtatum perfectionis aſſumit „„.

Votum ſimplex continentiæ perpetuæ matrimonium impedit contrahendum, non dirimit contractum.

II. Votum ſimplex continentiæ perpetuæ matrimonium impedire contrahendum, non vero dirimere contractum, ſuperius jam probavimus; de ſolemni quæſtio eſt impræſentiarum. Nec vero ſcrutari modo neceſſe eſt, quænam fuerit circa hoc caput vetus Eccleſiæ diſciplina, & an ſolemne continentiæ votum fuerit olim impedimentum dirimens matrimonii prioribus Eccleſiæ ſeculis, quæ quæſtio plus curioſitatis quam utilitatis habet. Vide *S. Auguſt. De bono Viduitatis* c. 10. *Innocentium I.* Epiſt. ad *Victricium* Rotom. *S. Leonem* Epiſtola ad *Ruſticum* Narbonenſem, *S. Gregorium* Ep. 33. lib. 1. *S. Bernar.* lib. *De Præcepto, & diſpenſat.* cap. 17. Stupra certe, adulteria, & adulteriis pejora crimina, Virginum Deo ſacrarum, & monachorum matrimonia SS. Patres appellarunt, execrata eſt Eccleſia, diuturnaque, & publica pœnitentia caſtigavit, ut conſtat ex *S. Cypriano*, Epiſt. ad Pomponium, *S. Baſilio* lib. *De Virginitate*, & in Epiſt. ad *Amphilochium*; S. Ambroſio Epiſt. *ad Virginem lapſam*, Siricio Pontifice maximo Ep. 1. ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum cap. 6. *Innocentio I.* Epiſt. ad *Victricium* Rothomagenſem Epiſcopum, c. 11. & 12. *S. Hieronymo* lib. 2. *Contra Jovinianum*, cap. ultimo. Concilio Chalcedonenſi Canonibus 14. & 15. *Gelaſio I.* Ep. 1 cap. 22. & 23. Conc. Carthaginenſi 4. can. ultimo, *S. Gregorio* lib. 1. Epiſt. 40. ad *Anthemium* Subdiaconum, &c.

Eccleſia continentiæ, ac cœlibatus legem ſacris miniſtris imponere potuit.

III. Quod ſpectat ſacrorum Eccleſiæ miniſtrorum continentiam, ac cœlibatum, ſeu votum ſolemne continentiæ Ordini ſacro annexum, certum eſt, Eccleſiam continentiæ legem ſacris hominibus imponere potuiſſe, cum auctoritatem acceperit a Chriſto condendi leges ſpirituali regimini, & fini vitæ æternæ congruentes; illamque audiri, utpote *Columnam, & firmamentum veritatis*; illi obedientiam ab omnibus fidelibus exhiberi Chriſtus Dominus juſſerit. Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus,*

1. Tim. 3. 15.

tis, & publicanus. Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.*

Continentiæ votum ſacris Ordinibus Eccleſiæ lege annexum.

IV. Certum eſt ſecundo, continentiæ votum ab antiquis temporibus eccleſiaſtica lege aut conſuetudine, ſacris Ordinibus annexum fuiſſe, cum in Eccleſia orientali, *S. Epiphanio* teſte hæreſi 59. quæ eſt Cartharorum, ſeu Novatianorum; tum in expoſitione Fidei catholicæ, cap 21. quod & Canon 27. ex iis, qui Apoſtolis tribuuntur, diſerte confirmat; tum in Eccleſia latina, teſte *S. Hieronymo* Epiſt. 50. „ Apoſtoli (*inquit*) vel virgines, vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudici „. Et lib. adverſus Vigilantium: „ Quid facient orientis Eccleſiæ; quid Ægypti, & Sedis apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos acciſiunt, aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt „? Sacris Ordinibus initiatos perpetuam continentiam ſervare debuiſſe ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus firmata, hæc ſatis probant. Quamquam Græci in ea retinenda non fuerunt ita conſtantes, ac Latini. *Siricius* Pontifex maximus hanc diſciplinam lata lege firmavit, ab omnique eccleſiaſtico honore dejectos pronuntiavit, ac decrevit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, qui rei uxoriæ vacarent: *Nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria;* (Epiſt. ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum.) *Siricii* Decretum confirmavit *Innoc. I.* Epiſt. 2. ad *Victricium* Rothomagenſem Epiſcopum c. 9. & Epiſt. 3. ad *Exuperium* Epiſcopum Toloſanum, cap. 1. confirmavit *S. Leo*, & ad *Subdiaconos* extendit, Epiſt. 2. alias 92. ad *Ruſticum Narbonenſem* Epiſcopum cap. 3. „ Lex continentiæ (*inquit*) eadem eſt miniſtris altaris, quæ Epiſcopis, atque Presbyteris; qui cum eſſent laici, ſive lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod

licuit. Unde ut de carnali fiat ſpirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quaſi non habeant, ſic habere; quo & ſalva ſit charitas connubiorum, & ceſſent opera nuptiarum „ „. Refertur, & diſt. 31. Can. *Lex continentiæ.* Idem Pontifex Epiſt. 12. alias 84. ad *Anaſtaſium* Theſſalonicenſem Epiſcopum, cap. 4. „ „ Cum (*inquit*) extra Clericorum ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale
1. Cor. 7. conceditur: Ut & qui habent, ſint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri; quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut levitico, aut presbyterali honore, aut epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur „ „.

Eccleſia optimis ducta rationibus continentiæ legem ſacris miniſtris impoſuit. Luc. 1. 1. Reg. 21.

V. Certum eſt tertio, Eccleſiam optimis ductam rationibus continentiæ perpetuæ legem ſacris miniſtris impoſuiſſe. Nam conjugii vinculum, & conjugales amplexus ſacri miniſterii functiones plurimum impediunt, quod in ſacrificii oblatione, Sacramentorum adminiſtratione, jugi oratione, verbi Dei prædicatione, & paſtorali cura poſitum eſt. Quare ſi Sacerdos veteris Teſtamenti ſacrificium tempore vicis ſuæ oblaturus ab uxore, & domo ſua tantiſper ſecedebat; ſi panes propoſitionis edere non poterant niſi mundi a mulieribus; quanto major ab iis exigenda puritas eſt, quorum munus eſt agnum immaculatum Chriſtum Jeſum in ſacrificium offerre, vel ſacrum facienti miniſtrare, & panem illum, qui de cœlo deſcendit, ipſam videlicet carnem Chriſti Filii Dei, cujus vetera illa Sacrificia, & panes propoſitionis figuræ tantum, & umbræ fuerunt, edere,
1. Cor. 7. aliiſque edendum diſtribuere? Si conjuges *ex conſenſu ad tempus* abſtinere debent ab opere conjugali, ut *vacent orationi*; congruum eſt, ſacri miniſtri, quibus

bus ſemper orandum eſt, a conjugio ſemper & penitus abſtineant. Sic ratiocinatur *S. Hieronymus*, lib. 1. *adverſus Jovinianum*, cap 19. „„ Si Laicus quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali; Sacerdoti. cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus, ab uxoribus ſeparati, & vinum, & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare „„. Quod autem Levitis tempus aliquod utendi conjugii conceſſum eſſet, id poſtulabat divini cultus neceſſitas, eo quod in una illa tribu, ejuſque una ſtirpe Aronica ſacerdotium illud vetus contineretur, ad cujus propagationem connubio opus erat. Nunc vero cum ceſſante privilegio Patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos Sacerdotes, rectores, ac miniſtros Eccleſia accipiat, quos Spiritus ſanctus præparavit, nec prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem; ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat Sacerdotem; minime neceſſe eſt, ut Sacerdotes matrimonio copulentur; imo conveniens eſt, ut matrimonii vinculis, & impedimentis liberi ſint, Deoque ac divinis Altaribus penitus mancipati; ſacrificiis, orationi, rerum divinarum meditationi, miniſterio verbi, fidelium ædificationi totos ſe dedant; quas ſacri miniſterii functiones res conjugalis, uxoriſque ac filiorum cura, & rei familiaris ſolicitudo plurimum interturbant, & impediunt. *Qui* enim *cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*; (inquit Apoſt. 1. *Cor.* 7.) Deinde qua ratione Fideles ad perpetuam continentiam adhortari poſſet Sacerdos rei uxoriæ vacans? Quomodo cum Apoſtolo dicere poſſet: *Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum*; qui totum ſe curæ paſtorali dabit, uxoris, & filiorum cura diſtractus? Quomodo pauperum ſingularem curam geret, omnem impendens operam ad theſaurizandum filiis? *Siri-* 1. Cor. 7.

cium Pontificem maximum Epiſt. 55. ad Africanos ea de re iterum audiamus, cujus verba, & Decretum ſua facit *Innoc. I.* in Epiſt. ad *Victricium*, & *Exuperium* Epiſcopos. „ „ Quod dignum (*inquit*) & pudicum, & honeſtum eſt, ſuademus, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia in miniſterio divino quotidianis neceſſitatibus occupantur. Ad Corinthios namque ſic Paulus ſcribit: *Abſtinete vos, ut vacetis orationi.* Si ergo Laicis abſtinentia imperatur, ut poſſint deprecantes audiri; quanto magis Sacerdos, utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentia, quid faciet? Excuſabit? Quo pudore, qua mente uſurpabit? Qua conſcientia? quo merito hic exaudiri
Tit. 1. ſe credit, cum dictum ſit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum?* Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod poteſt etiam jure gentilitas accuſare. Forte
1. Tim. 3. creditur, quia ſcriptum eſt: *Unius uxoris virum.* Non permanenti in concupiſcentia generandi dixit, ſed propter continentiam futuram „ „. Vult enim Apoſtolus, Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum ordinari, non bigamum, ſed qui unicam uxorem habuerit, vel nullam; aut ſi adhuc habeat, continentiam profiteatur, ac ſervet. Nec putandum eſt, quod mulieroſi hæretici objiciunt, Apoſtolum ſacrorum etiam hominum, & eorum, qui caſtitatem Deo voverunt, conjugia probare, his verbis ad Hebræos 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Hujus enim ſententiæ, quam aliis ad mores informandos præceptis interſeruit, is omnino ſenſus eſt; conjugium in omnibus legitime conjunctis ſit honorabile, & immaculatum, nec illud ſtupris, & adulteriis dedecorent, & inquinent: *Fornicatores enim* (inquit) *& adulteros judicabit Deus.* Vel honorabile connubium eſt ratione bonorum omnium, quæ complectitur, prolis, fidei, Sacramenti. Cum etiam

ait

ait alibi: *Si acceperis uxorem, non peccaſti*; de eo loquitur, qui voto non eſt adſtrictus; nam de iis, qui continentiæ jugum ſponte ſuſceperunt, 1. ad *Timoth.* 5. ſcribit: *Nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. Cor. 7.

VI. Certum eſt quarto, ſolemne continentiæ votum ſola Eccleſiæ lege ſacri Ordinis ſuſceptioni annexum eſſe. Hinc Eccleſiæ græcæ diſciplinam, ſeu potius prioris, & primævæ diſciplinæ remiſſionem Eccleſia latina toleravit, permiſitque, ut non quidem poſt ſacram Ordinationem uxores ducerent, quod nunquam licuit; ſed ut conjugio ante ordinationem inito uterentur. Atque ita intelligendus eſt canon *Aliter* diſt. 31. „ „ Aliter ſe orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus ſanctæ romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur; iſtius autem Eccleſiæ, vel occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi „ „. Hæc enim verba; *Matrimonio copulantur*, ſic explicant Gloſſa, & romani Correctores, *id eſt, copula utuntur*, nec ab uxoris legitima, quam ante ordinationem duxerunt, cohabitatione prohibentur in tempore opportuno, cum ſcilicet altari non miniſtrant, ut conſtat ex Trullana Synodo, quæ veterem diſciplinam edito can. 13. remiſit, & convulſit. Cæterum eadem Synodus Clericis prohibitum eſſe in Eccleſia etiam orientali declarat, ne uxores ducant poſt ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem. Sic enim ſtatuit can. 6. „ „ Quoniam in apoſtolicis Canonibus dictum eſt, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, ſolos Lectores, & Cantores uxorem poſſe ducere; & nos hoc ſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc auſus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel

Solemne continentiæ votum ſola Eccleſiæ lege ſacri Ordinis ſuſceptioni annexum eſt.

vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat „ „. Refertur ex parte Canone *Si quis*, dist. 32.

An votum continentiæ sola Ecclesiæ lege religiosæ professioni pariter sit annexum non ita certum est.

VII. Non ita inter omnes Theologos, & canonici juris peritos convenit, continentiæ votum solemne professionis religionis approbatæ, seu vitæ monasticæ secundum Regulam a Sede apostolica confirmatam, sola Ecclesiæ lege esse annexum, quamvis *Bonifacius VIII.* cap. *Quod votum*, Tit. *De Voto, & voti Redemptione*, in 6. asserat *Quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Nam *S. Thomas*, 2 2. qu. 88. art. 11. docet: „ „ Debitum continentiæ essentiale esse statui religionis, per quem homo abrenuntiat seculo, totaliter Dei servitio mancipatus; quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur „ „. Unde nec summum Pontificem in solemni continentiæ voto dispensare posse censet. Nititur Decretali, *Cum ad monasterium*, quæ est *Innocentii III.* Ext. *De Statu Monachorum* scribentis: „ „ Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere „ „. Addit rationem minime spernendam S. Thomas. „ „ Illud (*inquit*) quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari, *ut habetur Levitici ultimo.* Non autem potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, ut id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta, quod calix desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde multo minus potest facere aliquis Prælatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desistat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione viventis; & ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, quod ille, qui votum solemne emisit, desistat ab eo, quod est consecratus, puta, quod ille, qui est Sacerdos, non sit Sacerdos; licet possit Prælatus ob aliquam causam justam Ordinis

dinis executionem inhibere. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere, quod ille, qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus; licet quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant „„.

S. Thomæ ſententia poſterior. Contraria multorum Theologorum, & juriſperitorum opinio.

Verum a *S. Thoma* diſſentiunt plerique magni nominis Theologi, & juris canonici periti, Innocentius IV. Joannes Andreas, Hoſtienſis. Cardinales Cajetanus, & de Turrecremata, S. Antoninus 2. part. Tit. 11. cap. 2. *S. Thomæ* priorem ſententiam poſteriori anteponendam cenſens. Aſſerit enim in 4. *Sent.* diſt. 38. quæſt. 1. art. 4. velut „„ Probabilius, quod ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius regni, vel provinciæ expoſceret, poſſet convenienter & in voto continentiæ, & in voto religionis diſpenſari, quantumcunque eſſet ſolemnizatum. Non enim per votum poteſt homo ſe deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis poſſet imminere neceſſitas, quod poſſet alicui juſte prohiberi, ne continentiam, aut religionem voveret; & eadem neceſſitate manente, poteſt etiam in voto diſpenſari jam facto „„. Idem cenſent Toletus, Navarrus, Covarruvias, alii, & *Fagnanus* in 2. part. lib. 3. Decretalium, ad cap. *Cum ad monaſterium*, ubi ait: „„ Hodie hanc ſententiam eſſe communem Theologorum, ac fere omnium Canoniſtarum, quam etiam tacite approbavit Eccleſia romana, dum ſuper hoc diſpenſavit cum multis Religioſis „„.

Prior S. Thomæ ſententia poſteriori anteponitur in praxi.

Votum continentiæ ſtatui religioſo intrinſecum & eſſentiale eſt.

Sed hac quæſtione de voti ſolemnis diſpenſatione, Theologorum, & Juriſperitorum diſputationi relicta, certum nihilominus eſt, votum ſolemne continentiæ adeo eſſe intrinſecum, & eſſentiale ſtatui religioſo, ut ſummus Pontifex efficere non poſſit, ut quis remaneat Monachus, & uxorem habeat, quo ſenſu *Innocentii III.* Decretalem auctores laudati explicant; quamvis diſpenſatione ſua efficere poſſit, ut ex monacho fiat non monachus, adeoque ſolemnibus votis ſolutus & conſecrationem tollere, quæ ſacramentalis non eſt, ſed ritualis, nec divini juris, ſed eccleſiaſtici, ut ajunt. At votum ſolemne conti-

nentiæ non eſt eſſentialiter annexum Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto duntaxat Eccleſiæ. Quamobrem Eccleſia, & qui ipſi præſidet romanus Pontifex, indulgere poteſt, ut idem ſimul ſit Ordine ſacro initiatus, & maritus.

Non ſemper irrita, quamvis ſemper illicita fuerint Sacerdotum, & ſacrorum miniſtrorum matrimonia.

VIII. Certum eſt denique, irritum ſemper non fuiſſe Sacerdotum, & ſacrorum miniſtrorum matrimonium; quamvis illicitum eſſet, ac depoſitione plectetur, ut conſtat ex Canone *Presbyter*, diſt. 25. qui Neocæſarienſis Concilii primus eſt, ex Concilio Carthaginenſi 5. Canone 3. Arauſicano 1. Canonibus 23. & 24. Turonenſi 1. Canone 2. & aliis; nec priſci Pontifices *Siricius*, & *Innocentius I.* irrita eſſe hujuſmodi matrimonia pronuntiarunt. His obſervatis, ſtabiliendæ ſunt Regulæ praxim ſpectantes ex hodierna Eccleſiæ diſciplina.

REGULA PRIMA.

Votum ſolemne in religione ab Eccleſia approbata non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed dirimit contractum.

De voti ſolemnis impedimento.

Id conſtat ex c. *Meminimus*, quod *Alexandri III.* & c. *Inſinuante*, quod *Innocentii III.* reſponſum eſt, Extra. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt*; & ex Concilio Trid. ſeſſ. 24. can. 9. cujus hæc ſunt verba: „ Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt caſtitatis, etiamſi eam voverint, ſe habere donum; anathema ſit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari „. Idem docet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 38. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 3.

Hic

Hic etiam obſervandum eſt, votum ſimplex Fratrum Clericorum Societatis Jeſu, ad effectum dirimendi matrimonii ſolemnis voti vim habere, ex pontificio Diplomate *Gregorii XIII.* quod incipit, *Aſcendente Domino*.

REGULA II.

Ordo ſacer eſt impedimentum dirimens matrimonium.

Id conſtat ex cap *De Diacono*, & cap. *Ex literarum* Ext. *Qui Clerici, vel venientes matrimonium contrahere poſſunt*, quæ ſunt *Alexandri III.* reſponſa, & ex Canone Concilii Tridentini mox laudato; necnon ex *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 27. qu. 1. art. 1. De impedimento Ordinis.

REGULA III.

Matrimonium contrahere non licet monachis, vel monialibus profeſſis, qui per vim, & metum religionem ſunt ingreſſi, vel profeſſi, aut ante legitimam ætatem, aut in conventibus ad recipiendos, & probandos Novitios deſignatis, ut præſcriptum eſt Conſtitutionibus Clementis VIII. & Urbani VIII. probationis annum non expleverunt; niſi intra quinquennium reclamaverint, ac eorum profeſſio irrita declarata ſit ſecundum formam a Concilio Tridentino præſcriptam. Eorumque profeſſio qualiſcunque matrimonium dirimit.

Eorum enim profeſſio, licet in foro conſcientiæ, & quoad Deum forte irrita ſit, in foro tamen Eccleſiæ poſt elapſum quinquennium rata habetur cum ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 25. cap. 19. prohibeat Regulares elapſo quinquennio admitti ad allegandum cauſas nullitatis profeſſionis, & tanquam Apoſtatas puniri decernat, ſi religioſum, quem profeſſi ſunt, ordinem reliquerint, vel religioſum habitum abjecerint. Unde hujuſmodi profeſſio præſumpta in foro Eccleſiæ matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum. Verba Concilii ſub- An profeſſio præſumpta matrimonium dirimat, quamvis in foro conſcientiæ irrita ſit.

ſubjicio. „„ Quicunque regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcunque cauſam admittatur; ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ religionis juvetur „„.

Quod autem Profeſſio præſumpta matrimonium dirimat, quamvis in foro conſcientiæ nulla, & irrita ſit colligitur ex can. *Neque Viduas*, cauſa 27. qu. 1. qui eſt *Gelaſii* Papæ ſcribentis: „„ Neque viduas ad nuptias tranſire patimur, quæ in religioſo propoſito diuturna obſervatione permanſerunt. Similiter Virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monaſteriis ætatem peregiſſe contigerit „„.

Idem ex Can. *Viduas*, qui eſt Concilii Triburienſis vigeſimus quintus (ibidem) „„ Nos autem auctoritate Patrum ſuffulti in hoc ſancto Concilio ſancimus, & libere judicamus, ſi ſponte velamen, quamvis non conſecratum ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas Deo oblationem obtulerit, velit, nolit, ſanctimoniæ habitum ulterius habere debet; licet Sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione ſibi velamen impoſuiſſe, ut iterum poſſet deponere „„.

Et Can. *Quod interrogaſti*, diſt. 27. *Nicolaus I.* ſtatuit, ut „„ Femina, quæ poſt obitum mariti ſui ſacrum velamen ſuper caput ſuum impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem eſſe, poſtea vero ad nuptias rediit: quia per hypocriſim eccleſiaſticam Regulam conturbare voluit, & non legitime in voto ſuo permanſit, ut pœnitentiam agat de illuſione nefanda, & revertatur ad id, quod ſpopondit,

dit, & in ſacro miniſterio permaneat, quod inchoavit „„. Mulieres illæ, quæ profeſſionem ſimulaverant, & animum non habuerant ſe obligandi vere coram Deo, non erant reæ voti, cum Deus cor potius, quam vocem conſideret, nullumque ſit votum ſine conſenſu; ſed nihilominus quia exceptio ſimulationis, & diſſenſus non admittitur ab Eccleſia, quæ non judicat de occultis, ſolemne illarum votum ratum præſumitur in foro Eccleſiæ, & matrimonium poſtea contractum dirimit. Idem eſt judicium de illis, qui intra quinquennium non reclamant.

Quamobrem ſi qui intra quinquennium non reclamarunt, Profeſſionis, quam irritam eſſe certo noverant, obligatione, ac vinculo in foro Eccleſiæ ſolvi velint ad finem contrahendi matrimonium, neceſſe eſt, ut a ſummo Pontifice, aut Congregatione Concilii, vel Regularium, reſcriptum impetrent, quo reſtituantur in integrum adverſus lapſum quinquennii, cauſam exponentes legitimam, cur non potuerint reclamare, aut ignorantiam nullitatis ſuæ profeſſionis, ſive fuerit ignorantia juris, ſive facti; vel continuationem, & permanſionem violentiæ, ſive metus toto quinquennio; impetrato vero reſcripto, cauſam reclamationis agant coram Epiſcopo diœceſano, & Superiore regulari monaſterii, in quo profeſſionem emiſerunt, ut præſcribit Tridentina Synodus. Verum ſi quis poſt quinquennium exivit abſque licentia, & uxorem duxit ante ſententiam de nullitate profeſſionis ſuæ latam, indignum ſe præbuit reſtitutione in integrum; & peſſimi ſane eſſet exempli, ut qui pœnam meretur ob violatas Eccleſiæ leges, ob apoſtaſiæ crimen, ob infractum continentiæ votum, quod ſervare tenebatur, donec Eccleſiæ judicio profeſſio ejus irrita declarata eſſet, præmium, & gratiam conſequeretur. *Navarrus* tamen & *Fagnanus*, eum poſſe juſte reſtitui in integrum cenſent, poſtquam carcere, & pœnitentia diu fuerit maceratus, & admitti ad cauſas nullitatis votorum exponen-

Navarrus Conſilio 23. Fagnanus in lib. 4. Decret. Tit.

Qui Clerici vel voventes, &c. ad cap. Consuluit. Num. 23.

nendas, & probandas, si se legitime impeditum fuisse ostenderit, ne intra quinquennium reclamaret.

REGULA IV.

Qui contraxit matrimonium post votum simplex, illud consummare non potest absque peccato mortali, nisi dispensationem obtinuerit. Postquam autem consummatum est, debitum reddere potest, & tenetur conjugi exigenti, sed exigere ipse non potest sine lethali peccato, donec obtenta dispensatione fuerit voti vinculo solutus.

De impedimento voti simplicis.

Hanc Regulam non aliis quam *S. Thomæ* verbis explico in 4. *Sentent.* dist. 38. qu. 1. art. 2. Quæstiunc. 2. ad 3. „ „ Ille (*inquit*) qui contrahit matrimonium per verba de præsenti, post votum simplex non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali, quia restat adhuc facultas implendi continentiæ votum ante matrimonium consummatum. Sed postquam jam matrimonium consummatum est, est ei factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpa sua; & ideo ad hoc obligatio voti non se extendit; tamen debet lamentum pœnitentiæ recompensare pro continentia non servata „ „.

Et in responsione ad quartum: „ „ Quantum ad ea, in quibus non est factus impotens votum continentiæ servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest debitum petere sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam præcedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expresse; sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti; tunc enim sine peccato reddere potest, & præcipue si ei timet de periculo castitatis „ „.

Qui

Qui autem caſtitatem expreſſe non vovit, ſed religionem, quamvis lethaliter peccaverit contrahendo matrimonium, eo tamen contracto conjugale debitum non ſolum reddere, ſed exigere poteſt; licet enim caſtitatem quoque implicite voverit, quæ in voto religionis virtute includitur; eam tamen non vovit niſi in ſolo ſtatu religionis ſervandam.

REGULA V.

Qui votum ſimplex caſtitatis, non vero religionis ante matrimonium emiſit, non tenetur ingredi monaſterium ante matrimonii conſummationem.

Id enim non vovit, ut ſupponitur; nec medium tam durum, & extraordinarium eligere tenetur, cum alia ſuppetant ad vitandam voti violationem; diſpenſationem enim obtinere poteſt, vel alteri conjugi perſuadere, ut continentiam voveat, aut juri ſuo cedat. Id confirmatur ex Extravaganti, *Antiquæ*, Joannis 22. *De Voto, & voti Redemptione*, ubi conjugatum, qui ante matrimonii conſummationem ſacrum aliquem Ordinem abſque uxoris aſſenſu ſuſceperit: „ „ Ad ingreſſum religionis, ſi matrimonium conſummatum non fuerit, per Diœceſanum inſtantem moneri *præcipit*, & induci; quod ſi forſan renuerit adimplere, ipſum, ſi ſponſa ejus inſtiterit, per Cenſuram eccleſiaſticam compellendum *eſſe* contractum matrimonium conſummare „ „. Hæc autem coactio ad conſummandum eſſet illicita, nec Eccleſia Cenſuris eccleſiaſticis hunc in finem uteretur, ſi is, qui votum ſimplex, aut etiam ſolemne caſtitatis in ſacri Ordinis ſuſceptione abſque uxoris aſſenſu emiſit, non poſſet matrimonium conſummare conjuge exigente, & urgente.

REGULA VI.

Simplicis voti continentiæ ante matrimonium emiſſi reus, tenetur mortua uxore continentiam omnino ſervare; ſi vero voto religionis ſit obſtrictus, religionem ingredi tenetur. Ita

Ita cenſet *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 27. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4. „ „ Quantum ad ea (*inquit*) in quibus non eſt factus impotens votum continentiæ ſervare, adhuc poſt contractum matrimonium obligatur ad ſervandum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere „ „.

Hanc Regulam confirmat *S. Auguſt.* Epiſt. 220. alias 70. *Ad Bonifacium Comitem*, qui concepto vitæ monaſticæ voto uxorem duxerat. „ „ Si conjugem (*inquit*) non haberes, dicerem tibi, quod & Tubunis diximus, ut in ſanctitate continentiæ viveres; adderem, quod tunc fieri prohibuimus, ut jam te, quantum rerum humanarum ſalva pace potuiſſes, ab iſtis rebus bellicis abſtraheres, & ei vitæ vacares in ſocietate Sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, ubi in ſilentio pugnant milites Chriſti, non ut occidant homines, ſed ut expugnent principes, & poteſtates, & ſpiritualia nequitiæ, id eſt, diabolum, & Angelos ejus... Sed ut te ad iſtam vitam non exhorter, conjux impedimento eſt, ſine cujus conſenſione continenter tibi non licet vivere; quia etſi tu eam poſt illa tua verba Tubunenſia ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum ſciens innocenter, & ſimpliciter nupſit. Atque utinam poſſes ei perſuadere continentiam, ut ſine impedimento redderes Deo, quod te debere cognoſcis. Sed ſi eam illa agere non potes, ſerva ſaltem pudicitiam conjugalem, & roga Deum, qui te de neceſſitatibus eruet, ut quod non potes modo, poſſis aliquando „ „.

REGULA VII.

Conjuges, qui continentiam, vel ad tempus, vel in perpetuum mutuo conſenſu voverunt, quamdiu voto ſunt adſtricti, conjugale debitum nec exigere poſſunt, nec reddere; imo ſi alter violato voto debitum exigat, reddere alter non poteſt.

Juri enim ſuo renuntiavit uterque. Hinc *S. Auguſt.* Epiſt. 262. alias 199. ad *Ecdiciam*, quæ neſciente ma-

marito vidualem habitum primum induerat; ipsumque postea ad continentiam pariter vovendam adduxerat: „ „ Quod Deo (*inquit*) pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis; a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera „ „.

REGULA VIII.

Si conjugum alter post contractum matrimonium absque alterius consensu continentiam voveat, & gravis peccati reus est; & voto nihilominus obstrictus; quare debitum exigere non potest, sed reddere tenetur exigenti.

De voto simplici matrimonio superveniente.

Hæc Regula nititur can. *Secundum verba*, causa 33. quæst. 5. sumpto ex Epistola *S. Augustini* ad *Ecdiciam* mox citata. „ Secundum verba apostolica (*inquit*) etiamsi se ipse continere voluisset, & tu noluisses; debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes; maritalem tibi concubitum non negaret; quanto magis te, quam magis subjectam esse decuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo hujusmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat, cum tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres; ne periret maritus „ „?

Hanc, & duas præcedentes Regulas confirmat *S. Fulgentius*, Ep. 1. *De conjugali Debito*, cap. 7. „ „ Non solum (*inquit*) a virginibus integritas, verum etiam a viduis, atque conjugibus debet Deo dicata continentia cum timore, & tremore servari; quia priusquam sit aliquis voti reus, non condemnatur; sive ergo licite nubat, sive maritus, & uxor conjugale sibi debitum reddant. Postquam vero quisquam meliora consectans, professione seipsum continentiæ, sive integritatis obstrinxerit, gravissime delinquit, si sibi deinceps licere putat, quod ante licebat

tum fuerat. In talibus quippe rebus, quod vovens Deo ſibi adimit voluntas, nulla deinceps impune permittitur uſurpare neceſſitas; nec temerator voti excuſationem juſtam ſuæ prævaricationis inveniet, quem nemo compulit, ut voveret. Eſt planè aliquid diſcernendum inter votum virginis, aut viduæ, & inter votum eorum, qui tenentur vinculo conjugali; nec enim tanta eſt vovendi licentia viro, ſive mulieri poteſtatem ſui corporis non habenti, quanta eſt viduæ cuilibet, aut virgini; conjugato enim, vel corporis continentiæ vovendæ facultas plena non ſuppetit, cujus corpus non in ſua, ſed in conjugis poteſtate conſiſtit, ſecundum illud Apoſtoli dictum, 1. Cor. 7. quod ſupra poſuimus: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*, &c. Non itaque ſinitur abſque conjugis voluntate continentiam aſſumere, cujus corpus non eſt in propria poteſtate; hoc enim quiſque recta, & firma devotione ſolus promittit, quod ſui tantum juris eſſe cognoverit. Tale eſt enim, ut velit quiſque corporis ſui, quod eſt in conjugis poteſtate, continentiam profiteri; quale ſi quis ex alterius ſubſtantia, aut eleemoſynam facere, aut ſacrificium conetur offerre. Deus autem noſter diligit juſtitiam, & odio habet rapinam in holocauſto. Illa itaque inter conjuges eſt continentiæ certa promiſſio, quæ fuerit utriuſque confeſſione firmata; quam cum vir, & mulier ſibi conſentientes cordis voluntate tanquam ſacrificium in odorem ſuavitatis ſuper altare fidei Deo vero, ac ſummo in templo ſui cordis obtulerint; nec mulier ulterius in viri, nec vir in mulieris corpore, ad repoſcendum debitum conjugale poteſt habere legitimam poteſtatem. Sicut enim priuſquam Deo ſimul voverent, reprehenſibilis fuit unius oblatio, quia legitimi conſortis deerat aſſenſus; ita cum pari obtulerit uterque conſenſu, quod eſt inſeparabiliter utriuſque commune, non erit impunitus, ſi quis munus Deo voluntaria devotione oblatum, illicito crediderit opere temerandum „ „.

Et

Et cap. 8. „„ Quod ſi forte quis non toto animo voviſſe cauſetur, eo magis damnabilis erit, quod non ſimplex ad Deum, ſed fictus acceſſit... Quum ſit autem malum, quamque ſolicite effugiendum, ſi quis de hoc, quod Deo voverit, aut retinere, aut repetere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo ſunt Ananias, & Saphira, quos de prætio agri quamdam partem infideliter ſubtrahentes, non ſolum vox apoſtolica tanquam divini juris pervaſores increpuit, ſed etiam ſeveritas juſtitiæ cœleſtis occidit... Si quis igitur rem Domino jam devotam, carnali victus illecebra, crediderit denuo repoſcendam, non eſt legitimus rei ſuæ poſſeſſor, ſed divini juris pronuntiatur invaſor. Nec immerito continentiæ jam devotæ violator immundus audit, quod avarus pecuniæ fraudator audivit „„.

Cap. denique 9. ita hoc argumentum concludit: „„ Siquidem continentiam pari voviſtis conſenſu, tenorem veſtræ dilectionis eum Dei timore ſervate; & ſi quando carnalis infirmitas mentem pulſat, animus ad auxilium divinæ miſerationis accurrat, nec cedat libidini, ſed Deum tota humilitate fidelis exoret, & deſiderio militanti adverſus animam non conſentiat, ſed repugnet. Si vero continentiam unus veſtrum ſine alterius vovit aſſenſu, temerarie ſe voviſſe cognoſcat, & debitum conjugi caſta ſinceritate redhibeat „„.

Eamdem Regulam confirmat *Cœleſtinus III.* cap. *Chariſſimus*, Extra: *De Converſione Conjugatorum*, cujus hæc ſunt verba: „„ Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ſi inveneritis uxorem Regis Sueviæ, gravi infirmitate depreſſam, continentiam voviſſe, & virum ejus ad tempus præbuiſſe conſenſum, maxime ſi non idem vir continentiam vovit perpetuam, eamdem viro cohabitare faciatis, & utramque invicem maritali affectione tractare „„.

REGULA IX.

Vota continentiæ perpetuæ conjugibus, mutuo etiam conſenſu facienda, ſuadere nunquam, vix, ac ne vix quidem permittere debent Confeſſarii, niſi ambo, aut alter monaſterium ingrediatur cum alterius conſenſu in ſcriptis conceſſo coram Epiſcopo, aut ejus Vicario generali; aut certe habitatione ſint ita disjuncti, & ea ætate, ac virtute, ut nullum incontinentiæ periculum metuendum ſit.

De cautione Confeſſariorum in permittendo conjugibus perpetuæ continentiæ voto.

Hujuſmodi enim vota infauſtos alioquin exitus ſæpius habere compertum eſt. Nota *Genebaldi* Laudunenſis Epiſcopi hiſtoria, quem cum uxor; (qua conſentiente vitam monaſticam amplexus fuerat, ac deinde Epiſcopus creatus) frequentius viſitaret, duos ex ea filios ſuſcepit, ob idque a *S. Remigio* pœnitentiæ addictus eſt, ut refert *Hincmarus* Archiepiſcopus Remenſis in *S. Remigii* vita. Quamobrem etſi vota illa ſancta ſint, & optanda, ſpectatis tamen moribus hominum, illa ſuadere, aut facile permittere non expedit. Conjugibus enim ſimul habitantibus, aut ſe mutuo viſitantibus valde arduum, ac difficile eſt continere, præſertim iis, qui aliquando commixti fuerunt, & diabolus occaſione data priſtinos amores, & concupiſcentiæ ſopitos ignes excitat. Ideoque excellenti virtute præditos eſſe conjuges oportet, qui continentiam voveant in perpetuum, vel etiam in diuturnum tempus. Hinc Apoſtolus incontinentiæ periculum attendens: *Nolite* (inquit) *fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.*

1. Cor. 7.

Non expedit etiam permittere, ut conjugum alter continentiam voveat altero non vovente, quamvis non repugnante; quia ſi unus cum alterius conſenſu voverit, continentiam tamen perpetuam ſervare

vare vix poterit, quia potest alter exigere debitum, cum non renuntiet juri suo. Non expedit denique, ut conjugum alter voveat se nunquam petiturum debitum; quia id grave esset alteri, qui petere semper cogeretur. Nihilominus qui ita imprudenter voverit, tenetur votum servare, quantum potest, sic tamen ut matrimonium non reddat onerosum, puta, reddendo debitum conjugi non solum expresse, sed interpretative exigenti; (inquit *S. Antoninus* 3. p. tit. 1. cap. 22. §. 2.) „ „ Ad tollendum tamen omne dubium (*inquit*) bonum esset petere super hujusmodi voto dispensationem. Et posset Episcopus dispensare, ut aperte trahi potest ex his, quæ dicit Joannes Andreas in cap. *Ursus*, Ext. *Qui Clerici, vel voventes*, &c „ „.

Et infra: „ „ Omnes in hoc concordant, quod ex hoc, quod unus vovit simpliciter de licentia alterius, non impeditur, quin ipse possit ad placitum exigere debitum a vovente, dum ipse similiter non voverit „ „.

REGULA X.

Probabilius est conjugem, qui alteri conjugi licentiam dedit vovendi continentiam, ipsam revocare non posse, postquam votum emisit.

Quamquam enim *Petrus de Palude* censeat, eum qui licentiam hujusmodi dedit, posse illam revocare, si in periculo incontinentiæ versetur. „ „ Tamen Doctores multi, & præcipue S. Th. in 4. & Joannes de Neapoli quodl. 8. dicunt, quod votum continentiæ emissum ab uno conjugum de licentia alterius, seu sine licentia, sed postea ratificatum, licentians non potest revocare. Unde si ille, qui sic vovet, peteret debitum, non solum licentians non tenetur reddere, imo nec debet, alias peccaret mortaliter, secundum Joannem Neapolitanum, quia cooperaretur ei in crimine mortali. Nec communiter tenetur, quod dictum est a quibusdam, quod De Votis Conjugatorum.

ita poſſit revocari votum continentiæ ſemel conceſſum ab altero, ſicut votum abſtinentiæ „ „ (*inquit S. Anton.* loco ſupra citato §. 3.)

REGULA XI.

Nemo conjugatus abſque conſenſu uxoris, & niſi illa continentiam voveat, legitime poteſt ad ſacrum Ordinem promoveri.

Hæc Regula nititur cap. *Conjugatus*, Ext. *De converſione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt. „ Nullus (*inquit*) conjugatorum eſt ad „ ſacros Ordines promovendus, niſi ab uxore con„ tinentiam profitente fuerit abſolutus „. Idemque confirmat cap. *Sane*, ſub eodem titulo. Qui autem uxore non conſentiente, neque divortii cauſam per adulterium dante, ſacrum recipit Ordinem, mortaliter peccat; & niſi religionem profiteatur, actum Ordinis exercere nunquam poteſt, neque ad ſuperiores aſcendere, neque beneficium, aut officium eccleſiaſticum obtinere, ut decernit Joannes XXII. Extravag. *Antiquæ*.

REGULA XII.

Uxorem, quæ viri ordinationi non præbuiſſet aſſenſum, continentiam perpetuam ſervare deceret; ſed eam vovere, aut ſervare non teneretur.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* in 4 *Sentent.* diſt. 37. q. 1. art. 2. „ „ Vinculum ordinis (*inquit*) ſolvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium ex parte ejus, qui Ordinem ſuſcipit; quia non poteſt petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere; ſed tamen non ſolvit ex parte alterius; quia ipſe uxori tenetur debitum reddere, ſi non poſſit eam inducere ad continentiam „ „. Idque confirmat Joannes XXII. in Extravag. *Antiquæ*.

Et in reſponſione ad ſecundum: „ „ Si uxor ſciat, & de ejus conſenſu vir Ordinem ſacrum ſuſceperit, tene-

tenetur continentiam perpetuam vovere; non tamen tenetur religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc, quod vir ejus solemne votum emisit; si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur, quia ex hoc nullum ei præjudicium generatur „ „.

Si quis autem uxore invita, sed causam divortii per adulterium dante, sacrum Ordinem suscipit, jure suo utitur, ut colligitur ex cap. *Constitutus*, Extra *De Conversione Conjugatorum.*

At uxor propter adulterium dimissa non potest intrare monasterium contradicente viro; & si ingressa fuerit contra voluntatem viri, poterit revocari, (inquit *S. Antoninus*, 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6.)

ARTICULUS V.

De impedimento cognationis.

De cognationis impedimento.

Cognatio triplex distinguitur, spiritualis scilicet, legalis, & naturalis.

Quotuplex cognationis genus.

I. *Cognatio spiritualis est proximitas sive necessitudo quædam personarum, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur per Baptismi, & Confirmationis administrationem, vel susceptionem baptizati, aut confirmati;* de qua extat in jure canonico integer titulus *De Cognatione spirituali.* Hæc olim triplex erat, paternitas, compaternitas, fraternitas. Paternitas est, quæ contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, & inter suscipientem, & susceptum. Compaternitas est, quæ contrahitur inter patrem, & matrem baptizati, ex una parte; & ex altera inter baptizantem, & Patrinum, vel patrinos, qui ex sacro Fonte suscipiunt. Fraternitas est, quæ contrahebatur olim inter baptizatum, & filios naturales baptizantis & patrinorum, etiam non legitimos, & etiam genitos post Baptismum. De spirituali cognationis impedimento respectu matrimonii contrahendi, & contracti, præclarus est *Nicolai I.* locus in responsis ad Consulta Bulgarorum, c. 2. „ „ Ita diligere debet homo eum, qui se suscipit ex sacro Fonte, sicut patrem; quin imo quan-

Cognationem spiritualem, &

ex ea reſultans impedimentum matrimonii, agnovit Eccleſia græca, ut conſtat ex Synodo Trullana, Canon 53. Hujus impedimenti meminit etiam Juſtinianus, l. 26. Cod. de nuptiis.

quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpiritale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritalis pater in omnibus eſt a ſpirituali filio diligendus... Eſt tamen alia inter eos gratuita, & ſancta communio, quæ non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet poſſe conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, venerandæ romanæ Leges matrimonium contrahi permittunt... Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cœleſte Sacramentum regeneratio ſancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus eſſet, elegit; prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimus, quoniam Spiritus ſanctus ſua nos charitate coadunavit, quam ſi vel carnalis neceſſitudo, vel invicem nos mutabile cujuſdam corruptibilis hominis arbitrium copulaſſet „„. Verum hodie ſpiritualis cognatio contrahitur tantum inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, & illius patrem, & matrem; necnon inter baptizatum, & baptizantem, ſive ſit Clericus, ſive laicus, qui baptizat, ſive vir, ſive femina, baptizatique patrem, & matrem. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum; illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem, non egreditur: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis* (ſecundum Tridentinam Synodum, ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 2.)

II. *Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione conſurgens.* (Canone *Per adoptionem*, cauſa 30. qu. 3. & cap. unico *De Cognatione legali.*)

III. *Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium, vel quarum una de-*

deſcendit ab alia, carnali propagatione contractum. Dicitur *ab eodem ſtipite propinquo*, quia deſcendentes ab eodem ſtipite, remoto tamen, non ſunt conſanguinei; alias omnes homines conſanguinei forent; cum ab Adamo deſcendant. Dicitur, *vel quarum una deſcendit ab alia*, ne patris, & filii conjunctio excludatur. Pater enim, & filius ſunt conſanguinei, quia unus ab alio deſcendit. Conſanguinitas dicitur, quaſi ſanguinis unitas; hinc conſanguinei, ſeu cognati vocantur, quaſi de uno, & communi ſanguine nati. Nec refert, quoad prohibitionem conjugii, an progeniti ſint ex uxorio coitu, an ex fornicatione, ut reſpondet *Innocentius III.* cap. *Per tua*, Ext. *De Probationibus.*

IV. Tria in conſanguinitate conſideranda ſunt, ſcilicet ſtipes, linea, & gradus. Stipes eſt illa perſona, a qua aliæ omnes, de quarum conjunctione quæritur, deſcendunt, & originem ducunt; nec in computationem perſonarum ad conſtituendum gradum æqualis, vel inæqualis lineæ venit. Tria in conſanguinitate conſideranda.

Linea eſt collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, diverſos gradus continens, & numeros diſtinguens. Quid linea conſanguinitatis.

Linea triplex eſt, aſcendentium, deſcendentium, & Collateralium. Aſcendentium dicitur illa, in qua continentur perſonæ, a quibus nos originem duximus, ut pater, avus, proavus, abavus, atavus, &c. Deſcendentium, in qua continentur perſonæ, quæ a nobis originem duxerunt, ut ſunt filii, nepotes, pronepotes, trinepotes, &c. Collateralium, ſeu tranſverſalium linea eſt, in qua continentur perſonæ, quæ ex latere, & tranſverſo junctæ ſunt, a quibus nos non ducimus originem, neque ipſæ a nobis, & tamen ab uno ſtipite, & ſanguine propagati ſumus, ut fratres, & eorum filii, patruus, & amita, conſobrini, conſobrinorum filii, & conſobrinorum filiis nati. Iſta collateralium linea rurſus duplex eſt, æqualis, & inæqualis. Æqualis linea dicitur, quando gradus illorum, de quorum conſanguinitate quæritur, Linea quæ tuplex.

ritur, æqualiter, & pariter diſtant a communi ſtipite; veluti, duo fratres ſunt in linea æquali; uterque enim pariter diſtat a ſtipite, ſcilicet patre, uno gradu. Inæqualis dicitur, quando una perſona aliam in gradu præcedit, & perſonæ, de quarum conſanguinitate quæritur, non pariter diſtant a communi ſtipite, ut frater, & fratris filius; quia frater diſtat a ſtipite, patre ſcilicet, uno gradu; filius vero fratris diſtat ſecundo gradu. Iſta conſtant ex Can. *Series*, & can. *Parentelæ*, cauſa 35. qu. 4. & toto titulo Digeſtorum, *De Gradibus*. Item linea alia eſt paterna, cujus caput eſt pater, alia materna, cujus caput eſt mater.

Quid gradus.

Gradus conſanguinitatis eſt intervallum perſonarum, quo cognoſcitur quota generationis diſtantia una perſona ab alia diſtat. Dicuntur gradus ad ſimilitudinem graduum ſcalarum, ſeu locorum proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus.

Varia ratio computandi gradus conſanguinitatis in jure canonico, & civili.

V. In linea collateralium jus canonicum diſcrepat a computatione juris civilis. Jus namque civile tot computat gradus, quot ſunt ex utroque latere perſonæ; & ideo fratres, & ſorores, cum duæ ſint perſonæ, collocat in ſecundo gradu; deinde patrueles in quarto, quia patrueles, eorumque parentes ab uno ſtipite prodeuntes conſtituunt quatuor ſimul perſonas. Tum in linea inæquali tranſverſa nepotem, & pronepotem conſtituit in quinto gradu, ob parem utrinque perſonarum, ſeu generationum numerum. At jus canonicum tantum connumerat lateris unius generationes a communi ſtipite deductas, ideoque duas perſonas in uno gradu conſtituit, ſcilicet fratres, & ſorores in primo gradu, patrueles ſive conſobrinos in ſecundo, conſobrinorum filios in tertio, conſobrinorum nepotes in quarto. Ratio diverſitatis inter jus civile, & Canonicum, quoad hanc computationem graduum, ex utriuſque fine percipi poteſt. „ In legibus ſiquidem ob nihil aliud ipſo-

rum

rum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur; hic vero ut recte, & canonice inter Fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextam; in canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hæc igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri Canones duas in uno gradu constituere personas „„. Hæc *Alexander II.* Pontifex maximus, can. *Ad Sedem apostolicam*, causa 35. qu. 4. ubi ait, se in Synodo habita in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc Episcopis, & Clericis, atque Judicibus diversarum provinciarum, errorem illorum, qui consilii legibus, quas *Justinianus* Imperator de successionibus consanguineorum promulgavit, antiquam Ecclesiæ computationem disturbare nitebantur, sustuliſſe, certumque modum dinumerationi graduum consanguinitatis præfixisse.

VI. Matrimonia inter consanguineos justis certe de causis prohibita sunt, & quæ certis in gradibus contraherentur, irrita declarat. Prima ratio petitur ex reverentia, quæ parentibus, & aliis consanguineis debetur. Altera ex charitate, quæ necessitudinum multiplicatione latius diffunditur, & corroboratur. Tertia ex concupiscentiæ compressione, cui frœnum laxari videretur, si matrimonium inter illas personas contrahi posset, quas simul habitare, & conversari necesse est. Has rationes explicat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 154. art. 9. Primam rationem ex verecunda reverentia petitam Scriptura sacra suggerit, Levitici 18. *Omnis homo* (inquit) *ad proximam sanguinis sui non* Rationes prohibitionis matrimonii inter consanguineos.

accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non revelabis, &c. Has omnes rationes *S. Ambrosius* attingit Ep. 60. novæ Editionis, ad *Paternum* data, qui filio neptem ex filia uxorem tradere cogitabat. Hunc vero a proposito deterret Ambrosius. „„ Tu (*inquit*) copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversa licet matre quam socrus editus. Interroga nominum religionem; nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. Nec ipse te revocat sonus nominum; cum hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem avus, & socer vocabere, ea quoque tibi neptis, & nurus diverso nonsine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula, ut ille socrus fratris sit, iste gener sororis. Nubat avunculo suo neptis, & immaculatorum pignorum charitas illecebroso amore mutetur. Super hoc igitur meam a sancto viro Episcopo vestro expectari sententiam dicis. Non opinor, neque arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset; non scribendo autem significavit, quod nequaquam hinc dubitandum arbitraretur. Quid enim est, quod dubitari queat, cum lex divina patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam civili jure a consortio conjugii exceptus videtur. Sed prius sacræ Legis scita interrogemus; prætendis enim in tuis literis, quod permissum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum affero; quia cum leviora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod

arctioris plenum eſt neceſſitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora adſtringit, graviora non ſolvit, ſed alligat. Quod ſi ideo permiſſum putas, quia ſpecialiter non eſt prohibitum, nec illud prohibitum ſermone Legis reperies, ne pater filiam ſuam accipiat uxorem; nunquid ideo licet, quia non eſt prohibitum? Minime; interdictum eſt enim naturæ jure, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum; interdictum eſt inviolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis „ „.

Et infra: „ „ Quod tam ſolemne, quam oſculum inter avunculum, & neptem, quod iſte quaſi filiæ debet, hæc quaſi parenti? Hoc igitur inoffenſæ pietatis oſculum ſuſpectum facies te talibus cogitando nuptiis, & religioſiſſimum Sacramentum charis pignoribus eripies. Sed ſi divina te prætereunt, ſaltem Imperatorum præcepta, a quibus ampliſſimum accepiſti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora; & tamen illi invicem ſibi æquales ſunt; tantummodo quia propinquitatis neceſſitudine, & fraternæ ſocietatis ligantur vinculo; pietati eos voluit debere, quod nati ſunt „ „

Conſobrinorum matrimonia a Theodoſio Imp. prohibita lege lata.

Secundam præſertim rationem ex neceſſitudinis multiplicatione petitam *S. Auguſt.* exaggerat, lib. 15. *De Civitate Dei*, cap. 16. nec tamen primam ex reverentia, & verecundia arceſſitam, & tertiam ex libidinis compreſſione prætermittit. „ „ Cum (*inquit*) genus humanum poſt primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium, feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent; viri ſorores ſuas conjuges acceperunt; quod profecto quanto eſt antiquius compellente neceſſitate tanto poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente. Habita

eſt

eſt enim ratio rectiſſima charitatis, ut homines quibus eſſet utilis, atque honeſta concordia, diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur; nec unus in uno multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent „ „.

Et infra: „ „ Quod humano genere creſcente, & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum, falſorumque cultores ſic obſervari cernimus, ut etiamſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam; & cum ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim ſenſum, vel allidendum, vel offendendum mos valet plurimum. Qui cum in hac cauſa immoderationem concupiſcentiæ coerceat, eam deſignari, atque corrumpi merito eſſe nefarium judicatur. Si enim iniquum eſt, aviditate poſſidendi tranſgredi limitem agrorum, quanto eſt iniquius libidine concumbendi ſubvertere limitem morum? Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarum, etiam noſtris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; & quod fiebat cum conſobrina, pene cum ſorore fieri videbatur; quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & pene germani ſunt. Fuit autem antiquis Patribus religioſæ curæ, ne ipſa propinquitas ſe paullatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nondum longe poſitam rurſus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem. Unde jam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem ſorores ex patre, vel matre, vel ex ambobus ſuis parentibus natas, ſed tamen

ama-

amabant de ſuo genere ducere uxores. Verum quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe conjugia ? Non ſolum ſecundum ea, quæ diſputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines una perſona, cum quæ poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri; ſed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus, & ipſam pudicitiam conjugalem „„.

Matrimonium inter conſanguineos quibus legibus vetitum.

VII. Conſanguinitas impedit matrimonium partim lege naturæ, partim lege poſitiva; eaque vel divina, ut tempore Teſtamenti veteris; vel eccleſiaſtica, ut tempore novi. Idemque de affinitate eſto judicium. Naturæ lege vetitum eſt matrimonium filii cum matre, patris cum filia, privigni cum noverca, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur (1. *Cor.* 5.) Item vitrici cum privigna, ſocerique cum nuru. Connubia quoque fratrum, & ſororum, ſive germani ſint, ſive uterini, lege naturæ prohibita, probabilior opinio eſt. Pudori namque, ac reverentiæ naturali matrimonia hujuſmodi adeo repugnant, ut nullæ gentes niſi incultæ, & barbaræ illa permiſerint. Connubia conſanguineorum, & affinium in cæteris gradibus lineæ collateralis, ut amitæ cum fratris filio, vel patrui cum fratris filia, aliaque ſimilia, lege poſitiva Dei prohibita erant Iſraelitis: (*Levitici* 18) Cum autem præcepta illa judicialia veteris Legis Chriſti paſſione, & reſurrectione, novæque Legis promulgatione abrogata ſint, matrimonia in illis gradibus conſanguinitatis illicita ſunt, & dirimuntur, in quibus impedimentum dirimens conſtituit Eccleſia. Unde ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. can. 3. „„ Si quis (*inquit*) dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere con-

contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit „ „.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

In linea recta aſcendentium, & deſcendentium tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ una dempta, videlicet dempto ſtipite, a quo computatio initium habet.

De conſanguinitatis impedit. matrim.

Exemplum eſto in hoc ſchemate:

Si quæratur, in quo gradu diſtent inter ſe *David*, & *Aſa*; numera perſonas, quinque reperies, *Davidem*, *Salomonem*, *Roboamum*, *Abiam*, *Aſam*: dempto ſtipite, ſcilicet Davide, ſuperſunt quatuor. Igitur *David*,

vid, & *Aſa* in quarto gradu ſunt conjuncti; *Abias*, & *David* in tertio; *Roboam*, & *David* in ſecundo, *Salomon*, & *David* in primo; ſicque filius primum gradum conſtituit, nepos ſecundum, pronepos tertium, abnepos quartum. Hæc Regula Juri Civili, & Canonico communis eſt.

REGULA II.

In linea collateralium æquali, quoto gradu duæ perſonæ diſtant a communi ſtipite, eodem gradu a ſe mutuo diſtant.

Exemplum eſto in ſequenti ſchemate.



Peleus diſtat a ſtipite, ſcilicet *Æaco* primo gradu; ergo & *Peleus*, & *Telamon* diſtant inter ſe primo gradu. *Achiles* diſtat a ſtipite ſecundo gradu; ergo *Achiles*, & *Ajax* a ſe mutuo diſtant ſecundo gradu. *Pyrrhus* diſtat a ſtipite tertio gradu; ergo *Pyrrhus*, & filius *Ajacis* tertio gradu a ſe mutuo diſtant. Et ſic ſemper duo gradus legales unum Canonicum conſtituunt. Sic ergo fratrum filii, qui fratres patrueles, conſobrini, ſeu cognati germani dicuntur, in ſecundo gradu ſe contingunt, quia duobus gradibus ab avo diſtant, qui eſt communis ipſorum ſtipes; filii conſobrinorum, ſeu cognatorum germanorum, in tertio gradu; geniti ex filiis conſobrinorum, in quarto

gradu. Hanc Regulam confirmat. Can. *Parentelæ*, & Can. *Ad Sedem*, cauſa 35. qu. 5.

REGULA III.

In linea collateralium inæquali, eo gradu a ſe mutuo diſtant perſonæ, quo gradu diſtat remotior a communi ſtipite.

Exemplum eſto in ſchemate ſequenti.



Vis ſcire quot gradibus a ſe mutuo diſtent *Sale*, & *Chus*? Diſtant tribus gradibus, quia *Sale* collateralis remotior tribus diſtat gradibus a communi amborum ſtipite, qui eſt Noe, ex quo tres iſtæ perſonæ propagantur, *Sem*, *Arphaxad*, *Sale*. Sic fratris filius ab amita duobus gradibus diſtat, quia totidem inter ipſum, qui remotior eſt, avumque, communem utriuſque ſtipitem, generationes intercedunt. Hinc perſona diſtans a ſtipite quarto gradu, vel citeriori, cum ea, quæ diſtat quinto, vel ulteriori, contrahere poteſt. Exempli gratia, *Petrus* duos filios ſuſcepit; *Martinum*, & *Bertam*, qui ſunt conſanguinei in primo gradu, frater ſcilicet, ac ſoror. Ex *Martino* natus eſt *Joannes*; de *Berta* ex alio latere natus eſt *Robertus*. Hi conſanguinei ſunt in ſecundo gradu, æqualiter diſtantes a *Petro* communi ſtipite, utpote patrueles, ſeu cognati germani (ut loquuntur.) Ex *Joanne* natus eſt *Stephanus*, ex *Roberto* propagatus eſt *Albertus*. Hi conſanguinei ſunt in tertio gradu, conſobrinorum nempe filii, diſtantes a *Petro*, communi

muni ſtipite, tertio gradu. Ex *Stephano* natus eſt *Jacobus*, ex *Alberto Franciſcus*, quarto gradu a *Petro*, adeoque & a ſe mutuo diſtantes. Ex *Franciſco* nata eſt *Genovefa*. Hæc diſtat quinto gradu a ſtipite, ſcilicet *Petro*: eodem itaque gradu diſtat a quolibet alio collaterali alterius lineæ.



Genovefa, ut patet diſtat, quinto gradu a *Petro* communi ſtipite; igitur quinto etiam gradu diſtat a quolibet alio deſcendente per aliam lineam, & ſic diſtat quinto gradu a *Martino*, *Joanne*, *Stephano*, *Jacobo*; quam ob rem illi nubere poteſt, & cuilibet alteri a *Petro* per aliam lineam deſcendenti; quia in linea collateralium inæquali eo gradu a ſe mutuo diſtant perſonæ, quo diſtat remotior a communi ſtipite. Hanc Regulam confirmat *S. Greg. IX.* cap. *Vir qui* Ext. *De conſanguinitate, & Affinitate*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Vir, qui a ſtipite quarto gradu, mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum Regulam approbatam, qua dicitur: Quoto gradu remotior diſtat a ſtipite, & a quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem, licite poſſunt matrimonialiter copulari „ „.

REGULA IV.

Secundum hodiernam Eccleſiæ diſciplinam conſanguinitas collateralium matrimonium impedit uſque ad quartum gradum incluſive. Idemque de affinitate judicium eſto.

Nuptiarum inter conſanguineos, & affines prohibitio uſque ad ſeptimum gradum olim producta fuit, ut conſtat ex *S. Greg.* lib. 13. Epiſt. 32. & in Reſponſione ad ſextam interrogationem Auguſtini Anglorum Epiſcopi; ex Can. *De conſanguinitate*, qui eſt *Nicolai II.* ex Can. *Nulli*, qui eſt Conc. 3 Lugdunenſis, cauſa 35. quæſt. 3. & Can. *Ad Sedem.*, qui eſt *Alexandri II.* qu. 4. Verum hanc prohibitionem Conc. Lateran. ſub *Innocent. III.* ad quartum gradum conſanguinitatis, & affinitatis reſtrinxit. Cujus Concilii Decretum refertur cap. *Non debet*, Ext. *De conſanguinitate. & affinitate*, cujus hæc ſunt verba; „„ Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari „„. In ea diſciplina nihil a Concil. Tridentino mutatum eſt, imo illam confirmavit Seſſ. 24. Canone 4. „ Si quis dixerit, Eccleſiam non po„ tuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium diri„ mentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema „ ſit „.

REGULA V.

Contracta in gradibus prohibitis matrimonia adeo ſunt irrita, ut nullo annorum numero defendi poſſint, & convaleſcere.

Id conſtat ex cap. *Non debet*, mox citato, qui eſt Concil. Lateran. 4. Can 1. „„ Cum ergo (*inquit*) jam uſque ad quartum gradum prohibitio copulæ conjugalis ſit reſtricta, eam ita volumus eſſe perpetuam, non obſtantibus Conſtitutionibus ſuper hoc du-

dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut ſi quis contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum; cum diuturnitas temporum non minuit peccatum, ſed auget; tantoque ſunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam „„. Id confirmat Regula juris 18. in Sexto: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Separandi ſunt ergo, qui in gradibus prohibitis contraxerunt, donec impetrata diſpenſatione, ſi obtineri poſſit, iterum contraxerint. Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, diſt. 41. qu. 1. art. 5. ad ſecundum: „ Illa (*inquit*) quæ ſine peccato eſſe non poſſunt, nulla præſcriptione firmantur „.

REGULA VI.

Infideles in ſecundo, tertio, vel quarto conſanguinitatis gradu conjuncti, ſi convertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi, & eorum proles eſt legitima.

Sic reſpondet *Innocentius III.* cap. *De fidelibus*, Extra. *De conſanguinitate, & affinitate*, & cap. *Gaudemus*, Ext. *De divortiis*. Ratio eſt. *Quia* „„ Infideles Conſtitutionibus Canonicis non arctantur. (Quid enim ad nos, ſecundum Apoſtolum, de his, qui foris ſunt, judicare?) *Unde* in favorem præſertim chriſtianæ religionis, & fidei, a cujus perceptione per uxores ſe deſeri timentes viri poſſunt facile revocari; fideles hujuſmodi matrimonialiter copulari libere poſſunt, & licite remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur „„. Aliud eſto de hæreticis judicium; cum enim Eccleſiæ juriſdictioni ſubditi ſint, ex quo Baptiſmum ſuſceperunt, legibus eccleſiaſticis obligantur; ideoque ſeparandi ſunt, ſi matrimonium in gradibus prohibitis contraxerint, donec impetrata diſpenſatione iterum contraxerint.

REGULA VII.

Legalis cognatio matrimonium impedit contrahendum, & contractum dirimit inter adoptantem, & filiam adoptivam, aut filii adoptivi posteros usque ad quartum gradum; necnon inter uxorem filii adoptivi, & adoptantem; sive inter uxorem adoptantis, & filium adoptivum. Idque impedimenti genus soluta etiam adoptione durat.

De Cognationis legalis impedimento.

Ita legibus civilibus sancitum est, quas Ecclesia probavit, idque confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, dist. 42. qu. 2. art. 3.

Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. *Summæ*, pag. 543. & 544.

REGULA VIII.

Matrimonium inter adoptatum, & filiam naturalem, atque legitimam adoptantis contractum adoptione manente, sive priusquam alteruter emancipatione exeat e communis patris potestate, irritum est.

L. Adoptivus, & L. Quin etiam in Digestis Tit. De Ritu nuptiarum.

Hæc Regula nititur canone *Ita diligere*, & canone *Post susceptum*, necnon L. *Per adoptionem*, in corpus juris canonici relata, causa 30. q. 3. & ex cap. unico *De Cognatione legali*, quod est *Nicolai III.* ad Consulta Bulgarorum respondentis. „ „ Si qua (*inquit*) per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt „ „.

Id confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, dist. 42. qu. 2. art. 3. „ „ Triplex est (*inquit*) legalis cognatio; prima quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps; secunda, quæ est inter filium adoptatum, & filium naturalem; tertia per modum cujusdam affinitatis quæ est inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptati; vel e converso inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, &

ter-

tertia perpetuo matrimonium impediunt : ſecunda autem non, niſi quamdiu in poteſtate manet patris adoptantis ; unde mortuo patre, vel filio emancipato, poteſt contrahi inter eos matrimonium „ „. At inter filios, & filias adoptivas, vel inter filiam illegitimam, & filiam adoptivam, ſeu filium illegitimum, & filiam adoptivam matrimonium ratum eſſet, cum nullis canonibus, aut legibus prohibeatur.

REGULA IX.

Matrimonio conjungi poſſunt vir, & mulier, qui ſimul puerum aliquem de ſacro Fonte ſuſceperunt; poteſt etiam ſuſceptus uxorem, aut filiam patrini ſui ducere, & ſimiliter ſuſcepta marito, aut filio ſuæ matrinæ nubere poteſt. Item uxor patrini patri filiaſtri, & maritus matrinæ matri filiaſtræ matrimonio copulari poſſunt.

De cognationis ſpiritualis impedimento.

Nulla enim eſt inter hujuſmodi perſonas ſpiritualis cognatio poſt Conc. Trid. Decretum, quod ſpiritualem cognationem inter ſuſceptores, ſive patrinos duntaxat, & baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem contrahi declaravit ſeſſ. 24. *de Reformat. matrimonii*, cap. 2. Quod autem nihil interſit, an unus eorum, de quorum conjugio agitur, ab alterius patre, vel matre ſuſceptus ſit in Sacramento Baptiſmi vel Confirmationis, conſtat etiam ex cap. *Super eo*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum, Ext. *De Cognatione ſpirituali.* Hanc denique Regulam confirmat Conſtitutio *S. Pii V.* quæ incipit, *Cum illius vices*, anno 1566. edita. „ „ Nos (*inquit*) piarum mentium quieti, & matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) conſulere volentes, a præciſis verbis Concilii minime diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujuſmodi ſubeſſe decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritum, vel uxo-

rem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quaſcunque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſſas, matrimonium licet, & libere contrahi poſſit; & ita ab omnibus judicari debere, mandamus, atque ſtatuimus „„.

REGULA X.

Si vir, aut mulier proprium filium de ſacro Fonte ex ignorantia, vel dolo ſuſceperint, propter hoc ſeparari non debent, nec alter alteri debitum ſubtrahere; ſed illis pœnitentia imponenda eſt.

De ſeparandis conjugibus, quorum alter, vel communem, vel alterius ex alio connubio filium, ſive caſu aut ex neceſſitate, ſive dolo baptizaſſent, aut coram Epiſcopo confirmandum tenuiſſent, canones variarunt, ut patebit legenti Canonem 1. & ſequentes cauſa 30. qu. 1. Sed *Alexander III.* cap. *Si vir*, Ext. *De Cognatione ſpirituali*, ſecundum *Nicolai I.* & Concilii Cabilonenſis 2. definitionem pronuntiavit, minimè diſtrahendum eſſe hac de cauſa conjugium, ejuſque jure uti conjugibus permittendum, niſi ambo induci ad continentiam poſſint. „„ Quamvis (*inquit*) generaliter ſit inſtitutum; ut debeant ſeparari; quidam tamen humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi; nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci; quia ſi ex ignorantia id factum, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus „„. Debent tamen, qui fraudulenter id egerint, pœnitentia peccatum ſuum diluere, ſecundum Canonem *Dictum eſt*, qui eſt Conc. Cabilonenſis 2. trigeſimus primus, & Can. *De his*, quod eſt *Nicolai I.* reſponſum *Rodulfo* Bituricenſi Epiſcopo datum, cauſa 30. q. 1.

RE-

REGULA XI.

Si quis infantem ad Baptiſmum per procuratorem offerat & ex Baptiſmo ſuſcipiat, ipſe, non procurator, ſpiritualis cognationis vinculo ligatur.

Ut enim ſuſceptor cognationem contrahat ſpiritualem, neceſſe eſt, ut a parentibus baptizandi, vel iis, ad quos ſpectabit, electus ſit, & a parocho admiſſis ad baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiendum. *Quod ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant*, ita ſtatuit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. *De Reformatione*, cap. 2. Atqui procurator non eligitur, nec deſignatur a parentibus, ſed ille ſolum, qui procuratorem conſtituit, ut inter Principes, ac Magnates fieri videmus. Idem, qui procuratorem conſtituit, agit ut cauſa princeps; procurator vero, ut cauſa inſtrumentaria, nec proprio nomine, ſed mandantis agit. Unde ſacra Congregatio Concilii interpres judicavit, eum, qui nomine alterius infantem de ſacro Fonte ſuſcipit, non contrahere ſibi cognationem ſpiritualem, ſed mandanti, ut referunt *Navarrus* lib. 5. Conſiliorum, & *Fagnanus* in 4. lib. Decretalium, ad cap. *Veniens*, Tit. *De Cognatione ſpirituali*. Fruſtra vero quis opponeret, ad contrahendam ſpiritualem cognationem requiri contactum baptizati, ſecundum Canones; abſentem vero non tangere baptizatum, nec eum de ſacro Fonte ſuſcipere; reſpondetur enim, ſufficere ut tangat, & ſuſcipiat per alium, qui ejus nomine, & mandato id præſtat. Si quis objiciat, eum, qui pro ſe baptizandi munus alteri demandat, nullam contrahere cognationem ſpiritualem, ſed eum ſolum, qui ſua manu baptizat; Reſpondetur, magnum inter utramque ſpeciem intercedere diſcrimen; qui enim baptizat, quamvis a parocho ſit ad id muneris delegatus, non tamen eius nomine baptizat, nec illius perſonam ſuſtinet, ſed unius Chriſti Domini, cujus miniſter eſt immediatus. At procurator perſonam ejus gerit, qui ad

ſuſcipiendum baptizatum a parentibus electus, & deſignatus eſt, & eorum nomine ipſum ſuſcipit.

REGULA XII.

Quamvis jure communi vetitum ſit, ne plures baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiant, ſed unus tantum, & una ſuſcipere debeant, ſecundum Tridentini Concilii Decretum; ſi tamen plures deſignati ſuſceperint, & tetigerint, nec appareat, quis prior ſit deſignatus, contrahunt omnes cognationem ſpiritualem, quæ matrimonium impedit, ac dirimit.

Iſtud conſtat ex cap. *Quamvis*, Tit. *De Cognatione ſpirituali*, in ſexto. Atque ita reſpondit Congregatio Concilii Tridentini interpres, referente *Fagnano*, in cap. *Ex literis*, Ext. *De Cognatione ſpirituali*.

REGULA XIII.

Si quis proprium filium ex legitima uxore ſuſceptum, in extremo vitæ periculo conſtitutum baptizaverit, cum non eſſet alius, qui baptizare poſſet, ſpiritualis cognatio matrimonium non dirimit, aut uſum ejus impedit; at ſi ſuſceptus ſit ex concubina, eſt impedimentum prohibens matrimonium cum illa, dirimenſque contractum.

Fornicator propriam prolem baptizans contrahere non poteſt cum fornicaria matre.

Hæc Regula quoad primam partem nititur Canone *Ad limina*, quod eſt *Joannis VIII.* reſponſum, *Anſelmo* Lemovicenſi Epiſcopo datum, quem reprehendit, quod *Stephanum* quemdam, qui filium ſuum morti proximum baptizaverat, a ſua conjuge propterea ſeparandum judicaſſet. Verum baptizando, vel ſuſcipiendo filium ſuum ex concubina genitum, ſpiritualem cognationem cum illa contrahit, quæ matrimonium impedit contrahendum, & contractum dirimeret, ut reſpondent *Navarrus* conſilio 5. *De Cognatione ſpirituali*, & *Fagnanus* in cap. *Si vir*, eodem Tit. lib. 4. Decretalium. Rationem diſcriminis hanc afferunt, quod in prima ſpecie cognatio ſpiritualis matrimonio legitime

me contracto accidat; in secunda vero matrimonium præveniat contrahendum; in prima, legitimus usus conjugii interturbari non debeat, ne uxori fiat injuria; in altera, illicitum commercium impediatur, nulloque jure privetur concubina, quia nullum habet.

ARTICULUS VI.

De Impedimento Affinitatis.

Affinitas est vinculum, seu propinquitas ex carnali copula procedens, omni carens parentela. Quid sit affinitas.

Dicitur, *ex carnali copula*, non ex nuptiis; quia affinitas secundum Canones oritur ex copula tam licita, quam illicita, etiamsi sit coacta, ut colligitur ex cap. *Discretionem*, Ext. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Necesse autem est ad inducendam affinitatem, ut copula completa sit, cum seminis scilicet virilis effusione intra vas debitum. Unde non sufficit violatio virginitatis, & quod claustra pudoris quis invadat, nec quælibet alia turpitudo, sive præposterus, aut sodomiticus congressus ad eam inducendam; ut constat ex Canone *Extraordinaria*, causa 35. qu. 3. & ex Glossa illius Canonis, necnon ex *S. Thoma.* Neque etiam consurgit ex matrimonio rato, & non consummato, sed tantum impedimentum publicæ honestatis.

Dicitur *Omni carens parentela* non quod affinitas concurrere non possit cum consanguinitate, sed quia id per se non convenit affinitati, & a diversa radice oriuntur.

Dicitur affinitas, quasi duorum ad unum finem unitas, eo quod duæ cognationes, quæ diversæ in se sunt, per nuptias, secundum Leges; vel etiam per coitum, secundum Canones, copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.

Affinitas duplex est, legitima, & illegitima. Legitima dicitur, quæ per nuptias legitimas contrahitur: illegitima, quæ per copulam illicitam inducitur. Quotuplex affinitas.

Tria

Tria ſunt affinitatis genera, quæ olim in uſu erant. Primum eſt, quod per primam carnis copulam, ſive mediante una perſona contrahitur. Regula enim eſt, quod *Perſona addita per carnis copulam, non gradum, ſeu genus attinentiæ mutet.* Quod hoc Verſiculo ſignificatur,

Mutat nupta genus, ſed generata gradum.

Exempli gratia: Ego, & ſoror mea jungimur in primo gradu conſanguinitatis; ſoror legitime, vel illegitime a Petro cognoſcitur, & ſic perſona Petri per copulam carnalem additur ſorori meæ. Hæc igitur copula mutat genus attinentiæ; quia alio genere attinet mihi ſoror mea; ſcilicet genere conſanguinitatis; alio Petrus, videlicet genere affinitatis: ſed non mutat gradum, quia quo gradu conſanguinitatis mihi jungitur ſoror, eodem affinitatis gradu jungitur mihi Petrus, ſcilicet primo.

Secundum genus affinitatis conſtituit perſona primo generi addita, copula carnali interveniente. Petrus ſcilicet maritus ſororis meæ, qui mihi in primo genere, & gradu affinitatis conjunctus eſt, ſorore mea defuncta contrahit cum Maria: hæc Petro ſororio meo per carnis copulam juncta mutat genus, quia cum Petrus attineret mihi primo genere, hæc nunc mihi, & omnibus conſanguineis ſororis meæ ſecundo genere affinitatis attinet.

Tertium genus affinitatis eſt, quod per tertiam carnis copulam, ſive tribus perſonis mediantibus contrahitur. Exempli gratia, mortuo Petro ſororio quondam meo, Maria ejus vidua alteri, ſcilicet Jacobo nubit; hic Jacobus erit mihi, & omnibus conſanguineis meis tertio genere affinitatis conjunctus, quia perſona perſonæ ſecundi generis per matrimonialem copulam adjecta, tertium genus affinitatis conſtituit. In his tribus affinitatis generibus matrimonium olim intra certos gradus prohibitum erat, ut patet ex variis Canonibus relatis cauſa 35. qu. 10. Verum ſecundum, & tertium genus affinitatis hodie ſublatum eſt, nec matrimonium impedit,

ſed

ſed ſolummodo primum, ex Decreto Conc. Lateran. 4 ſub *Innocent. III.* quod refertur cap. *Non debet* Ext *De Conſanguinitate, & affinitate*; quo etiam ſublata eſt antiqua prohibitio, ne ſoboles ex ſecundis nuptiis ſuſcepta cum prioris viri cognatione matrimonium contrahere poſſet.

Affinitas proprie gradus non habet, ſed gradus affinitatis numerantur ſecundum gradus conſanguinitatis. Titius verb. gr. ducit uxorem, vel alicui mulieri carnaliter copulatur; omnes conſanguinei uxoris, vel mulieris illius, ſunt affines Petro in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei uxoris ejus, vel illius mulieris, ſecundum Regulam ſuperius indicatam: *Perſona addita perſonæ per carnis copulam, non mutat gradum, ſed genus attinentiæ.*

Affinitatis ordo ita conſtituendus eſt, ut duæ perſonæ, quæ copulam habuerunt, ſint communis ſtipes, ac principium affinitatis, quæ in duas lineas dividitur, rectam, & tranſverſam, ſive collateralem. In linea recta locantur aſcendentes, & deſcendentes: Aſcendentes ſunt, ſocer, & ſocrus, id eſt, mariti, vel uxoris patet, & mater; Vitricus, id eſt, præſens maritus matris meæ, a quo tamen genitus non ſum, ſed a priori marito, cujus poſt obitum illi nupſit; & noverca, id eſt, præſens patris mei uxor, quæ me non peperit; cum ſim ex priore connubio genitus. Deſcendentes, ſunt gener, id eſt, filiæ maritus; & nurus, id eſt, filii uxor; privignus, vel privigna, id eſt, uxoris, vel mariti filius, vel filia, ex alio marito, vel alia uxore ſuſcepti, & ulteriores. In linea tranſverſa, ſeu collaterali ſunt levir, id eſt, frater mariti, vel uxoris; ſororius, ſive ſoroninus, id eſt, ſororis maritus. Cæteri eo conſanguinitatis nomine appellari ſolent, quo nomine, vel gradu ab eo nuncupantur, cujus cauſa affinitatem contraxerunt; veluti qui uxoris avunculus eſt, nepos, aut conſobrinus, is, & mariti avunculus, nepos, aut conſobrinus appellatur. Affinitatis ordo.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Affinitas, ſicut & conſanguinitas matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in quocunque gradu lineæ rectæ impedit, ac dirimit.

Hi enim loco parentum, & liberorum habentur: *Æque* autem (*ut Canones dicunt*) *abſtinendum eſt a conſanguineis uxoris, ut propriis.* Verba ſunt *Alexandri III.* cap. *Ex literis*, Extra. *De Conſanguinitate, & affinitate.*

Affinitatis impedimentum in recta linea ipſo naturæ jure conſtitutum eſt, omneſque gentes bene morigeratæ inceſtas illas conjunctiones velut immania ſcelera execratæ ſunt. Hinc Apoſtolus 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Levitici 20. *Qui ſuprà uxorem filiam, duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri.* Amos 2. *Filius, ac pater ejus iverunt ad puellam, ut violarent nomen ſanctum meum.*

REGULA II.

Affinitas in linea collaterali matrimonium impedit, ac dirimit uſque ad quartum gradum inclusive.

Ita ſtatutum eſt Canone *Non debet*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate.* Quare vir uxoris defunctæ conſanguineam in quarto gradu, aut ſuperioribus, uxorem ducere abſque diſpenſatione non poteſt; nec mulier mariti defuncti conſanguineo in quarto gradu, aut ſuperiori nubere.

REGULA III.

Quoto gradu conſanguinitatis attinet mihi vir, eodem gradu affinitatis attinet mihi uxor.

Hæc regula generalis eſt ad inveniendum gradus affinitatis certiſſima, ut conſtat ex Can. *Porro*, ſub

ſub Gregorii Papæ nomine vulgato, cauſa 35. qu. 5. „„ Porro de affinitate, quam dicitis parentelam eſſe, quæ ad virum ex parte uxoris, ſeu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifeſtiſſima ratio eſt: quia ſi ſecundum divinam ſententiam, ego, & uxor mea ſumus una caro, profecto mihi, & illi mea, ſuaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego, & ſoror uxoris meæ in uno, & primo gradu erimus; filius vero ejus in ſecundo gradu erit a me; neptis vero in tertio; idque utrinque in cæteris agendum eſt ſucceſſionibus. Uxorem vero propinqui mei, cujuſcunque gradus ſit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipſius quoque gradus aliqua femina propriæ propinquitatis ſit. Quod nimirum uxori de propinquitate viri ſui in cunctis cognationis gradibus convenit obſervari. Qui vero alioqui ſentiunt, Antichriſti ſunt; a quibus tanto fortius vos oportet cavere, quanto apertius deprehenditis illos divinis legibus repugnare „„.

REGULA IV.

Inter conſanguineos uxoris, & viri nulla intercedit affinitas, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Quare pater, & filius cum matre, & filia, & duo fratres cum duabus ſororibus matrimonium legitime contrahere poſſunt.

Ita declarat *Innocent. III.* cap. *Quod ſuper his*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate*, ſcribens: „„ Super eo igitur, quod pater, & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus, & nepos cum duabus ſororibus contrahant matrimonia; taliter tibi duximus reſpondendum: Quod licet omnes conſanguinei uxoris ſint viri affines, inter conſanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorundem, ſcilicet viri, & uxoris conjugio, nulla prorſus affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri „„. Secundum hanc Regulam, mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex

alio

alio marito, vel contra, matrimonium rite contrahunt, licet habeant fratrem, ſororemve ex matrimonio poſtea contracto natos. Græci affinitatem longius extenderunt. Extant enim in jure græco romano ſynodales ſententiæ Imperatorum legibus firmatæ, quibus nuptiæ duorum fratrum cum duabus ſororibus, vel conſobrinis, & viceverſa, aliæve ejus generis illicitæ pronuntiantur, ob nominum (ut ajunt) confuſionem. Sed ad nos nihil attinet hæc diſciplina.

REGULA V.

Affinitas ex illicita copula matrimonium infra ſecundum gradum contractum non dirimit, nec impedit.

Id conſtat ex Decreto Conc. Trid. ſeſſ. 24. *De Reform. matrimonii*, cap. 4. „ „ Præterea (*inquit*) S. Synodus eiſdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus vero gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere „ „. Sed nec hujuſmodi impedimentum dirimit matrimonium eorum, qui in ſecundo ſimul, & tertio gradu affinitatis ex illicita copula provenientis conjunguntur. In ſecundo namque, & tertio gradu conjuncti, in tertio tantum conjuncti cenſentur, ſecundum Regulam ab omnibus receptam: „ Quoto gradu „ quis remotior diſtat a ſtipite, eodem gradu diſtat „ a quolibet per aliam lineam deſcendente ab eodem „ ſtipite „: Et ſecundum Reſponſum *Gregorii IX.* cap. *Vir qui*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate.*

Quod vero affinitas ex illicita copula proveniens in primo tantum, & ſecundo, non in ulterioribus gradibus matrimonium contrahendum impediat, cum de ſenſu Tridentini Decreti dubium exortum eſſet, declaravit beatus Pontifex *Pius V.* Conſtitutione, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*, edita anno 1566.

REGULA VI.

Qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ in primo, vel ſecundo gradu, debitum petere non poteſt, reddere tamen tenetur.

Ita reſpondet *Innocent. III.* cap. *Diſcretionem*, & cap. *Tuæ fraternitatis*, Ext. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ.* Poſtremi Capitis hæc verba ſunt: „ Tuæ fraternitatis devotio poſtulavit, utrum iis, qui cum ſorore legitimæ conjugis fornicatur, cum uxore poſſit poſtmodum commorari, & exigere debitum, ac ſolvere requiſitus. Nos igitur reſpondemus, ut a commixtione viri abſtineat propter publicam honeſtatem, & in continentia maneat, donec vir viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, diligentius eſt monenda. Quod ſi forte commonitioni parere recuſans talis fuerit, ut de lapſu timeatur ipſius, vir ejus poterit. & debebit cum Dei timore debitum ei ſolvere conjugale; cum affinitas poſt matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non exiſtit „ „. Idem confirmat *Greg. IX.* cap. *Jordanæ* ſub eodem titulo.

Idem docet *S. Anton.* 3. p. tit. 1. cap. 11. „ „ Qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ adhuc ſponſæ, ſoluta ſunt Sponſalia, nec poteſt hujuſmodi ſponſam habere in uxorem, obſtante ſibi affinitate contracta; nec e converſo illam, quam fornicarie cognovit, obſtante ſibi publicæ honeſtatis juſtitia, & hoc niſi Papa diſpenſante. Qui autem cognovit conſanguineam uxoris, cum qua contraxerit per verba de præſenti, ſed nondum conſummavit matrimonium, cum non poſſit debitum negare niſi intrando religionem, videtur, quod ad hoc teneatur, ne inceſtum committat cognoſcendo affinem; & cum hoc valeat facere, quia nondum conſummavit. Quod ſi vult remanere in ſeculo, neceſſaria eſt ſibi diſpenſatio ad reddendum debitum, ſi hoc vult ſine peccato facere; & poteſt Epiſcopus diſpenſare. Qui autem cognovit conſanguineam uxoris, ſed conſummavit matrimo-

nium, tenetur quidem debitum reddere, ſed petere non poteſt abſque diſpenſatione (ut dictum eſt) per Epiſcopum „ „.

REGULA VII.

Subſequens affinitas non dirimit matrimonium, ſed nec præcedens, niſi legitime probata. Unde quamvis uterque conjugum aſſerat, acclamante etiam vicinia, quod vir ante contractum matrimonium uxoris ſuæ conſanguineam cognoverit, propterea conjuges ſeparari non debent.

Hæc Regula nititur cap. *De illo*, Ext. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt. „ „ De illo (*inquit*) qui uxorem fratris, antequam ei matrimonio jungeretur, ſe propoſuit cognoviſſe: Reſpondemus, quod niſi hoc publicum, & notorium fuerit, aut idoneis teſtibus comprobatum, prædictum matrimonium occaſione illa ipſum impetere non permittas „ „.

Et cap. *Super eo*, quod eſt *Cœleſtini III.* reſponſum eod. tit. „ „ Super eo (*inquit*) quod poſtulas, utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium, uxoris ſuæ conſanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, ſit ab uxore ſua judicio Eccleſiæ ſeparandus: tuæ fraternitati reſpondemus. Quod propter eorum confeſſionem tantum, vel rumorem viciniæ, ſeparari non debent; cum & quandoque nonnulli inter ſe contra matrimonium velint colludere, & ad confeſſionem inceſtus facile proſilirent, ſi ſuo judicio crederent per judicium Eccleſiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo eſt judicandus validus, quod niſi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, poſſit bene contractum matrimonium irritari „ „.

RE-

REGULA VIII.

Ex hoc quod unus frater ab una sororum, quam in matrimonium duxit, jure separetur propter impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, alterum fratrem ab altera sorore, quam pariter duxit uxorem, propterea separari, minime necesse est.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 41. qu. 1. art. 5. ad 3. „ „ Res (*inquit*) inter alios acta, alii non præjudicat in foro contentioso; unde quamvis unus frater repellatur a matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia aliud matrimonium, quod non accusatur: sed in foro conscientiæ non oportet, quod semper obligetur ex hoc alius frater ad dimittendam uxorem suam; quia frequenter tales accusationes ex malevolentia procedunt, & per falsos testes probantur. Unde non oportet, quod conscientiam suam formet ex his, quæ sunt circa aliud matrimonium facta. Sed distinguendum videtur in hoc: quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutrum: si primo modo, nec exigere, nec reddere debitum debet: si secundo, debet reddere, sed non exigere: si tertio, potest & reddere, & exigere „ „.

REGULA IX.

Qui bona fide in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, ea durante non peccant, si affectu conjugali cohabitent, & matrimonii jure utantur. Verum cognito impedimento, continere debent, donec dispensationem impetraverint; eosque Ecclesia separare debet, cum ad ejus notitiam impedimentum pervenerit, donec fuerit cum ipsis dispensatum, si fieri possit, & expediat.

Hanc Regulam tradit rursus *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 41. qu. 1. art. 3. ad 2. „ „ Ignorantia (*inquit*) excusat illicitum coitum a peccato, nisi

De impedimento ante matrimonium incognito.

sit affectata; unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, si tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi; si autem sciant, quamvis Ecclesia sustineat, quæ ignorat impedimentum, non excusantur a peccato, nec filii ab illegitimitate; si autem nesciant, & in occulto contrahant; non excusantur, quia talis ignorantia videtur affectata „ „.

Et art. 5. quæstiunc. 1. in responsione ad 1. „ „ Quamvis (*inquit*) Ecclesia dono, & auctoritate divina fulciatur, tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus ejus provenit, quod non est divinum. Et ideo illa conjunctio, quæ fit in facie Ecclesiæ impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate divina, sed est contra auctoritatem divinam errore humano inducta, qui excusat a peccato (cum sit error facti) quamdiu manet; & propter hoc quando impedimentum ad notitiam Ecclesiæ venit, debet prædictam conjunctionem separare „ „.

REGULA X.

Non facile sunt audiendi, qui matrimonium in facie Ecclesiæ, secundum formam Tridentini Concilii, contractum accusare, seu impedimenta dirimentia conjugatis objicere volunt.

De matrimonii accusatione, seu de objectione impedimentorum adversus conjuges.

In hac enim specie Judex ecclesiasticus *Innocentii III.* responso adhærere debet, cap. *Cum in tua*, Ext. *Qui matrimonium accusare possint*, cujus hæc sunt verba: „ „ Si post contractum matrimonium aliquis apparet accusator, cum non prodierit in publicum, quando Banna secundum consuetudinem Ecclesiæ edebantur, utrum vox suæ debeat accusationis admitti, merito quæri potest? Super quo respondemus, quod si tempore denuntiationis præmissæ is, qui jam conjunctos impetit, extra Diœcesim existebat, vel alias denuntiatio ad ejus non potuit notitiam per-

pervenire; ut puta si nimiæ infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium; vel in annis erat tam teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat; seu alia causa legitima fuerit impeditus, ejus accusatio debet audiri: alioqui tanquam sulpectus est procul dubio repellendus; nisi juramento firmaverit, quod post didicerit ea, quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat „„.

REGULA XI.

Qui scientes volentes contrahunt in gradu prohibito consanguinitatis, vel affinitatis, in excommunicationem latæ sententiæ incurrunt.

Id constat ex Clementina, *Eos qui*, Tit. *De Consanguinitate, & affinitate*, cujus hæc sunt verba; „„Eos, qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum, scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis Constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon Religiosos, & Moniales, ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, retrenare, metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes; ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere: præcipientes Ecclesiarum Prælatis, ut illos, quos eis constiterit, taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari „„.

Pœna contrahentium non obstante impedimento cognationis, vel affinitatis.

Ex his colligitur, ab hac Censura immunes esse, qui laborant ignorantia facti, quamvis non omnino inculpabili, imo & qui laborant ignorantia juris non affectata. 2. Si contraxerint ignorantes impedimentum, non incurrere in excommunicationem per hoc,

quod, impedimento agnito, ſimul cohabitent, ſive matrimonio utantur (tametſi mortalis peccati rei ſint, ſi abſque diſpenſatione id faciant) Excommunicatio enim a *Clemente V.* lata non eſt in eos, qui inceſtum perpetraverint, ſed in eos, qui contrahere matrimonialiter non dubitaverint in gradibus conſanguinitatis & affinitatis Conſtitutione canonica interdictis. 3. Hac cenſura non conſtringendos, qui clam convenirent abſque parocho, & teſtibus, in locis, ubi Concilium Tridentinum promulgatum eſt; quia clandeſtina conventio non eſt matrimonialis contractus. 4. Huic pœnæ non ſubjici, qui contrahunt exiſtimantes intercedere conſanguinitatem, vel affinitatem, cum revera non intercedat; nec qui contrahunt juſto metu, & in virum conſtantem cadente compulſi.

REGULA XII.

Parochi, vel Confeſſarii, qui occulta inter conjuges, vel Sponſos impedimenta noverunt, magna prudentia his in caſibus gerere ſe debent, ad ſalutem animarum procurandam, & ſcandalum avertendum.

Quomodo ſe gerere debeant parochi, vel Confeſſarii, qui occulta inter conjuges, aut ſponſos impedimenta noverunt. In qu. 54. ſuppl. S. Th. art. 9.

Si enim aliter quam ex Confeſſione id noverint, gravia autem damna immineant ex divortio, nec obtineri poſſit diſpenſatio, vel aliud remedium adhiberi, & conjuges bona fide contraxerint, impedimentum ignorantes, & bona fides nulla opinione, vel ſuſpicione contraria interturbetur: Parochi, vel Confeſſarii tacere debent, & conjuges in bona fide relinquere, modo tale ſit impedimentum, quod ipſo naturæ jure matrimonium non dirimat. Rationem affert *Franciſcus Silvius* Theologus eximius: Præceptum enim fraternæ correptionis non obligat, cum fructus nullus ſperatur, ut docet *S. Thomas*. Deinde nulli debemus laqueum injicere; quod faceret is, qui conjuges in his rerum circumſtantiis de occulto matrimonii ab ipſis initi impedimento admoneret.

Sed

Sed quod longe majoris ponderis eſt, prudentem hac in ſpecie paſtoris diſſimulationem jus probare videtur, cap. *Quia circa*, Extra. *De Conſanguinitate, & affinitate*, quod eſt *Innocentii III.* reſponſum, his verbis: „ Diſſimulare poteris, ut remaneant in co„pula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſe„ris, grave videas ſcandalum imminere „. Si vero impedimentum tale ſit, ut ipſo naturæ jure matrimonium dirimat, parochi, vel Confeſſarii, quibus illud aliter, quam ex Confeſſione ſacramentali notum eſt, monere de illo debent conjugatos, ac docere ipſos ad diſſolvendam nefariam conjunctionem teneri ſub æternæ damnationis periculo. Cum enim Eccleſia in impedimentis ipſo jure naturæ matrimonium dirimentibus diſpenſare non poſſit, nullus eſt hac in ſpecie diſſimulationis locus. Monitis autem conjugibus ſuadendum eſt, ut continentiam voveant, ſimulque ut frater, & ſoror habitent, ſi ullum ſit incontinentiæ periculum: ſi vero incontinentia timeatur, in monaſteria ſecedant; aut maritus in remotas regiones abeat. Si nullum fructum pariat parochi monitio, res prudenter denuntianda eſt Epiſcopo, vel alteri, qui prodeſſe poſſit, obeſſe nolit.

Si parochus impedimentum aliter, quam ex confeſſione noverit, & matrimonium nondum ſit contractum, de impedimento admonere debet ſponſos, eiſque privatim ſignificare, ut Sponſalia mutuo conſenſu diſſolvant. Nec eos matrimonio debet conjungere, quamvis impedimentum negent; ſed rem Epiſcopo tempeſtive denuntiare; ſi jubeat Epiſcopus, ut eos matrimonio conjungat, ad matrimonii celebrationem tuta conſcientia procedere poterit.

At ſi ex ſola confeſſione impedimentum noverit, in ea ſola pœnitentem moneat, & divini judicii metu a contrahendo hujuſmodi matrimonio deterreat; ſi in voluntate contrahendi abſque diſpenſatione perſeveret, abſolutionem illi neget; ſi extra confeſſionem parochum urgeat, poſtuletque, ut illum matrimonio conjungat, nec moram ulteriorem injicere

poſſit, matrimonii ſolemnitatem peragere non dubitet, ne ſcientia per ſacramentalem duntaxat Confeſſionem quæſita in ſacri ſigilli detrimentum uti videatur.

ARTICULUS VII.

De impedimento Criminis.

De impedimento criminis.

Impedimentum iſtud eccleſiaſtico duntaxat jure inſtitutum eſt. Duo autem ſunt in genere crimina, quæ matrimonium impediunt ac dirimunt, ſcilicet homicidium, & adulterium certis comitata circumſtantiis, quas Canones exprimunt, & quæ ſequentibus regulis explicantur.

REGULA PRIMA.

Homicidium cum adulterio conjunctum, matrimonium cum adultera, vel adultero contrahendum impedit, contractum dirimit, etiamſi alteruter contrahentium non ſit homicidii conſcius.

Occiſio, inquam, unius conjugum ab aliquo, ſeu viro, ſeu muliere perpetrata eo fine, ut cum altero conjuge ſuperſtite matrimonium contrahat, ſi adulterio polluti ſint, qui mortem intentarunt, ſeu intulerunt, antequam homicidium patraretur, eſt impedimentum dirimens. Idque locum habet, ſive conjux conjugem per ſe occiderit, ſive per alium, ſive alia perſona ſoluta virum, aut uxorem occiderit eo fine, ut cum ſuperſtite conjuge contraheret, & ante illius mortem commiſerit adulterium cum illo, vel illa, cujus expetebat matrimonium. Sufficitque ad hoc impedimentum inducendum, ſi una pars altera etiam non conſentiente, aut ignorante, conjugem occiderit illius, qui cum adulterio ſe polluit, ad hunc mutui matrimonii finem. Hæc regula nititur *Alexandri III.* reſponſo, cap. *Super hoc*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*; cujus hæc ſunt verba: „ Reſponde-

mus,

mus, quod ſi adultera eſt in mortem uxoris aliquid machinata, ſive fidem dederit, ſive non, quod ea defuncta hanc eſſet ducturus; ſecundum Canones ab ejus conſortio prohibetur; & hæc prohibitio perpetuo eſt ſervanda „„.

REGULA II.

Occiſio unius conjugum ex alterius cum tertia perſona matrimonium ejus ambiente conſpiratione, nullo etiam interveniente adulterio, eſt impedimentum dirimens matrimonium inter ejuſmodi perſonas.

Hanc Regulam tradit *Cœleſtinus III.* cap. *Laudabilem*, Ext. *De Converſione Infidelium*, cujus hæc ſunt verba: „„ Interrogaſti de Saracenis, qui dum in captivitate eſſent, quarumdam Chriſtianarum viros, eorum inſidiis, & machinationibus occiderunt, utrum quia poſtea per ipſas ad Fidem chriſtianam converſi ſunt, eas de jure poſſint accipere in uxores; vel ſi duxerint, conjugium teneat eorumdem. Hic Triburienſis Concilii Regula contenti ſumus, aſſerentis, quod ſi in mortem ipſorum malitioſe fuerint machinatæ, licet earum ſtudio ad fidem acceſſerint, tamen nec eis adhærere debent; nec ſunt, ſi adhæſerint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit „„. Mulier igitur illi nubere non poteſt, qui maritum ejus interfecerit, ſi mortem ejus machinata fuerit. Triburienſis Concilii regula, quam citat Pontifex, habetur cauſa 31. qu. 1. Canone *Si quis vivente.*

REGULA III.

Si mors alteri conjugi fuerit illata, non cauſa contrahendi cum ejus conjuge, ſed alio fine, vel ob aliam cauſam, nempe in bello juſto, vel caſu, vel odio, & libidine ultionis, homicidium hujuſmodi matrimonium conjugis ſuperſtitis cum occiſore non dirimit.

Hæc Regula nititur cap. *Laudabilem*, mox laudato: „„ Ad hoc (*inquit*) Saraceni quidam in bello ſunt Chriſtianos interfeciſſe notati, & Chriſtiani ſimiliter Saracenos; poſtea vero Saraceni ad fidem converſi uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, ſibi matrimonialiter copularunt; & idipſum Chriſtiani de Saracenis mulieribus converſis ad fidem feciſſe noſcuntur; quæ poſtquam de priorum virorum morte compererint veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. In his igitur reſpondemus. Quod cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujuſmodi perſonas licite poteſt contrahi; & taliter copulati divortium nequeunt poſtulare „„.

REGULA IV.

Ratihabitio occiſionis ab alio factæ, etiam ab adultero abſque conjugis ſuperſtitis mandato, aut conſilio, matrimonium ab illis contractum non dirimit.

Cum enim impedimenta odioſa ſint, ultra verba Canonum induci non debent; ſiquidem *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*, ſecundum Regulam juris. Canones autem homicidium quidem, ſeu machinationem mortis conjugis, vel ſui, vel alterius, matrimonii contrahendi gratia, ſi nefaria illam molitionem mors revera ſecuta ſit, impedimentum dirimens eſſe ſtatuunt; non autem ratihabitionem, quæ homicidio non eſt cooperata, ſed illud ſubſecuta eſt. Talis itaque ratihabitio non eſt impedimentum dirimens matrimonium contractum inter occiſorem, & conjugem ſuperſtitem, qui conjugis cædem ratam habuit. Id confirmat Gloſſa Canonis: *Si quis vivente*, cauſa 31. qu. 1. & cap. *Laudabilem*, Ext. *De Converſione Infidelium*. Quamvis alias in maleficiis ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur.

REGULA V.

Impedimentum dirimens non oritur, ſi quis ſuam, vel alterius conjugem occidit, ut poſſit contrahere matrimonium cum alia, quæ homicidii particeps non fuit, & quam adulterio non polluit.

Canones enim, quibus hoc impedimentum inductum eſt, requirunt, ut altera quoque pars, vel homicidii, vel adulterii conſcia ſit. Canon *Si quis vivente*, cauſa 31. qu. 1. „ „ Si quis vivente marito conjugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto, eamdem ſumpſiſſe dignoſcitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ ſubjiciatur. De quo etiam poſt pœnitentiam præfatam, ſi expedierit, ſervabitur regula; niſi forte vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod ſi probatum fuerit, ſine ulla ſpe conjugii maneat perpetuo cum pœnitentia „ „. Idem confirmant, cap. *Super hoc*, & cap. *Significaſti*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Id confirmat & *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 38. qu. 1. art. 2. „ „ Uxoricidium (*inquit*) ex ſtatuto Eccleſiæ matrimonium impedit; ſed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum, quando ſcilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit uxorem... (*Et id quidem veteri jure.*) Quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem ſuam, ut ducat eam, cum qua mœchatur; tunc enim efficitur illegitima perſona ſimpliciter ad contrahendum cum illa; ita quod ſi de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimitur; ſed ex hoc non efficitur perſona ſimpliciter illegitima reſpectu aliarum mulierum; unde ſi cum alia contraxerit, quamvis peccet contra ſtatutum Eccleſiæ faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc „ „.

RE-

REGULA VI.

Adulterium, ad quod accedit matrimonium vivente adhuc alterius conjuge de facto contractum, impedit, ac dirimit matrimonium cum adultero, vel adultera, etiam poſt mortem prioris conjugis.

Itaque ſi Petrus uxore ſua vivente Joannam adulterio polluit, & cum ea matrimonium contraxit, & quod certe ipſo jure irritum eſt; non poteſt poſt obitum legitimæ uxoris matrimonium contrahere cum Joanna; & ſi contrahat, irritum eſt, ac dirimitur, ut reſpondet *Clemens III.* c. *Ex literarum*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, & cap. *Cum haberet*, ſub eod. tit. cujus hæc ſunt verba: „„ Cum haberet uxorem legitimam A. nomine J. lator præſentium, cum M. adulterium perpetravit. Cumque ſuper hoc fuiſſet in jus vocatus, abjuravit adulteram, & poſtmodum juramento contempto, vivente legitima, cum ea matrimonium contrahere, & ipſi diu cohabitare præſumpſit. Demum prædicti A. de præſenti luce ſubtracta, memoratus Joannes cum adultera per decennium eſt moratus, de qua decem filios procreavit. Tale ergo damus conſultationi tuæ reſponſum, ut ſeparentur omnino, & ei perpetua pœnitentia indicatur, præſertim cum in dies ſuos ambo proceſſerint, & tamdiu publice in adulterio, & perjurio ex certa ſcientia perdurantes, Eccleſiam in gravi ſcandalo perturbaverint. Noſti enim, quod Leo Papa ſtatuit, ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit, & quod hic plus proceſſum fuit, quam ſi fides præſtita duntaxat fuiſſet adulteræ, ut, defuncta legitima, eam duceret in uxorem, cum eadem, etiam prima vivente, quaſi matrimonialiter mœchæ mœchus adhærere præſumpſit, & Sacramentum ſuum temere violare; quod utique connubium (ubi etiam nulla interceſſit religio juramenti) tam Gregorius Papa, quam Triburienſis Synodus deteſtatur, & utrumque hoc modo conjunctum præcipit

cipit publicæ pœnitentiæ ſubjici, ac perpetuo ſine ulla ſpe conjugii permanere. Nec aliquod eiſdem J. & M. adminiculum afferunt, ut ſimul maneant, quod decennio cohabitaverunt ad invicem, ac decem filios ſuſceperunt; cum multiplicitas prolis ita ſuſceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, ſed augmentet „„.

REGULA VII.

Matrimonium cum femina conjugata, vivente adhuc, & ſuperſtite primo conjuge contractum, tunc tantum impedit, ac dirimit matrimonium poſt primi conjugis mortem inter adulteros initum, cum uterque vir ſcilicet, ac mulier ſciunt ſe verum adulterium committere.

Si enim alteruter bona fide matrimonium contrahat, exiſtimans alterum ſolutum eſſe ac liberum, ſive ſuum, aut alterius conjugem obiiſſe, qui poſtea ſuperſtes invenitur; priore mortuo, cum poſteriori contrahere poteſt, ratumque matrimonium erit, niſi innocens divortium petat, ut conſtat ex cap. *Propoſitum*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum: „„ Propoſitum eſt nobis (*inquit*) quod vir quidam uxorem habens, ſibi aliam hujuſmodi rei inſciam copulavit: ſed prima mortua nititur diſcedere a ſecunda... Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat uxore ſua vivente, vel quæ machinata eſt in mortem uxoris; quia tamen præfata mulier erat inſcia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; nec dignum eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra Canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet: conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod niſi mulier divortium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi „„.

Idem

Idem confirmat *Innocent. III.* cap. *Veniens*, ſub eo-dem tit. „„ Veniens (*inquit*) ad præſentiam noſtram G. laicus humili inſinuatione monſtravit, quod cum in civitate Lemovienſi quamdam ſibi matrimonialiter copulaſſet, ab ea recedens Meſſanam advenit, ubi M. mulierem inſciam, quod aliam haberet uxorem, ſibi ſolemniter copulavit. Verum cum eidem pœnitentia fuiſſet injuncta, ut ad legitimam rediret uxorem, & ipſe propter hoc in ſuam patriam rediiſſet, uxorem ſuam inveniens carnis debita perſolviſſe, ad Meſſanam rediit civitatem, & ſupradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori... Licet autem vivente uxore legitima, prædictam M. ſibi copulare nequiverit in uxorem; quia tamen uxore defuncta, utpote a lege ipſius ſolutus, in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter conſentire; dummodo non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris; mandamus, quatenus ſi eſt ita, eidem G. ut ſupradictæ M. affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis „„.

Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. *Summæ*, pag. 546.

REGULA VIII.

Si primum matrimonium ipſo jure irritum erat; alterum, ante illius diſſolutionem contractum, ratum eſt.

Hæc Regula nititur cap. *Significavit*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt. „„ Mandamus (*inquit*) quatenus ſi conſtiterit, quod eidem O. tanta vis illata fuerit, quod non ſponte in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum ipſam carnaliter cognoverit, propter hoc non immittas, quin ad aliam, quam poſtea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem. Alioquin ſibi, ne ad ſecundam revertatur, ſub interminatione anathematis inhibens, des ei licentiam ducendi aliam in uxorem. „„.

Idem docet *S. Raymundus* loco mox indicato.

RE-

REGULA IX.

Adulterium cum fide data de contrahendo matrimonio cum adultera, vel adultero, poſtquam alter conjux objerit, eſt impedimentum dirimens matrimonium inter virum, & mulierem adulteram poſtea contractum.

Hæc Regula nititur cap. *Propoſitum*, & cap. *Super hoc*, quæ ſunt *Alexandri III.* reſponſa, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, & cap. *Significaſti*, quod eſt *Innocentii III.* reſponſum ſub eod. tit. „„ Cum (*inquit*) P. civis Spoletanus quamdam mulierem duxiſſet legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæſit. Verum cum uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa, meretricem, cui adhæſerat, deſponſavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente ſibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium ſupradictum „„. Idem conſtat ex Can. *Relatum eſt*, cauſa 31. qu. 1. qui Concilii Triburienſis eſt: „„ Relatum eſt auribus ſanctorum Sacerdotum, quemdam alterius uxorem ſtupro violaſſe, & inſuper mœchæ vivente viro juramentum dediſſe, ut poſt legitimi mariti mortem, ſi ſupervixiſſet, duceret uxorem; quod & factum eſt. Tale ergo connubium probibemus, & anathematizamus. Non licet ergo, nec chriſtianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus eſt adulterio „„. Quod ſi promiſſio de matrimonio contrahendo facta non fuerit vivente primo conjuge, ſed poſt ejus mortem, quamvis adulterium intervenerit illo adhuc ſuperſtite, nullum inde oritur impedimentum dirimens.

Sufficit autem nuda promiſſio, antecedens, concomitans, aut ſubſequens adulterium, vivente conjuge, nec requiritur, ut ſit juramento firmata, ſed tamen neceſſe eſt, ut ab altera parte criminis parti-

ticipe ſit accepta, ſeu verbo, ſeu ſigno; alias impedimentum iſtud non orietur.

Denique ſi fidem non dedit de matrimonio cum illa, qua abuſus eſt, contrahendo; ſed tamen fidem dedit de contrahendo cum illa, quam ipſa, vel amica ejus, aut amicus indicabunt, ipſaque poſt conjugis mortem nullam aliam indicet aut deſignari curet quam ſeipſam; ſi cum ea contrahat, qui illam adulterio polluit: „ „ Ex eo quod illa conſuluit, & ſic ille promiſerat, nullum eſt matrimonium, ſed dirimendum, quia in fraudem factum; & fraus, & dolus nemini debet patrocinari; ſecus ſi alia intentione faceret „ „ ; (inquit *S. Antoninus* 3. p. tit. 1. cap. 5.)

REGULA X.

Qui conjuge vivente dedit fidem alteri de matrimonio cum ipſa contrahendo, nec tamen ipſam ante, vel poſt fidem datam carnaliter cognovit, gravis quidem peccati reus eſt: non tamen irritum eſt matrimonium cum ea contractum, cui fidem ſuperſtite priori conjuge obſtrinxerat.

Id conſtat ex cap. *Si quis*, Ext. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, quod *Gregorii IX.* reſponſum eſt. „ „ Si quis (*inquit*) uxore vivente, fide data promiſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit; ſi nec ante, nec poſt (legitima ejus ſuperſtite) cognovit eamdem; quamvis utrique ipſorum, pro eo, quod in hoc graviter deliquerit, ſit pœnitentia injugenda; non eſt tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt uxoris obitum dirimendum. Cæterum tolerari non debet, ſi prius, vel poſtea, dum vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet „ „. Idem docet *Sanctus Raymundus* lib. 4. pag. 546. § 3.

RE-

REGULA XI.

Qui muliere aliqua fæde abutitur, nec tamen ſemen effundit intra vas; & ei dat fidem de matrimonio cum ipſa contrahendo poſt mortem conjugis, vel cum ipſa de facto contrahit quamvis graviſſimorum peccatorum ſit reus; ſi tamen illam ducat uxorem poſt obitum conjugis, matrimonium nequaquam irritum cenſendum eſt.

Canones enim hoc impedimentum oriri declarant ex adulterio, quod cum fide data, aut matrimonio de facto contracto uxore ſuperſtite, aut cum machinatione in ejus mortem conjunctum ſit; in hac porro ſpecie non eſt verum adulterium. Ad verum enim adulterium, requiritur, quod primum matrimonium ſit legitimum; 2. ut adulter, & adultera noverint ſuperſtitem eſſe conjugem; 3. ut ſemen intra vas naturale fundatur, aliter enim non fiunt una caro.

REGULA XII.

Solum adulterium non eſt impedimentum dirimens matrimonium poſt mortem conjugis contractum.

Prima quidem fronte contrarium innuere videtur Canon *Nullus* ſub *Leonis* Papæ nomine vulgatus cauſa 31. qu. 1. *Nullus* (inquit) *ducit in matrimonium, quam prius polluit adulterio.* Et Canon *Illud vero*, ibidem, Concilio *Apud Altheum* ſub *Conrado* Rege tributus: „ „ Illud vero (*inquit*) communi Decreto ſecundum Canonum inſtituta definimus, & præjudicamus, ſi quis cum uxore alterius eo vivente fornicatus fuerit, moriente marito, ſynodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec chriſtianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium „ „. Sed hanc prohibitionem ad tres caſus eſſe reſtringendam recte monet Gloſſa; nempe:

„„ Si vivente marito dederit ei fidem, quod si maritus præmoreretur, eam duceret; vel si alter in mortem mariti cum effectu machinatus est; vel si publice eam duxit „„. Quod confirmant Canones supra citati, ex 4. Decretalium tit. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* Rursus Glossa Canonis *Nullus*, ait: „„ Hæc verba latius patent, quam eorum sententia; deberet enim potius dici e converso, scilicet, quilibet ducat, nisi in tribus casibus tantum exceptis. Restringuntur enim hæc verba ad duos casus, vel tres tantum „„. Nostram regulam disertis verbis confirmat cap. *Significasti*, quod est *Innocentii III.* responsum, tit. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Sed & *S. Augustin.* expresse docet, contrahi posse verum connubium cum ea, quæ priori conjuge vivente adulterio polluta est. Lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiscentia*, c. 10. „ Mortuo (*inquit*) viro, cum „ quo verum connubium fuit, fieri verum connu„ bium potest, cum quo prius adulterium fuit „. Et lib. *De Bono Conjugali*, cap. 14. „ Posse sane fieri „ nuptias ex male conjunctis, honesto postea pla„ cito consequente, manifestum est „. Refertur Can. *Denique*, causa 1. qu 1.

Idem docet *S. Th.* in 4. *Sentent.* dist. 41. q. 1. art. 4. quæst. 3. ad 2. „„ Quamvis (*inquit*) non possit dispensari, quod aliquis ducat in uxorem illam, cum qua committit adulterium, vivente viro; tamen aliquo casu contingente potest eam in uxorem ducere absque dispensatione, scilicet post mortem viri; quia adulterium primum non dirimit matrimonium contractum, nisi in aliquo casu „.

ARTICULUS VIII.

De Cultus Disparitate.

Conjugia fidelium cum infidelibus.

I. Conjugia fidelium cum infidelibus ipsa naturæ, & positiva Dei lege illicita esse certum est, ubi peri-

periculum ſubverſionis, & æternæ ſalutis imminet ſive conjugi, ſive proli naſcituræ. Propter hanc rationem Deus Iſraelitis prohibuit, ne connubia miſcerent cum gentibus, quarum terram erant poſſeſſuri, *Exodi* 34. & *Deuteronomii* 7. Verſ. 4. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis.* libus Dei lege prohibita propter periculum ſubverſionis.

Idem confirmat Spiritus ſanctus per Apoſtolum 1. ad *Cor.* 7. ſcribentem: *Cui vult nubat, tantum in Domino*: Id eſt, tantum viro chriſtiano, ut explicant *Tertullianus* lib 2. *Ad Uxorem*, cap. 2. lib. *De Monogamia*, cap. 7. & lib. 5. *Contra Marcionem*, cap. 13. *S. Cyprianus* lib. 3. *Teſtimoniorum ad Quirinum*, cap. 62. *S. Hieronymus* lib. 1. *Contra Jovinianum*, cap 5. & Epiſt. 11. *Ad Ageruchiam*, S. Joannes Chryſoſtomus, *Theodoretus*, Auctor Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli inter opera *S. Ambroſii* editorum, *Primaſius*, *Sedulius*, *& S. Thomas.*

Idem rurſus confirmat Apoſtolus, 2. ad Corinth. cap. 6. Verſ. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi.* Quem locum in eum ſenſum explicant *SS. Cyprianus*, & *Hieronymus* locis indicatis.

Idem docet *S. Ambroſius* Epiſt. 19. ad *Vigilium* Tridentinum Epiſcopum: „ „ Sed prope (*inquit*) nihil gravius quam copulari alienigenæ, ubi & libidinis, & diſcordiæ, incentiva, & ſacrilegii flagitia conflantur. Nam cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia? Cum oratio communis eſſe debeat, quomodo inter diſpares devotione poteſt eſſe conjugii communis charitas? Sæpe plerique capti amore feminarum fidem ſuam prodiderunt, ut Patrum populus

lus in Belphegor „„. Nec tantum hac Epiſt. ſed & lib. 2. *De Abraham*, cap. 9. Expoſitione in Pſalmum 118. Sermone 20. & lib. 8. in Lucam, nu. 2. conjugia chriſtianorum cum alterius ſectæ perſonis *S. Ambroſius* damnat.

Olim ab Eccleſia tolerata ſeeluſo periculo.

II. Certum eſt ſecundo, matrimonia fidelium cum infidelibus, ſecluſo periculo ſubverſionis conjugis, & pravæ educationis, atque inſtitutionis filiorum in falſa religione, ab Eccleſia tolerata fuiſſe, maxime ſi ſpes converſionis conjugis infidelis cum fideli affulgeret, ut Sanctarum *Cæciliæ*, *Monicæ*, *Clotildis*, aliaque plurima exempla probant in hiſtoria eccleſiaſtica relata. Sed nec evidenter hujuſmodi connubia in utroque Teſtamento prohiberi, *S. Auguſt.* cenſuit, quamvis *S. Cyprianum* contraria in ſententia fuiſſe agnoſcat. Sic enim habet libro *De Fide, & Operibus*, cap. 19. „„ Beatus Cyprianus in Epiſtola de lapſis, cum deplorando, & arguendo multa commemoraret, quibus merito dicit in indignationem Dei fuiſſe commotam, ut intolerabili perſecutione Eccleſiam ſuam ſineret flagellari, ad eoſdem mores malos pertinere confirmat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, nihil aliud eſſe aſſerens, quam proſtituere gentilibus membra Chriſti. Quæ noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata; quoniam revera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt, & ideo, aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum „„.

Et lib. 1. *De adulterinis Conjugiis*, cap. 25. „„ Mulier (*inquit*) mortuo viro ſuo in poteſtate habet, cui vult, nubere, *Tantum in Domino.* Quod duobus modis accipi poteſt, aut chriſtiana permanens, aut chriſtiano nubens. Non enim tempore revelati Teſtamenti novi in Evangelio, vel ullis Apoſtolicis literis ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles cum infidelibus jungi. Quamvis beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere cum infide-

fidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentilibus membra Christi „.

Irrita semper non fuerunt, etiamsi ab Ecclesia prohibita fuere.

Certum est tertio, quamvis illicita semper fuerint in dispari cultu matrimonia, ubi periculum salutis imminebat christianæ conjugi, aut proli suscipiendæ; non tamen lege naturæ, aut divina positiva semper irrita fuisse. Nullibi enim Scriptura sacra illa irrita pronuntiat; nec Sanctos, qui cum infidelibus contraxerunt, naturæ legem, jusque divinum violasse, & in perpetua fornicatione vixisse putandum est. Sed neque priscorum Pontificum, & Conciliorum Decreta cultus disparitatem matrimonium dirimere statuerunt, quamvis matrimonia Fidelium cum infidelibus prohibuerint, ut constat ex Concilii illiberitani Can. 15. Laodiceni Canonibus 10. & 13. Carthaginensis 3. Can. 12. Chalcedonensis, Canone 13. Toletani quidem Concilii 4. Canone 26. Concilii Aurelianensis 2. Canone 18. & Aurelianensi 3. Canone 3 irrita Christianorum cum Judæis connubia declarant; sed hæc particularium Ecclesiarum de solis Judæis Decreta Legem universalis Ecclesiæ non constituunt de omnibus infidelibus intelligendam. Ut id porro de Judæis statueretur, peculiaris fuit ratio, quod illi post Evangelii promulgationem semper in sua perfidia fuerint cæteris pertinaciores. *Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem*; (inquit Apostolus 1. ad Thessalonicenses 2.) De quorum proinde conversione multo minor spes erat, & expectatio. Sed & *Theodosii magni* Constitutione Christianorum cum Judæis conjugia pro adulteriis haberi jubentur. *L. Nemo quis. C. De Judæis.*

Matrimonia fidelium cum infidelibus, id est cum hominibus non baptizatis, irrita.

Verumtamen certum est quarto, matrimonia Fidelium cum infidelibus, id est, hominum baptizatorum cum non baptizatis, hodie irrita esse, & jam olim irrita fuisse in Ecclesia Dei; idque (inquit *Estius* in 4. *Sententiarum*, dist. 39. §. 3.) non tam ex Canone aliquo ecclesiastico, quam ex more populi christiani, & praxi totius Ecclesiæ vim legis habente; tametsi consuetudo, & praxis illa & originem

incertam habeat, & ſenſim fuerit introducta; ſed ita demum obtinuit, ut jam ante *Gratiani*, & Magiſtri ſententiarum tempora hujuſmodi matrimonia in Eccleſia Chriſti irrita haberentur. Idque deinceps Theologi omnes, duce *S. Thoma*, & omnes pariter canonici juris interpretes aſſeruerunt, ſecundum majorum doctrinam, & conſuetudinem populi Dei.

Cauſa 28. qu. 1.

Juſtiſſimæ porro fuerunt rationes, cur hujuſmodi conjugia irrita cenſerentur; tum quod prorſus indignum videretur, membra Chriſti commiſceri cum idolorum cultoribus; tum quod matrimonium a Chriſtianis non aliter ſuſcipi debeat, quam ut eſt novæ legis Sacramentum, cujus capaces non ſunt, qui Baptiſmum nondum perceperunt: tum denique, ut Fidelium matrimonia omnino revocarentur ad eccleſiaſticum tribunal; quod fieri non poterat ſi conjugum alter infidelis exiſteret. Nam Eccleſia de iis, qui foris ſunt, & intus nunquam fuerunt, judicandi poteſtatem non habet.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Cum infidelium conjugum alter ad Fidem chriſtianam convertitur, & Baptiſmum ſuſcipit, non dirimitur propterea matrimonium.

De impedimento diſparis cultus.

Certiſſima enim juris canonici ſententia eſt, cauſa 28. qu. 2. can. *Si quis*, ex Concilio Meldenſi, & cap. *Gaudemus*, Ext. De Divortiis, *Crimina in Baptiſmo ſolvi, non conjugia*. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. Sent. diſt. 29 qu. 1, art. 3. „ „ Fides (*inquit*.) ejus, qui eſt in matrimonio non ſolvit, ſed perficit matrimonium; unde cum inter infideles ſit verum matrimonium, per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipſo vinculum matrimonii ſolvitur „ „.

REGULA II.

Conjux ad Fidem christianam conversus, & Baptismo initiatus, dimittere potest infidelem in infidelitate pertinacem, quamvis cum ipso pacifice cohabitare velit; dimittere tamen non tenetur.

Dimittere (inquam) potest ecclesiastici Judicis sententia, quoad thorum, & debiti conjugalis solutionem; non tamen quoad vinculum, quod integrum manet; si infidelis pacifice cum fideli cohabitare velit, ut docet *S. Thomas* loco mox indicato. „ „ Aliquando (*inquit*) vinculo matrimonii manente solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem; in quo pari passu currunt infidelitas, & adulterium; quia utrumque est contra bonum prolis; unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens libere cum adultera commanere spe correctionis; non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata; ne videatur patronus turpitudinis, quamvis etiam cum spe correctionis possit eam libere dimittere. Similiter Fidelis conversus potest cum infideli manere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit, & bene facit commanendo; tamen non tenetur; & de hoc est consilium Apostoli: 1. scilicet ad Corinth. 7. scribentis: *Si quis frater uxorem habet infidelem; & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam* „ „. Hæc enim verba: *Non dimittat illam*, esse consilii, non præcepti *S. Augusti.* censet lib. 1. *De adulterinis Conjugiis*, cap. 13. 17. 18. 20. 21. 25. Et lib. 1, *De Sermone Domini in monte*, cap. 16.

Id rursus confirmat *S. Thomas* art. 4. „ „ Homini (*inquit*) secundum aliam, & aliam vitam diversa competunt, & expediunt; & ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa, ad quæ in priori vita tenebatur; & inde est, quod ille, qui in vita seculari existens aliqua vovit, non tenetur illa, quando mun-

do moritur, vitam religioſam aſſumens, perficere. Ille autem, qui ad Baptiſmum accedit, regeneratur in Chriſto, & priori vitæ moritur; & ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult; quamvis in aliquo caſu id poſſet libere facere; ſicut & Religioſus libere perficere poteſt vota, quæ in ſeculo fecit, ſi non ſunt contra religionem ſuam, quamvis ad ea non teneatur „„. Si quod autem præjudicium uxor infidelis patitur, id ſibi imputet, quæ converti contemnit.

ſolvi- conju- vincu- , ſi in- is cum i paci- cohabi- velit,

Non tamen ſolvitur matrimonii vinculum, ſi pacifice cohabitare velit infidelis: „„ Quia ſi infidelis vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, vel ſine hoc, quod ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſcedere; ſed diſcedens non poteſt alteri nubere „„; (inquit *S. Thomas* in 4. Sentent., diſt. 39. qu. 1. art. 5.) Cui præivit in ea aſſertione *S. Auguſt.* lib. 1. *De Conjugiis adulterinis*, cap. 25. „„ Propter quodlibet tamen fornicationis genus (*inquit*) ſive carnis, ſive ſpiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimiſſo viro non licet alteri nubere, & dimiſſa uxore non licet alteram ducere; quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit: *Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. Et omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur* „„. *Marci* 10. 12. *Lucæ* 17. 18.

Id confirmat *Alexander III.* cap. *Quæſivit*, Ext. *De Divortiis*, cujus hæc ſunt verba: „„ Verum ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit ſeparari, ita quod ei nubere alii non licebit; quia licet ſeparentur, ſemper tamen conjuges erunt. In viris quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur „„.

REGULA III.

Non expedit diſceſſio fidelis conjugis ab infideli pacifice cohabitare volente.

Hanc

Hanc Regulam tradit *S. Auguſt.* lib. 1 *De Conjugiis adulterinis*, cap. 18. „ „ Aliud eſt (*inquit*) Domini jubentis imperium, aliud conſervi ſecundum miſericordiam charitatis, quæ eſt illi a Domino inſpirata, atque donata, fidele conſilium. Ibi aliud facere non licet, hic autem licet; ita ſane, ut ipſum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat. Expedit nunc, quando non ſolum per juſtitiam, quæ coram Domino eſt, permittitur, ſed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum ſalutis infertur; velut cum dat conſilium non nubendi Apoſtolus virgini, unde præceptum Domini ſe non habere teſtatur; licet aliud facere, id eſt, nubere, & minus quam continentiæ, bonum tamen tenere nuptiarum. Ipſumque licitum etiam expedit; quoniam in vetita, & illicita ruituram carnis infirmitatem ſic excipit honeſtate nubendi; ut neminem impediat ad ſalutem; quamvis magis expediret, magiſque honeſtum eſſet, ſi virgo conſilium, quo præceptum eam non impellit, arriperet. Tunc autem non expedit id, quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis aliis affert impedimentum ſalutis. Sicut eſt, unde jam diu loquimur, diſceſſio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injuſta non eſt; ſed prohibet Apoſtolus conſilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum ſalutis; non ſolum quia pernicioſiſſime ſcandalizantur offenſi; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime reſolvuntur „ „.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in 4. Sent. diſt 39. qu. 1. art. 5. in reſponſione ad 4. „ „ Si (*inquit*) poſt converſionem viri ſit aliqua probabilis ſpes de converſione uxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud matrimonium tranſire; quia difficilius converteretur uxor, viro ſuo ſciens ſe privatam. Si autem non ſit ſpes de converſione, poteſt ad ſacros Ordines, vel ad religionem

nem accedere, prius requisita uxore, quod convertatur. Et tunc si postquam vir sacros Ordines accepit, uxor convertatur, non est ei vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in pœnam tardæ conversionis, quod viro suo privatur „ „

REGULA IV.

Si conjux infidelis, vel nullo modo cum fideli cohabitare velit, vel non sine contumelia Creatoris; vel nonnisi eo animo, & ea conditione, ut ipsum pertrahat ad mortale peccatum, fidelis non solum deserere potest infidelem, sed etiam alterum matrimonium contrahere.

Hæc Regula colligitur ex Apost. 1. ad Cor. 7. *Quod si* (inquit) *infidelis discedit, discedat: Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Quibus verbis significat Apostolus, fratrem, aut sororem, id est, christianum, aut christianam, non esse subjectos servituti, qua teneantur abstinere ab usu conjugii, si conjux infidelis odio christiani nominis sponte discesserit, aut conjugem reliquerit, aut si dimissus fuerit, eo quod sine Christi contumelia cohabitare nollet.

Id confirmat *S. August.* lib. *De Fide, & Operibus*, c. 16. „ „ Quamobrem (*inquit*) & illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater, vel soror in hujusmodi;* id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro christiano propter hoc, quia Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi, vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus domum nostram transigebas, etiam Christianus exerceat; aut si quid aliud vel facinorosum, vel flagitiosum in viro noverat; quo delectata, vel libi-

libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tum enim ille, cui hoc uxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad Baptismum, habetque in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, & membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputat „ „.

Idem confirmatur ex can. *Si infidelis*, causa 28. qu. 2. *S. Greg.* perperam tribuitur, & ex Auctore Commentariorum in Epistolas Pauli inter *S. Ambrosii* opera editorum desumptus est. „ „ Si infidelis discedit odio christianæ Fidei, discedat. Non est enim frater, aut soror subjectus servituti in hujusmodi. Non est enim dimisso peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium; nec est ei fides servanda conjugii, quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse christianorum conjugiorum „ „.

Eamdem Regulam confirmat *Innoc. III.* cap. *Quanto*, Ext. *De Divortiis*, cujus hæc sunt verba: „ „ Si alter infidelium conjugum ad Fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi* „ „.

Et cap. *Gaudemus*, sub eod. tit. „ „ Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem; cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso; aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris; vel ut eum pertrahat ad mortale pec-

peccatum : in quo caſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur ; quia, ſecundum Apoſtolum : *Frater, aut ſoror non eſt in hujuſmodi ſubjectus ſervituti* „„. Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. Summæ pag. 547.

REGULA V.

Matrimonii vinculum non ſolvitur, niſi cum fidelis conjux aliud matrimonium contrahit, infideli ob cauſas mox expoſitas dimiſſo. Unde ſi infidelis ad chriſtianam religionem convertatur, antequam conjux prius converſus aliud matrimonium contraxerit, illum recipere tenetur.

Sic reſpondet *Innoc. III.* cap. *Gaudemus*, ſupra citato : „„ Quod ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur „„.

Suffragatur *S. Thomas* in 4. Sentent. diſt. 39. qu. 1. ar. 5. in reſponſione ad ſecundum : „„ Crimen (*inquit*) uxoris nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris, abſolvit virum a ſervitute, qua tenebatur uxori, ut non poſſet ea vivente aliam ducere ; ſed nondum ſolvit matrimonium, quia ſi blaſphema illa converteretur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir ſuus ; ſed ſolvitur per matrimonium ſequens, ad quod pervenire non poſſet vir fidelis non ſolutus a ſervitute uxoris per culpam ejus „„. Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. Summæ pag. 549. „„ Solvitur ſtatim matrimonium (*inquit*) quoad ſervitutem, ſed non quoad ſubſtantiam, niſi tunc demum cum contrahit cum alia matrimonium ; & ideo dicit Apoſtolus : *Frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi*. Et Canon : *Contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii*, circa eum, qui relinquitur. Non dicit : Solvit matrimonium, ſed jus, id eſt, vinculum, obligationem, ſive ſervitutem matrimonii „„.

RE-

REGULA VI.

Si conjux infidelis tandem convertatur; poſtquam fidelis aliud matrimonium contraxit, illi concedi poteſt, ut alteri nubat.

Ita docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in reſponſione ad tertium: „„ Poſtquam (*inquit*) fidelis contraxit, ſolutum eſt vinculum matrimonii ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum. Unde in pœnam uxoris infidelis ei indicitur; quod non poſſit cum alio contrahere, magis quam ex virtute matrimonii præcedentis: ſed ſi poſtea convertatur, poteſt ei concedi diſpenſative, ut alteri nubat, ſi vir ejus aliam uxorem duxit „„.

REGULA VII.

Conjugum altero in infidelitate pertinaci, filii minorennes conjugi fideli dari debent.

Nititur hæc Regula can. *Judæi*, & can. *Judæorum*, cauſa 28. qu. 1. qui ſunt Concilii Toletani quarti ſexageſimus ſecundus, & quinquageſimus nonus; & *Gregorii IX.* reſponſo, cap. *Ex literis*, Ext. *De Converſione Infidelium*, quo Judæo cuidam ad Fidem chriſtianam converſo filium quadriennem aſſignari jubet, quamvis mater in judaica ſuperſtitione pertinax vehementer contradiceret ob eam cauſam, quod infans materno magis indigeret ſolatio, quam paterno. „„ Cum (*inquit*) filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus familiam ſequitur, & non matris; & in ætate tali quis non debeat apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quod ſaluti, vel vitæ inſidientur illius, & pueri poſt triennium apud patrem non ſuſpectum ali debeant, & morari; materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud eam, poſſet illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maxime Fidei chriſtianæ reſpondemus, patri eumdem puerum aſſignandum „„.

Id confirmat *S. Thomas*, in 4. Sentent. dist. 29. q. 1. art. 4. in responsione ad quartum. „ „ Proles (*inquit*) aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit libere sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem; vel est in minori ætate constituta; & tunc debet dari fideli, non obstante, quod indiget matris obsequio ad educationem „ „

REGULA VIII.

Catholicorum cum hæreticis conjugia illicita sunt; nec possunt absque gravi peccato contrahi.

De Catholicorum matrimonio cum hæreticis. Matth. 18. Tit 3. 10. 1. Joan. 10.

Si enim hæreticus Ecclesiam non audiens haberi debet *sicut ethnicus, & publicanus*: Si devitandus est, secundum Apostoli sententiam: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*: Si nec in domum admittendus, nec salutandus est, secundum dilecti discipuli mandatum: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis*: *Si jugum cum infidelibus* ducere *non licet*; hæresis vero pessimum est infidelitatis genus, non licet cum hæreticis contrahere matrimonia.

Connubia Catholicorum cum hæreticis illicita.

Ad hæc, hæreticos omnes excommunicatos esse certum est, quibuscum proinde Catholici communionem inire non debent, in iis potissimum, quæ Sacramenta spectant, occasionem præbendo, ut eorum sanctitas ab ipsis violetur. Porro matrimonium Sacramentum est, quod si recipiat, vel ministret hæreticus, violabit ejus sanctitatem. Quæ autem cum hæretico, vel qui cum hæretica muliere contrahit, vel Sacramentum administrat infideli, & publico peccatori, & ab eo recipit volens sciens, vel occasionem præbet, ut ipsi administretur in Ecclesia, adeoque Sacramenti sanctitati violandæ ansam præbet, vel eam ipse violare non veretur. Periculum præterea subversionis, pravæ liberorum educationis, & domesticorum ob religionis diversitatem dissidiorum,

rum, & rixarum, ab illis conjugiis imminet. Hinc Patres, & Concilia hujuſmodi matrimonia proſcribunt, & Catholicis prohibent.

S. Ambroſius lib. 1. *De Abraham*, cap. 9. „ „ *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus ſpiritus eſt? Quomodo autem poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? Et ideo cave, Chriſtiane, Gentili, aut Judæo filiam tuam tradere. Cave (*inquam*) Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam a fide tua uxorem accerſas tibi. Ratio docet, ſed amplius exempla movent; ſæpe illecebra mulieris decepit, etiam fortiores maritos, & a religione fecit extorres „ „. Pſal. 17.

Concilium illiberitanum can. 16. „ „ Hæreticis, ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam catholicam, nec ipſis catholicas dandas puellas; ſed neque judæis, neque hæreticis dari placuit, eo quod nulla poſſit eſſe Societas fidelis cum infideli: ſi contra interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquennium placet „ „; id eſt, communione privari.

Concilium Laodicenum can. 10. „ „ Quod non oporteat indifferenter eccleſiaſticos fœdere nuptiarum hæreticis ſuos filios, filiaſque conjungere „ „.

Conc. Carthaginenſe 3. can. 12. „ „ Item placuit, ut filii, vel filiæ Epiſcoporum, vel quorumlibet Clericorum, gentilibus, vel hæreticis, aut ſchiſmaticis matrimonio non jungantur „ „.

Concilium Carthaginenſe can. 14. „ „ Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Judæo, vel Pagano; niſi forte perſona Orthodoxæ copulanda promittat ſe ad orthodoxam Fidem transferre. Si quis hanc definitionem ſanctæ Synodi tranſgreſſus fuerit, correptioni canonicæ ſubjacebit „ „. Solam promiſſionem amplectendi Fidem catholicam ab hæreticis non poſtulare Calcedonenſes Patres, ſed ut promiſſio impleatur ab hæretica perſona, ejuratione hæreticos, Fideique catholicæ profeſſione ſolemni,

ante-

antequam matrimonium cum illa contrahere catholico permittatur, intelligunt interpretes græci. „„ Quod ſi fidem amplecti ſe velle hæreticorum quiſpiam aut infidelium polliceatur, cum eo paciſci de nuptiis, non tamen eas, antequam promiſſa impleverit, celebrari licere decernitur (*inquit Zonaras.*) Tunc enim ſi ad orthodoxam fidem acceſſerit, conſequentur quoque nuptiæ „„ (*inquit Bigamen.*)

Conc. Agathenſe can. 67. „„ Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare, ſed potius accipere, ſi tamen profitentur chriſtianos futuros eſſe ſe, & catholicos „„. Refertur can. *Non oportet*, cauſa 28. qu. 1

Concilium Burdigalenſe anno 1582. „„ Moneantur quam ſæpiſſime fideles chriſtiani a ſuis parochis, ne hæreticis, & hominibus a fide, & religione catholica alienis, filios, & filias in matrimonium collocent: talibus enim conjugiis, quod dolentes referimus, permulti naufragium fidei fecerunt „„.

Concilium Turonenſe anno 1583. „„ Monente Apoſtolo, cum non ſit ducendum jugum cum infidelibus, nullaque debeat eſſe pars fidelis cum infideli, ſitque matrimonium non tantum corporum, ſed magis animarum conjunctio, & divini, humanique juris ſocietas, eaque de cauſa cavere debeant maxime, qui matrimonium contrahere deſiderant, ne inter conjuges perpetuæ rixæ, vel etiam divortii relinquatur occaſio; ideoque catholici cum hæreticis, quorum vix, aut nunquam poſſunt eſſe pares animi, matrimonio jungi non debeant, Eccleſiarum parochialium rectores hortamur, eiſque injungimus ſuos paræcianos catholicos a matrimoniis cum hæreticis ineundis quanta poterunt diligentia avocare; Catholicis permittentes, ut a Sponſalibus impune reſilire poſſint, quæ per verba de futuro cum hæreticis ignoranter contraxerint „„.

Regis chriſtianiſſimi Conſtitutio hac in cau-

Ludovicus magnus Rex chriſtianiſſimus conſtitutione edita anno 1689. Gallis, & Ditionum ſuarum hominibus quibuſcunque, religionis catholicæ apoſtoli-

ſtolicæ, & romanæ profeſſoribus prohibuit, ne quovis prætextu matrimonia cum hæreticis contraherent, hujuſmodi connubia haud valide contracta, & filios illegitimos, ac hereditariæ ſucceſſionis in bona parentum mobilia, vel immobilia incapaces declarans, ea ductus ratione: Quod „„ Concilia variis temporibus in Eccleſia celebrata editis Canonibus matrimonia catholicorum cum hæreticis damnaverint, ut ſcandalum publicum, & violationem manifeſtam Sacramenti, cui Deus gratias adnexuit, quæ hominibus extra Communionem fidelium poſitis communicari non poſſunt; & quod matrimoniorum catholicæ Eccleſiæ diſciplinæ adeo repugnantium tolerantia catholicos perpetuæ tentationi ſubverſionis, & defectionis a fide, & Communione catholica exponat „„ Haud valide contracta declaravit hujuſmodi matrimonia Rex maximus, & religioſiſſimus, quoad effectus duntaxat civiles, non quoad ſubſtantiam, & firmitatem contractus.

REGULA IX.

Catholicorum cum hæreticis matrimonia non ſunt irrita.

Non ſunt irrita.

Matrimonii namque vinculum propter hæreſim non diſſolvi, ſacra Synodus Tridentina declaravit can. 5. „„ Si quis dixerit, propter hæreſim . . diſ„ ſolvi poſſe matrimonii vinculum; anathema ſit „„

Idem conſtat ex cap. *Quanto*, Extra, *De divortiis*, quod eſt *Innocentii III.* Reſponſum: „„ Si vero (*inquit*) alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero poſſit ad ſecundas Nuptias convolare, licet in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris. Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; inter Fideles autem verum, & ratum exiſtit; quia Sacramentum Fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed

ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret.. Per hanc reſponſionem quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando ſibi invicem diſplicerent, ſi eas poſſent in tali caſu dimittere, diſſimularent hæreſim, ut ab. ipſa (nubentibus conjugibus) reſiliſrent „„.

Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. Sentent. diſt. 39. q. 1. art. 1. in Reſponſione ad quintum. „„ Matrimonium (*inquit*) Sacramentum eſt, & ideo quantum pertinet ad neceſſitatem Sacramenti, requirit paritatem; quantum ad Sacramentum fidei, ſcilicet Baptiſmum, magis quam quantum ad interiorem fidem; unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed diſparitas cultus, qui reſpicit exterius ſervitium. Et propter hoc ſi aliquis Fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum eſt matrimonium; quamvis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam, ſicut peccaret, ſi cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur „„.

Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. Summæ, pag. 550.

Orientalis Eccleſia Catholicorum cum hæreticis matrimonia irrita declaravit.

Trullana quidem Synodus can. 72. Catholicorum cum hæreticis matrimonia irrita pronunciat; ſed alia eſt Romanæ, & totius Occidentalis Eccleſiæ, quæ Canones illos non approbavit, diſciplina. Femina tamen, quæ erroris viri conſcia hæretico nubit, dotis privatione mulctatur Conſtitut. *Bonifacii VIII.* cap. *Decrevit*, Tit. *De hæreticis*, in Sexto.

REGULA X.

Conſuetudo regionum, in quibus Catholici cum hæreticis permixti ſunt, & paſſim cum illis matrimonio junguntur, ita contrahentes a peccato gravi non excuſat, niſi diſpenſationem a ſummo Pontifice juſtis de cauſis obtinuerint, omneque ſubverſionis abſit periculum, & catholicæ liberorum inſtitutioni provideatur.

Eſto

Esto enim, cum perversionis periculum abest, cum nullum inde scandalum oritur, cum educationi liberorum in catholica Fide prospicitur, matrimonia hujusmodi lege naturæ, ac divina positiva prohibita non sint, legibus tamen ecclesiasticis vetita sunt, quarum relaxatio pertinet ad summum Pontificem iis in casibus, in quibus de universali disciplina, & Conciliorum generalium Canonibus, aut populi Dei consensu firmata agitur, & dispensandi potestatem sibi reservarunt Sedis apostolicæ Pontifices. Non videtur autem, quod Canones, in promiscuis illis connubiis catholicorum cum hæreticis violari probet, quamvis istud malum gemens toleret Ecclesia. nec puniat his in regionibus ob peccantium multitudinem. Neque enim consuetudo hac in re a peccato excusat, cum salutis periculum ex hujusmodi connubiis, ut plurimum, oriatur, & absque sacratum Ecclesiæ legum violatione, & religionis catholicæ dedecore non contrahantur: ut enim ait *Greg. IX.* cap. *Cum tanto*, Ext. *De Consuetudine*, lib. 1. Decretalium: „„ Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. Licet etiam longevæ consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime præscripta „„. Quis porro dixerit consuetudinem, qua in quibusdam regionibus catholici & hæretici promiscue nubunt, esse rationabilem? Quis legitime præscriptam asserat? Siquidem (ut *Tertullianus* ait, lib. *De Virginibus velandis*, cap. 1.) „„ Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in usum per successionem

An liceat cum dispensatione summi Pontificis.

ſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit „„. De conſuetudine igitur, qua catholici quibuſdam in regionibus matrimonia cum hæreticis contrahere non dubitant; *S. Cypriani* verba uſurpamus Ep. 1. *Conſenſerunt jura peccatis, & cœpit jam licitum eſſe, quod publicum eſt.*

ARTICULUS IX.

De impedimento Ligaminis.

Quid ſit ligamen. *Ligamen eſt indiſſolubile matrimonii vinculum, quo conjuges ita ſibi invicem ſunt alligati; ut utroque ſuperſtite neuter cum altero matrimonium contrahere valeat.* Impedimentum iſtud divino jure inſtitutum eſt, quo & Polygamia prohibita. Unde Tridentina Synodus ſeſſ. 24. can. 2. „ Si quis dixerit licere chriſtiano plures ſimul habere uxores, & hoc nulla Lege „ divina eſſe prohibitum; anathema ſit „.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Si quis vir cum aliena uxore, legitimo ejus marito ſuperſtite; vel mulier cum alieno viro, legitima uxore vivente, matrimonium contraxerit, ad priores conjuges redire compellendi ſunt; poſteriuſque illud matrimonium irritum eſt, quamvis ſit carnali copula conſummatum, & prior uxor cognita non fuerit.

De impedimento ligaminis. Sic reſpondent *Alexander III.* cap. *Licet*, & *Innocent. III.* cap. *Tuas*, Ext. *De Sponſa duorum.* Contrariamque Mutinenſium conſuetudinem poſtremis ille Pontifex proſcribit. „ Si perſonæ (*inquit*) junctæ legitime cum aliis poſtea de facto contrahant, quod „ prius de jure factum fuerat, non poterit irritari „.

REGULA II.

Appellans in cauſa nullitatis matrimonii, aliud matrimonium contrahere non poteſt, donec Judex eccleſiaſticus cauſa cognita, lataque Sententia matrimonium irritum pronuntiaverit; alioquin matrimonium lite pendente contractum irritum eſt.

Hæc Regula nititur cap. *Tua fraternitas*, Extr. *De Sponſa duorum*, quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum. „„ De his (*inquit*) qui coram te ſuper deſponſatione facta per conſenſum mutuum de præſenti controverſiam movent, & appellatione pendente, quam ante ſententiam, vel cognitionem cauſæ ad Sedem apoſtolicam interponunt, accipiunt alias in uxores; hoc arbitramur agendum, ut ſi amodo in tali caſu duxerint appellandum, eis in Eccleſia publice interdicas, ne ante deciſionem cauſæ aliud contrahant matrimonium. Et ſi contra interdictum Eccleſiæ publice factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuoſe contractum poteris irritare „„.

REGULA III.

Mulier, cujus maritus ſeptennio, decennio, aut etiam longiori quovis tempore abſens fuerit, nubere alteri non poteſt, donec de illius morte certis documentis conſtet.

Sic reſpondet Cæſarauguſtano Epiſcopo *Clemens III.* cap. *In præſentia*, Extr. *De Sponſalibus, & matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: „„ In præſentia noſtra quæſiviſti, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis ablentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint; neç certificari poſſunt de vita, vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Conſultationi ergo tuæ taliter reſpondemus; Quod quan-

tocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare; nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum recipiant nuntium de morte virorum „„. Pontificis reſponſum doctrinæ *S. Baſilii* conſonum eſt, Ep. ad Amphilochium, can. 36. „„ Militum uxores (*inquit*) quæ cum mariti ipſorum non appareant, nupſerunt, eidem rationi ſubjiciuntur, cui eæ, quæ propter maritorum peregrinationem, ac abſentiam, reditu non expectato, nupſerint. Sed res nonnullam hic veniam admittit, quod major ſit militis ſuſpicio „„. Quinquennio duntaxat viros abſentes expectari ab uxoribus debere, civili jure conſtitutum erat *L. Uxores*, *ff. De Divortiis.* Sed legem illam emendavit *Juſtinianus* Imperator authentica, *Hodie* cap. *De repudiis*, cujus hæc ſunt verba: „„ Hodie quantiſcunque annis maritus in expeditione remanſerit, mulier ſuſtinere debet, licet neque literas, neque reſponſum ab eo acceperit. Sed ſi mortuum audierit, non prius nubat, quam per ſe, vel per alium, eum, ſub quo militabat, adiens, interrogaverit, ſi pro veritate mortuus eſt; ut apud Geſta deponatur cum jurejurando, ſi mortuus ſit; quo ſubſecuto, poſt annum nubat. Si vero præter hæc nupſerit, tam ipſa, quam qui eam duxerit, veluti adulteri puniantur „„.

REGULA IV.

Quæ de morte prioris conjugis dubitans alterum matrimonium contraxerit, aut poſtea in eam dubitationem *inciderit*, novo quidem conjugi debitum exigenti reddere tenetur, ſed exigere ipſa non poteſt.

Sic reſpondet *Lucius III.* cap. *Dominus*, Ext. *De ſecundis Nuptiis*, cujus hæc ſunt verba: „„ Sane ſuper matrimoniis, quæ ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine contraxerunt, id vobis

bis reſpondemus, ut nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac migraverit conjux ejus. Si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti; quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum „ „.

REGULA V.

Si de prioris conjugis vita conſtiterit, ſecundum matrimonium, licet bona fide contractum, dirimitur, & mulier Cenſuris eccleſiaſticis cogenda eſt, ut ad priorem maritum revertatur.

Ita decrevit *S. Leo*, Ep. 129. alias 79. ad *Nicetam* Epiſcopum Aquilejenſem, „ „ Cum ergo (*inquit*) per bellicam cladem, & per graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam dicatis diviſa eſſe conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanſerint deſtitutæ: quæ cum viros proprios, aut interemptos putarent, aut nunquam a dominatione crederent liberandos, ad aliorum conjugium, ſolitudine cogente, tranſierint. Cumque nunc ſtatu rerum, auxiliante Domino, in meliora converſo, nonnulli eorum, qui putabantur periiſſe, remeaverint, merito Charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ ſunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus ſcriptum, quod *A Deo jungitur mulier viro*; & iterum præceptum agnovimus: *Quod Deus junxit, homo non ſeparet*: neceſſe Mat. 19 6. eſt, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hoſtilitas intulit, unicuique hoc, quod legitime habuit, reformetur; omnique ſtudio procurandum eſt, ut recipiat unuſquiſque, quod proprium eſt... Et ideo, ſi viri poſt longam captivitatem reverſi, ita in dilectione ſuarum conjugum perſeverent, ut eas cupiant in ſuum redigere conſortium; omittendum eſt, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit; & reſtituendum,

dum, quod fides poſcit. Si autem aliquæ mulieres ita poſteriorum virorum amore ſunt captæ, ut malint cohærere, quam ad legitimum redire conſortium, merito ſunt notandæ; ita ut etiam eccleſiaſtica Communione priventur; quæ de re excuſabili contaminationem criminis eligerunt, oſtendentes ſibimet pro ſua incontinentia placuiſſe, quod juſta remiſſio poterat expiare. Redeant ergo in ſuum ſtatum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis extorſit; quia ſicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros ſuos nolunt, impiæ habendæ ſunt; ita illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, merito ſunt laudandæ „„.

Id confirmat *Lucius III.* cap. *Dominus*, Ext. *De ſecundis Nuptiis*, cujus hæc ſunt verba; „„ Quod ſi poſt hoc de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur „„. Adulterinos complexus vocat, ſi poſtquam intellexerit pro certo priorem maritum ſuperſtitem eſſe, cum ſecundo remaneat; ante enim adulterium non eſt, ſi bona fide contraxerit.

REGULA VI.

Culpabilis non eſt vir, qui duxit mulierem, cujus maritus defunctus credebatur, & tamen ſuperſtes erat, ſed priori marito locum cedere debet. Filii autem ex ſecundo matrimonio ſuſcepti, ſunt nihilominus legitimi.

Ita docet *S. Leo* Ep. mox indicata, cap. 2. „„ Nec tamen (*inquit*) culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervaſor habeatur, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimabatur, aſſumpſit. Sic enim multa, quæ ad eos, qui in captivitatem ducti ſunt, pertinebant, in jus alienum tranſire potuerunt; & tamen plenum juſtitiæ eſt, ut eiſdem reverſis propria reformentur. Quod ſi in mancipiis, vel in agris, aut in domibus, ac poſſeſſionibus rite ſervatur,

vatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum eſt; ut quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur „„?

Filios porro ex ſecundo matrimonio ſuſceptos, nihilominus legitimos eſſe, docet *S. Raymundus* lib. 4. Summæ, pag. 553. „„ Pone (*inquit*) quod uxor credit virum mortuum, & contrahit cum alio. Dic, quod quamdiu ita credit, nec ille revertitur, excuſatur ab adulterio, & fornicatione, propter ignorantiam facti. At filii, ſi quos ex ſecundo ſuſcepit, judicantur legitimi „„.

ARTICULUS X.

De Juſtitia publicæ honeſtatis.

Quid ſit juſtitia publicæ honeſtatis.

Juſtitia publicæ honeſtatis eſt propinquitas ex Sponſalibus, aut matrimonio non conſummato proveniens, roburque trahens ex inſtitutione Eccleſiæ, propter ejuſdem Eccleſiæ honeſtatem. Ex qua definitione patet, hoc impedimentum inſtitutum eſſe ab Eccleſia ad tuendam publicæ honeſtatis juſtitiam, quæ procul dubio violaretur, ſi filius mulierem per verba de futuro patri ſuo deſponſatam duceret uxorem; aut ſi ſponſus de facto contraheret cum ſorore ſponſæ ſuæ. Impedimentum illud apud Romanos obſervatum fuiſſe, conſtat ex lib. 23. *Digeſtorum*, Tit. 2. *De ritu Nuptiarum*, L. 12. §. 1. & 2. Juſtitia publicæ honeſtatis olim matrimonium impediebat uſque ad illos gradus, ad quos affinitas ipſa porrigitur, etiamſi Sponſalia nulla fuiſſent, modo conſenſus præſtitus fuiſſet; ut conſtat ex cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Sponſalibus, & matrimoniis*, quod eſt *Alexandri III* reſponſum, & cap. *Ex Sponſalibus*, ſub eodem Titulo, in ſexto, quod eſt *Bonifacii VIII.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex Sponſalibus invalidis hodie non oritur; neque ultra primum gradum hodie porrigitur.

De impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Ita decrevit ſacra Synodus Tridentina, ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 3. „ „ Juſtitiæ (*inquit*) publicæ honeſtatis impedimentum, ubi Sponſalia quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari „ „. Ad hoc autem ut Sponſalia valida ſint, & conſequenter impedimentum iſtud in primo gradu inducant, requiritur primo, ut a majoribus ſeptennio contracta ſint, vel ſi ante, poſt ſeptennium tamen conſentiant, & perſeverent in voluntate contrahendi. Secundo, ut non ſint conditionata, nam ante conditionis eventum nulla ſunt. Tertio, ut ſint certa, quia in incertam perſonam non fertur conſenſus. Quarto, ut conſenſus non defuerit. Unde conſanguineus furioſi mulierem, quam in amentia deſponſavit, ducere poteſt uxorem. Ita conſtat ex cap. *Ex Sponſalibus*, Tit. *De Sponſalibus, & matrimoniis*, in ſexto.

REGULA II.

Publicæ honeſtatis impedimentum morte non tollitur.

Quam ob rem ſi Maria deſponſata fuerit Joanni per verba de futuro, & ille obierit, antequam matrimonium contraherent, Petrus frater Joannis ducere non poteſt Mariam, prohibente publicæ honeſtatis juſtitia; & ſi duxerit, irritum eſt matrimonium. Id conſtat ex can. *Si quis deſponſaverit*, cauſa 27. qu. 2.

REGULA III.

Ex Sponſalibus ab initio validis, ſed poſtea mutuo conſenſu diſſolutis, oritur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Hoc enim impedimentum ſemel contractum non pendet a contrahentium voluntate, ſed ab Eccleſiæ, quæ illud inſtituit, & perpetuum eſſe voluit, de-

decreto. Atque ita cenſuit non ſemel S. Congr. Conc. Trid. interpres, quæ rurſus propoſito dubio, an Sponſalibus valide ab initio contractis, deinde mutuo conſenſu diſſolutis, ſit ſublatum impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, poſt maturum quæſtionis examen, reſpondit, non eſſe ſublatum. Quam declarationem approbavit *Alexander VII.* Pontifex maximus, eamque deinceps in dubium revocari prohibuit.

REGULA IV.

Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oritur ex matrimonio rato, non conſummato; & in ea hypotheſi ad quartum gradum extenditur.

Id conſtat ex Conſtitutione *S. Pii V.* quæ incipit, *Ad Romanum*, cujus hæc ſunt verba: „„ Ad aures noſtras pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an Decretum oecumenici Concilii Trid. *ſeſſ.* 24. De Reformatione matrimonii, *cap.* 3. quo cavetur, impedimentum publicæ honeſtatis, ubi Sponſalia valida non fuerint, prorſus tolli; ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus non poſſit hujuſmodi prohibitio ſervari; de Sponſalibus per verba (ut ajunt) de futuro tantum conceptis intelligatur; vel etiam matrimonia per verba de præſenti contracta, non tamen conſummata, quæ interdum Sponſalia appellantur, comprehendat; ita ut etiam eo caſu impedimentum inde proveniens ſublatum fuerit. Nos itaque ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes quod Sponſaliorum appellatione, qua dictum Concilium utitur, nonniſi improprie matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione juris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum duntaxat procedendum eſt; præſertim cum longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præſenti contracto, quam in Sponſalibus de futuro vigere a nemine dubitetur.

Id-

Idcirco motu proprio, Auctoritate apoſtolica, tenore præſentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in Sponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio ſic, ut præfertur, contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Concilii Decretum introductum erat „ „. Porro ante Concilii Trid. Decretum impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex matrimonio rato proveniens extendebatur ad quartum uſque gradum; igitur & nunc ad quartum gradum pertingit, cum Tridentina Synodus juris veteris diſpoſitionem quoad hoc caput non reformaverit.

REGULA V.

Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis non oritur ex matrimonio irrito defectu conſenſus, aut ex clandeſtina conventione.

Ex matrimonio irrito defectu conſenſus nullum hujuſmodi oriri impedimentum colligitur ex cap. *Acceſſit*, Tit. *De Deſponſatione impuberum*, in ſexto. Idemque docet *Hoſtienſis*, in Summa, Tit. *De Sponſalibus*, §. *Quis ſit effectus*. Ex matrimonio vero clandeſtino etiam non oriri, inde patet, quod Sponſaliorum etiam vim non habeat, ut ſuperius probavimus; & quod Concilium Trid. eos, qui clandeſtinum matrimonium inire voluerint, *omnino inhabiles* reddat *ad ſic contrahendum*; adeoque ex eorum contractu nedum civilis, ſed nec naturalis obligatio oriatur; ac proinde conſenſus ita contrahentium irritus ſit.

REGULA VI.

Ex matrimonio irrito ratione conſanguinitatis, affinitatis, impotentiæ, voti, &c. ſed tamen ſecundum formam Concilii Trid. contracto, oritur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Id

Id colligitur ex cap. *Juvenis*, Ext. *De Sponſalibus, & matrimoniis*, quod eſt *Eugenii* Papæ reſponſum. „ „ Juvenis, *inquit*, qui puellam nondum ſeptennem duxit, quamvis ætas repugnet, ex humana tamen fragilitate forſan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus; tum propter honeſtatem Eccleſiæ, quia ipſa conjux ipſius fuiſſe dicitur; tum propter prædictam dubitationem; mandamus, quatenus conſobrinam ipſius puellæ, quam poſtmodum duxit, dividas ab eodem „ „. Matrimonium primum nullum fuerat, utpote cum impubere contractum, & tamen impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis induxit.

Idem colligit *Fagnanus* ex cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Sponſalibus, & matrimoniis*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Ad audientiam noſtri Apoſtolatus pervenit, quod cum H. Papienſis civis filiam ſuam cuidam filiorum L. dare vellet uxorem; juravit, quod ſi ille eam habere caſu aliquo interveniente non poſſet, alteri filio, quem de alia uxore genuerat, eamdem matrimonio copularet. Contractis autem a filio priore Sponſalibus, quidam, conſanguinitatem inter eos eſſe, juramentis interpoſitis, firmaverunt. Ideoque Præfatus H. eamdem dare alteri filio nititur, ut juravit. Sed quoniam ſcriptum eſt, quod ſponſam fratris frater habere non poteſt; mandamus, quatenus eum ſuum implere propoſitum non permittas „ „. Probabile eſt (inquit *Fagnanus*) inter filiam H. & filium L. contractum fuiſſe matrimonium, dum dicitur, poſt Sponſalia, ſeu promiſſiones parentum filios poſtea Sponſalia contraxiſſe. Hæc namque ſecunda Sponſalia debent intelligi de Sponſalibus de præſenti, non autem de Sponſalibus de futuro, quæ antea per parentes contracta erant; ſufficiebatque filiis ea rata habere abſque eo, quod eadem de novo contraherent, actum ſuperfluum faciendo; & tamen dicitur ex illis, licet propter propinquitatem nulla eſſent, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis proveniſſe. Præterea

terea Pontifex, ad probandum ex his Sponſalibus, quæ nulla erant, oriri impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, Scripturæ locum profert, quo dicitur, fratrem non poſſe habere ſponſam fratris ſui; hic autem locus ſpectat matrimonium de præſenti, cum uxor nominetur Matth. 14. *Herodes tenuit Joannem, & poſuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.* Igitur de matrimonio Pontifex loquitur, non de meris Sponſalibus. Tertio, jus vetus immutatum non eſt quoad impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex matrimonio rato proveniens, ut declaravit *ſanctus Pius V.* At illud impedimentum ex matrimonio etiam irrito oriebatur olim, potiori jure quam ex Sponſalibus puris, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, & frigiditatis, religionis, aut quavis alia ratione nulla eſſent, dummodo non eſſent nulla defectu conſenſus, ut conſtat ex cap. unico *De Sponſalibus, & matrimonio*, in ſexto. Igitur & hodie ſimile impedimentum oritur ex matrimonio ſecundum formam Concilii Trid. contracto, quamvis irrito. Ut enim Gloſſa capitis *Ad audientiam*, ait: *Matrimonium plerumque attenditur conſiderato facto, non in re.* De Bigamis, cap. Nuper. & C. De Adulterio, L. Eum qui. *Plus enim in talibus conſideratur quandoque opinio quam veritas.* Sic Presbyter, qui ſecundam uxorem poſt Ordinationem duxit, quamvis matrimonium illud ſit irritum, Bigamus cenſetur, & cum ipſo tanquam cum Bigamo non licet diſpenſari, licet revera Bigamus non exiſtat. „ „ Non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto. Quia in matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur; unde illum comitatur infamia, qui duas ſimul habet uxores; quod partim ad factum convenit retorqueri, ſicut in Canone habetur de Presbytero, qui non legalibus Nuptiis detinetur „ „. Verba ſunt *Innocentii III.* cap. *Nuper*, Ext. *De Bigamis non ordinandis.* Denique noſtra ætate Regina Luſitaniæ ſoluto matrimonio cum

Al-

Alphonſo Rege contracto ob ejuſdem Regis impotentiam, diſpenſationem a Sede apoſtolica obtinuit ſuper impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis, ut *Petro* Principi tunc regni regenti, Regiſque fratri nuberet.

ARTICULUS XI.

De Impedimento Impotentiæ.

Quotuplex impotentiæ genus.

Impotentia, quæ ſexuum copulam impedit, per quam duæ perſonæ fiunt una caro, unum eſt ex præcipuis matrimonii impedimentis. Nam ſicut in aliis contractibus non eſt conveniens obligatio, ſi quis ſe obliget ad id, quod dare, vel facere non poteſt; ita in contractu matrimonii, quo unus obligatur alteri ad debitum carnale ſolvendum, non eſt conveniens contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale ſolvere non poſſit.

Impotentia quædam eſt naturalis, & ex cauſa intrinſeca; alia accidentalis, & ex cauſa extrinſeca. Naturalis contingit vel ratione ætatis, ut eſt in impubere, in quo adveniente pubertate deſinit, cum naturæ qualitates, quæ immaturæ, & nimia humiditate oppreſſæ erant, incalelcere, & vigere incipiunt; vel ratione debilis, frigidioriſque naturæ, qua fit, ut etiam adultus ad carnaleſh copulam ineptus ſit. Unde vitium illud corporis vulgo frigiditas nuncupatur, tametſi ex nimio etiam calore proficiſci valeat. In muliere vero naturalis impotentia contingit ex vulvæ arctioris diſpoſitione, vaſiſque anguſtia, quæ ſemen viri ſuſcipere non poteſt. Accidentalis impotentia contingit vel ex abſciſſione, aut attritione partium, quibus viri patres fiunt, vel ex maleficio, cum ſcilicet dæmon uni conjugum alterius horrorem incutit, aut medium corpus interponit, ut copulam impediat; aut membra ſubito immutat, & ad officium conjugale inepta reddit.

Duplex rurſus eſt impotentia; quædam perpetua, quæ tolli non poteſt citra miraculum, aut citra mortis periculum, aut citra peccatum; altera temporalis,

lis; quæ arte humana, aut remediis Eccleſiæ auferri poteſt.

Denique alia eſt impotentia abſoluta, id eſt, reſpectu omnium feminarum; alia reſpectiva, cum alius quis reſpectu quarumdam eſt impotens, ſed potens reſpectu aliarum.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Impotentia perpetua ipſo naturæ jure impedimentum eſt matrimonium dirimens.

De impedimento impotentiæ.

Cum enim procreandæ prolis cauſa comparatæ ſint nuptiæ, ſi ea ſit ab initio viri, aut mulieris imbecillitas, ut matrimonium conſummare non poſſint, irritum eſt matrimonium. ut *Alexander III.* reſpondet Ambianenſi Epiſcopo, cap. *Quod Sedem*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, cujus hæc ſunt verba: „ Sicut puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus conjugio; ſic qui impotentes ſunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur „.

Idem confirmat cap. *Ex literis*, ſub eodem Tit. „ Ex literis (*inquit*) tuis accepimus, quod quidam ſexdecim annorum quamdam annorum tredecim accepit uxorem; qui cum debitum reddere non poſſet, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro facta ſit inutilis, & inſtrumentum ejus impeditum, ita quod vir ei commiſceri non poteſt: reſpondemus igitur, quod ſi vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem „.

Irrita Eunuchorum matrimonia.

Hinc *Sixtus V.* Eunuchorum matrimonia irrita, & eos ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles, declaravit, edita Conſtitutione. Singularem *Michaelis a Medina*, & *Ildefonſi de Veracruz* opinionem, aſſerentium hujuſmodi homines matri-

mo-

monium valide contrahere poſſe, luculenter refellit *Navarrus* Conſilio 2 *De frigidis, & maleficiatis.* Et tamen in ſpecie, de qua fuerat ſententiam rogatus, reſpondet matrimonium cujuſdam ſpadonis Hiſpani cum muliere, quam conſtupraverat, ex quo matrimonio plures nati erat filii, quos uterque conjux agnoverat, & educaverat tanquam ſuos; eſſe validum. Sed utut ſe res habuerit in illa ſpecie, quæ conſilio *Navarri* argumentum præbuit, juri communi, & Conſtitutioni *Sixti V.* omnino ſtandum eſt.

REGULA II.

Qui perpetua laborat impotentia, manet abſque ſpe conjugii; alius nubere poteſt, cui vult, in Domino.

Id conſtat ex cap. *Accepiſti*, Extra, *De frigidis, & maleficiatis*, & ex *S. Thoma* in 4. Sent. diſt. 34. q. 1. art. 2.

REGULA III.

Impotentia perpetua matrimonium dirimit, ſive alteri cognita ſit, ſive incognita.

Quamvis enim utrique conjugi nota ſit alterutrius impotentia, ſemper contraria eſt ſubſtantiæ matrimonii; ſiquidem tradere non poteſt alteri corpus ſuum ad actum conjugalem, qui perpetua laborat impotentia; ſicut non poteſt emere, qui ſolvendo non eſt, nec unquam eſſe poteſt. Qui autem impotens eſt temporaria duntaxat impotentia, quæ ſcilicet ſanari poteſt, aut ſpes eſt, fore ut ſanetur aliquando, matrimonium ratum contrahit, ſi pars altera noverit impotentiam; ita ut dirimi non poſſit, quamvis eam temporis progreſſu, viqúe remediorum amoveri non contingat. Non alius eſt ſenſus verborum *S. Thomæ*, loco mox indicato in reſponſione ad quartum: „„ In quolibet (*inquit*) contractu hoc univerſaliter tenetur; quod ille, qui eſt impotens ad ſolvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo ſe obligat ad ejus ſolu-

ſolutionem: tamen impotens poteſt eſſe dupliciter: uno modo, quia non poteſt ſolvere de jure; & ſic talis impotentia omnibus modis facit contractum eſſe nullum, ſive ſciat ille, cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, ſive non; alio modo, quia non ſit ſolvendo de facto: & tunc ſi ſciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus ſtat. Si autem neſcit, tunc contractus nullus eſt, & ideo frigiditas, quæ cauſat talem impotentiam, ut homo non poſſit de facto ſolvere debitum, & conditio ſervitutis, per quam homo non poteſt de facto libere reddere, impediunt matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc, quod alius non poteſt reddere debitum. Impedimentum autem, per quod aliquis non poteſt de jure reddere debitum, ut conſanguinitas, annullat contractum matrimonium, ſive ſciat alter, ſive non „ „. Sic intelligendum *S. Thomam*, docet *Dominicus Soto* in 4. Sent. diſt. 34. qu. 1. art. 2. Et certe quamvis copula carnalis ad matrimonii ſubſtantiam non pertineat; tamen poteſtas, & obligatio ad illam ita neceſſaria eſt, ut abſque illa matrimonium ſtare non poſſit. Quare ſi frigiditas viri, cujus mulier erat conſcia, ſit perpetua, nullum contrahitur matrimonium; ſed ſi velint, manere ſimul poſſunt, ut frater, & ſoror, ut reſpondet *Lucius III.* cap. *Conſultationi*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Conſultationi tuæ, qua nos conſuluiſti, utrum feminæ clauſæ, impotentes commiſceri maribus, matrimonium poſſint contrahere, & ſi contraxerint, an debeat reſcindi? taliter reſpondemus: Quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores „ „. Unde ſeſe impudice amplecti, oſculari, tangere illis non licet, ſed ea plane caſtitate verſari ſimul debent, qua fratres, &

ſoro-

ſorores. Obſervandum tamen hæc verba Canonis, *habeant ut ſorores*, conſilii eſſe, non præcepti, nec ratum ullatenus eſſe matrimonium, ut conſtat ex illis verbis: *Quas tanquam uxores habere non poſſunt.* Ideo ſi potenti periculum incontinentiæ timeatur, poteſt Eccleſia illi ſubvenire, dando licentiam cum alia contrahendi. Durum enim eſſet, potentem, quamvis ſciens cum impotente contraxerit, cogi, ut in peccato cum ea maneat. Quinimo ſi potens cum ſecunda contraxerit, ſecundum matrimonium ratum eſt, ut docent *Innocent. IV.* & alii canonici juris Interpretes in Commentariis capitis *Conſultationi.*

REGULA IV.

Senum, ac vetularum frigiditas, ſeu caloris defectus ex ætate ſenili proveniens, non eſt impedimentum matrimonii.

Ita docet *S. Thomas* loco ſuperius indicato, in reſponſione ad tertium. „„ Vetuli (*inquit*) quamvis quandoque non habeant caliditatem ſufficientem ad generandum, tamen habent cali- ditatem ſufficientem ad carnalem copulam; & ideo conceditur eis matrimonium, ſecundum quod eſt in remedium, quamvis non competat eis, ſecundum quod eſt in officium naturæ „„. Si tamen, dum contrahunt, ita ſint confecti ſenio, & exhauſti, ut nullatenus ſeminare valeant, matrimonium nullum eſt; (inquit *Dominicus Soto.*)

REGULA V.

Impotentia Matrimonium ſecuta ipſum non dirimit.

Nullum enim impedimentum matrimonio jam contracto ſuperveniens, illud dirimit. Præterea hæc Regula confirmatur ex can. *Hi, qui*, cauſa 32. qu. 7. qui eſt *Nicolai* Papæ ad *Carolum* Moguntinum Epiſcopum. „„ Hi, qui matrimonium ſani contraxerint (*inquit*) & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, ob hanc infirmita-

tem conjugia talia ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de his, qui ab adverſariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a Barbaris exſecti fuerint „ „. Nec obſtat, quod de periculo incontinentiæ objici poſſet. „ „ Quoniam in conjugio multi caſus occurrunt, in quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur „ „ (ut ait *Innocent. III.* cap. *Quoniam frequenter*, Ext. *Ut lite non conteſtata, &c.*) Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. Sumæ pag. 560.

REGULA VI.

Nullam impotentiam reſpectivam ex cauſa naturali procedentem, matrimonium dirimere cenſent S. Thomas, aliique Theologi nonnulli. Opinio tamen contraria in foro eccleſiaſtico prævaluit.

Utrum impotentia reſpectiva matrimonium dirimat.

Illam impotentiam perpetuam non eſſe, cenſet *S. Th.* in 4. Sent. diſt. 34. q. 1. art. 2. ad 5. „ „ Non poteſt (*inquit*) eſſe perpetuum impedimentum naturale in viro reſpectu alterius; ſed ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſet clauſtra pudoris frangere, & ei conjungi; nec eſſet hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentum „ „.

At in Tribunalibus eccleſiaſticis judicari quotidie videmus, nullum eſſe matrimonium propter diſproportionem membrorum, aut quia cum virgine conſummare matrimonium vir non poteſt, quod tamen conſummare poteſt cum corrupta, ſecundum medicorum judicium; & in hac ſpecie datur illi viro facultas contrahendi cum vidua.

REGULA VII.

Impotentia perpetua judicari non debet, quæ per opus humanum abſque gravi corporis periculo removeri poteſt.

Id conſtat ex cap. *Fraternitatis*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, quod eſt *Innocent. III.* reſponſum Antiſio-

tisiodorensi Episcopo datum. „ „ Nos tamen (*inquit*) peripicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri: sententiam divortii per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam: cum pateat ex post facto, quando ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur. Et ideo inter ipsam, & primum virum dicimus matrimonium extitisse; quare inter eam, & præfatum G. matrimonium non esse censemus, eosque præcipimus ab invicem separari. „ „

REGULA VIII.

Mulier, quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio modo violentia inferatur, non solummodo levis, sed ita gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, perpetua impotentia laborare censenda est.

Id constat ex eodem cap. *Fraternitatis* §. *Per hoc*, & ex Glossa. Si autem levi incisione, vel cauterio mulier apta viro fieri possit; impotentia temporaria judicanda est, illamque incisionem, aut aliud remedium, quod absque gravi periculo adhiberi potest, pati tenetur, vel adhibere vir, aut mulier, quæ vitio illo corporis impeditur; alioqui graviter peccat, cum exponat alterum peccandi periculo, si continere non possit. Nam cum Ecclesia in illa hypothesi matrimonium non dirimat, quia temporaria duntaxat impotentia est, & grave sit etiam alium conjugem cogere ad cœlibatum servandum ob impedimentum matrimonium præcedens, & quod sine gravi periculo potest removeri; tenetur ille, qui impeditus est, molestiam aliquam, & dolorem etiam gravem pati, maxime cum sua culpa in tales angustias se conjecerit; sibi quippe prospicere debuisset, antequam matrimonium contraheret. Et vero si gravis, diuturnique morbi periculum ex incisione imminеat, medicorum, aut peritorum chirurgorum judicio,

incisionem pati non tenentur vir, aut mulier. Neque nimium grave censeri debet, ut propter morbum unius conjugis alter sit usu matrimonii privatus; cum hoc sæpe contingere soleat, nec tamen matrimonium dirimatur.

REGULA IX.

Si perpetuitas naturalis impotentiæ signis evidentibus, aut legitimis documentis certo constet, statim vir, & mulier separandi sunt; at si certa probatio ex tempore non suppetat, triennii tempus ad experiendum statuit Ecclesia, quo elapso, si matrimonium consummari non potuerit, indicitur separatio, & ei, qui filios procreare potest, datur facultas matrimonium aliud contrahendi.

De probationibus impotentiæ perpetuæ.

Justinianus quidem L. *In causis*, C *De Repudiis*, biennium experiendæ viri impotentiæ præscripserat; sed ratus deinde prorogandum esse hoc tempus, ad triennium extendit Authentica de nuptiis §. *Per occasionem*, quod & jure canonico sancitum est, cap. *Laudabilem*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, quod est *Cœlestini III.* responsum. „„ Nos vero (*inquit*) in præsenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium; quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & juxta Decretum Gregorii mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium; si autem ille aliam acceperit, separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Si autem, quod nunquam invicem se cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; & tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare „„.

Se-

Septima manus eſt ſeptem propinquorum, aut vicinorum teſtimonium, jurantium, quod credant virum, & mulierem verum juraſſe; quod ſcilicet bona fide copulæ carnali operam dare fruſtra conati fuerint per triennium. Idem confirmat *Honorius III.* cap. *Literæ* ſub eod. tit. „„ Mandamus (*inquit*) quatenus, ſi ita eſt, & conſtiterit vobis præfatum virum, & mulierem, intra prædictos octo annos, per continuum triennium in ſimul habitaſſe, ipſis cum ſeptima propinquorum manu firmantibus juramento, ſe commiſceri carnaliter nequiviſſe, proferatis divortii ſententiam inter eos „„.

REGULA X.

Congreſſus, & inſpectio media ſunt ad probandam impotentiam minus convenientia, & plerumque incerta.

Cum enim congreſſus partim pudore, partim formidine, ſæpius odio prohibente, in his angustiis, ubi vir impotentiæ accuſatur, a fine propoſito, ut plurimum, deficiat, nec actus hujuſmodi omnino pendeat ex libertate, nonniſi fallax, & incerta probatio ex eo peti poteſt. Præterea, cum certum ſit perpetuam duntaxat, non temporariam impotentiam matrimonia dirimere; nemo non fatebitur, ex uno, alterove congreſſu certam impotentiæ matrimonium dirimentis experientiam, ac probationem haberi non poſſe. Quamobrem, nec jure canonico, nec civili tam pudendum medium probatum eſt; idque prohibitum etiam eſt ſupremæ curiæ Pariſienſis Senatusconſulto die 18. Februarii anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Non minus incertum, fallax, & grave pudori, inſpectionis experimentum. Nam in exploranda puellarum virginitate, *& manus obſtetricum, & oculus ſæpe falluntur*; (inquit, *S. Cyprianus* Ep. 62.) *Hujuſmodi ludibria & viſu, & auditu, horrori, & pudori ſunt.* Obſtetricum teſtimonium „„ plerumque quæritur

pretio. Ipſi Archiatri dicunt, non ſatis liquido comprehendi inſpectionis fidem & ipſis medicinæ vetuſtis Doctoribus id ſententiæ fuiſſe... Sæpe inter obſtetrices orta varietas, & quæſtio excitata... Erit inter plures, vel malevola, vel imperita, quam pudoris clauſtra prætereant, & per imperitiam integro notam affigat pudori „„. Verba ſunt *S. Ambroſ.* Ep. 5. novæ Editionis ad *Syagrium* data. „ Obſtetrix virginis „ cujuſdam integritatem manu velut explorans, ſive „ malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, „ perdidit „ ; ut refert *S. Auguſt.* lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 18.) Experimentum tamen inſpectionis, cum jus canonicum probat cap. *Fraternitatis*, & cap. *Litera*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, & cap. *Propoſuiſti*, Ext. *De Probationibus*; illudque interdum Judices eccleſiaſtici decernant; id eorum prudentiæ relinquendum eſt.

REGULA XI.

Cum matrimonium ob impotentiam accuſatur, ſi vir a ſe cognitam uxorem ſuam contendat, mulier neget, viro affirmanti, ac juranti credendum eſt, & ſecundum eum pronuntiandum.

De probationibus impotentiæ.

Vir enim caput eſt mulieris; & hæc Regula canonibus firmatur, ſcilicet can. *Si quis accepit*, cauſa 23. q. 1. ex Concilio Compendienſi: „„ Si quis (*inquit*) accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipſa femina dicit, quod nunquam coiſſet cum ea, & ille vir dicit, quod ſic fecit; in veritate viri conſiſtat; quia vir caput eſt mulieris „„.

Et cap. *Continebatur*, Ext. *De Deſponſatione impuberum*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt: „„ Conſultationi tuæ (*inquit*) taliter reſpondemus, quod cum in Decretis habeatur expreſſum, quod ſi vir dixerit, quod uxorem ſuam cognoverit, & mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati; præfato viro, qui dicit ſe mulierem ipſam cognoviſſe, fides eſt adhibenda, ſi id firmaverit juramento „„. Idem con-

confirmatur ex cap. *Accepiſti*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*.

REGULA XII.

Si mulier virum arguat mendacii, ac perjurii, ſequa virginem per experimentum juraturarum matronarum probare velit, inſpectio decerni poteſt.

Id colligitur ex can. *Nec aliqua*, & can. *Quod ſi pœnitentiam*, cauſa 27. qu. 1. ubi *S. Cyprianus* ait: *Inſpiciantur iterum Virgines ab obſtetricibus diligenter*, &c. quæ ſcilicet a viris, quibuſcum dormierant, ſe cognitas, & corruptas fuiſſe negabant, ſuæque virginitatis integritatem inſpectione matronarum probari poſtulabant.

Idem confirmatur cap. *Propoſuiſti*, Ext. *De Probationibus*, quod eſt *Gregorii VIII.* reſponſum. „„ Cum partes (*inquit*) eſſent in tua præſentia conſtitutæ, mulier propoſuit, ſe nec a viro cognitam, nec potuiſſe cognoſci; quod tam proprio juramento, quam teſtimonio ſeptem mulierum probavit, quæ per aſpectum corporis eam eſſe virginem aſſeverant, viro per juramentum ſuum contrarium aſſerente... Videtur igitur nobis, quod juramento puellæ, & teſtimonio illarum ſeptem mulierum fides eſt potius adhibenda „„.

Idem confirmat *S. Raymundus* lib. 4. Summæ, tit. *De Impotentia coeundi* §. 6. pag. 563. „„ Standum eſt (*inquit*) juramento viri, niſi mulier velit replicare contra eum, quia dicit eum mentitum, & oſtendit ſe virginem per aſpectum corporis; tunc enim ſtandum eſt probationi mulieris; & ex quo ita probavit, ſeparari poſſunt. Cautela tamen magna eſt adhibenda in hujuſmodi inſpectione, ut fiat per duas, vel plures matronas honeſtas, & peritas in opere maritali; & hoc, quia res illa occulta eſt, & non pervia viſui; propter quod dicit Canon: Quod manus obſtetricum, & oculus ſæpe fallitur „„.

REGULA XIII.

Si vir litem de matrimonio moveat, & coram judice affirmet, se non posse cognoscere uxorem, mulier vero se cognitam fuisse contestetur, si aliæ probationes pro viro non suppetunt, mulieri asserenti fides potius adhibenda est, & in ejus favorem, sive potius in favorem matrimonii ferenda sententia.

Non enim præsumitur, feminam cum viro impotente habitare voluisse. Aliam rationem addit *S. Raymundus*, quia scilicet vir in illa hypothesi *Actor est, & sic non probat, quod asseruerat; mulier, cum sit rea, etsi nihil præstiterit, absolvi debet ab impetitione viri.* Id confirmat ex can. *Accusator*, causa 6. qu. 5. cujus hæc sunt verba; ex C. *Justiniani*, tit. *De Probationibus*, L. *Accusator*, desumpta; „„ Accusator, quod asseverat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit; cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit „„. Idem ex cap. *Cum Ecclesia*, Ext. *De causa possessionis, & proprietatis*, ubi *Innoc. III.* ait: *Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit.* Idem confirmat *Greg. IX.* cap. *Juramentum*, Ext. *De Jurejurando.* Denique si in illa hypothesi crederetur verbo viri: *Multi non formidarent incurrere perjurium, ut possent dividi ab uxoribus* (inquit *S. Raym.*)

REGULA XIV.

Impotentia ex maleficio proveniens non prius matrimonium dirimit, quam post triennii cohabitationem juraverint conjuges cum septima propinquorum manu matrimonium consummari non potuisse.

De impotentia proveniente ex maleficio.

Ista Regula nititur cap. *Litera*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis*, quod est *Honorii III.* responsum. Idem docet *S. Thomas*, in 4. Sent. dist. 24. qu. 1. art. 3.

art. 3. „ „ Impotentia (*inquit*) coeundi ex maleficio, aut eſt perpetua, & tunc matrimonium dirimit; aut non eſt perpetua, & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Eccleſia tempus præfixit, triennium ſcilicet, ſicut de frigiditate dictum eſt „ „.

REGULA XV.

Maleficium, quod humano opere, & Eccleſiæ precibus, ac Exorciſmis removeri non poteſt, perpetuum cenſetur; quod ubi compertum fuerit, matrimonium ſolvitur.

Hanc Regulam tradit *Hincmarus* Archiepiſcopus Remenſis, cujus verba referuntur, can. *Si per Sortiarias*, cauſa 33. qu. 1. „ „ Si per Sortiarias, *inquit*, vel maleficas occulto, ſed nunquam injuſto, Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta eveniunt, ut puram Confeſſionem Deo, & Sacerdoti, corde contrito, & ſpiritu humiliato de omnibus peccatis ſuis faciant, & profuſis lacrymis, & largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis Domino ſatisfaciant, & per Exorciſmos, ac cætera eccleſiaſticæ medicinæ munia, miniſtri Eccleſiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus ſanavit, ſanare procurent. Quod ſi forte ſanari non potuerint, ſeparari valebunt „ „.

Idem docet S. *Thomas*, loco mox indicato, in reſponſione ad tertium, „ „ Maleficium, *inquit*, eſt ita perpetuum, quod non poteſt habere remedium ex humano opere; quamvis Deus poſſet remedium præſtare dæmonem cogendo; vel etiam dæmon deſiſtendo; non enim oportet ſemper, ut id quod per maleficium factum eſt, poſſit per maleficium aliud deſtrui, ut ipſi malefici confitentur; & tamen ſi poſſet per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullo modo debet aliquis

quis dæmonis auxilium per maleficia invocare. Similiter non oportet, ſi propter peccatum aliquod data eſt diabolo poteſtas in aliquem, quod ceſſante peccato ceſſet poteſtas; quia pœna interdum remanet culpa tranſeunte. Similiter etiam Exorciſmi Eccleſiæ non valent ad reprimendum dæmones ſemper quantum ad omnes moleſtias corporales, judicio divino hoc exigente. Semper tamen valent contra illas infeſtationes dæmonum, contra quas principaliter inſtituti ſunt „„. Nimirum contra illas, quæ ad ſpirituale nocumentum, vel ad ſalutis damnum tendunt.

Idem docet *S. Raymundus* lib. 4. tit. *De Impotentia coeundi*, §. 4.

REGULA XVI.

Cum matrimonium eccleſiaſtico judicio ob maleficium perpetuum dirimitur, utrique parti licet novum inire conjugium.

Ita docet *S. Thomas*, in 4. Sent. diſt. qu. & art. ſupra laudatis. „„ Hæc eſt, *inquit*, differentia inter maleficium, & frigiditatem; quia, qui eſt impotens ex frigiditate, ſicut eſt impotens ad unam, ita ad aliam; & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia, ut alteri conjungatur, ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam; & ideo quando judicio Eccleſiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, quod alteram copulam quærat „„. Idem docent *S. Raymundus loco mox indicato*, §. 5. & *S. Anton.* 3. P. Tit. 1. cap. 12.

REGULA XVII.

Soluto Judicis eccleſiaſtici ſententia matrimonio ob frigiditatem, ſi conjugium alterum contraxerit, qui copulæ aptus erat, & interim alter, qui judicatus eſt impotens, ex poſt facto potens deprehendatur, prius matrimonium redintegrandum eſt, poſterius diſſolvendum.

Ceſ-

Cessante namque impotentia, quæ temporaria erat, prius conjugium ratum fuisse probatur, posterius vero irritum, & nullum, propter impedimentum ligaminis. Ad priorem itaque virum, a quo ob præsumptam impotentiam separata fuerat, & alteri nupserat, mulier redire debet, ut declarant *Cœlestinus III.* cap. *Laudabilem*, & *Innocentius III.* cap. *Fraternitatis*, Ext. *De frigidis, & maleficiatis.* De frigidis.

Idem docet *S. Thomas*, in 4. Sent. dist. 34. qu. 1. art. 2. „„ Ad cognoscendum (*inquit*) utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei posset esse experimentum, scilicet triennium; ita quod si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur; & tamen in hoc Ecclesia quandoque errat; quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ; unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc, quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum „„.

REGULA XVIII.

Soluto matrimonio ob impotentiam ex maleficio provenientem, si maleficium universale fuerit, & absolutam impotentiam Judex ecclesiasticus pronuntiaverit; postea vero probet eventus maleficium perpetuum non fuisse, prius matrimonium redintegrandum est. Si autem particulare maleficium fuerit, & impotentia respectiva duntaxat, conjugium posterius initum subsistit, nec ad primum datur regressus.

Hæc Regula colligitur ex *S. Thom.* in 4. Sent. dist. & qu. supra citatis, art. 3. ad 4. „„ Maleficium (*inquit*) quandoque potest præstare impedimen- De maleficiatis.

mentum ad omnes, quandoque ad unam tantum; quia diabolus cauſa voluntaria eſt; non ex neceſſitate naturæ agens. Et præterea impedimentum maleficii poteſt eſſe ex impreſſione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiſcentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam „ „.

Idem docet *S. Anton.* 3. P. tit. 1. cap. 12. „ „ Si poſt triennium, *inquit*, celebrato divortio, redeat potentia ſe cognoſcendi, licet de hoc ſint variæ opiniones, tenendum tamen quod ſentire videtur S. Thomas, in 4. diſt. 34. qu. 1. art. 3. ſcilicet, quod ſi maleficium fuit univerſale reſpectu cujuslibet perſonæ, tunc ſi alteri nupſerit, oſtenditur impedimentum non fuiſſe perpetuum; unde debet redire ad primum. Si autem maleficium fuit particulare, ſcilicet reſpectu ſpecialis perſonæ, tunc cum utrique detur licentia contrahendi cum aliis, non poteſt ad priſtinum matrimonium redire; cum primum matrimonium nullum fuerit, & ſecundum verum „ „. Quod confirmat Canon. *Si per Sortiarias*, his verbis: „ „ Sed, poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt „ „.

REGULA XIX.

Matrimonia impuberum, pueri ſcilicet ante decimumquartum, puellæ ante duodecimum annum completum, irrita ſunt, niſi in illis malitia forte ſuppleat ætatem.

De matrimoniis impuberum.

Hæc Regula nititur cap. *De illis*, Ext. *De deſponſatione impuberum*, quod *Alex. III.* & cap. *Tua*, quod *Innocent. III.* reſponſum eſt, ſub eodem Titulo. Ratum eſt tamen matrimonium poſt annos pubertatis contractum, tametſi ob ætatis imbecillitatem conjuges operi conjugali adhuc inepti ſint. Quod ſi contracto matrimonio in ea ætatis, quamvis legitimæ, imbecillitate, dubitatur, an inde, an aliun-

aliunde proveniat impotentia, illud experientiæ deſtinatum triennium non erit computandum niſi a tempore, quo perfectam ad pubertatem pervenerint; quod contingit in femina anno decimo quarto completo, & in viro anno decimo octavo ſecundum leges.

ARTICULUS XII.

De Raptu.

De raptus crimine, illiuſque gravitate, ac pœnis alias agemus, ubi de luxuriæ ſpeciebus tractabimus; nunc de eodem paucis agendum, quatenus matrimonii impedimentum dirimens eſt. De impedimento raptus.

Raptus hac ratione ſpectatus, eſt *Abductio puellæ invitæ, aut ſeductæ, matrimonii contrahendi cauſa.* Quid, & Quotuplex.

Duas ſpecies Raptus agnoſcunt jus canonicum, & civile: Raptum ſcilicet in feminam, quæ invita, vel ſeducta abducitur; & raptum in parentes puellæ, quibus invitis abducitur, quamvis puella ipſa conſentiat. Can. *De Raptoribus*, cauſa 36. qu. 1. eſt Aurelianenſis Concilii 1. can. 2. „ „ De Raptoribus autem, *inquit*, id conſtituendum eſſe cenſuimus, ut ſi ad Eccleſiam Raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate Raptoris, & Raptor mortis, vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ad ſerviendum ſubjectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si vero, quæ rapitur, patrem habere conſtiterit, & puella Raptori conſenſerit, poteſtati patris exculata reddatur, & Raptor pari ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius „ „. Ubi *Gratianus* notat aliquando vim inferri parentibus, & non puellæ, aliquando utrilque. Idem docet *S. Thomas* 2. 2. qu. 154. art. 6. „ „ Violentia (*inquit*) quandoque infertur tam ipſi virgini, quam patri; quandoque autem infertur patri, ſed non virgini; puta, cum ipſa conſentit, ut per violentiam de domo patris abſtrahatur... Qualitercunque violentia adſit, ſalvatur ratio Raptus „ „.

R E-

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Raptus eſt impedimentum dirimens matrimonium contractum, dum puella in poteſtate raptoris eſt.

De impedimento raptus.

Ita pridem ſtatuerunt Concilium romanum ſub *Gregorio II.* & Concilium Meldenſe anno octingenteſimo quadrageſimo quinto celebratum, can. 66. „ Quicunque, *inquit*, deinceps rapere Virgines, vel viduas præſumpſerint, ſecundum ſynodalem beati Gregorii definitionem, ipſi, & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe conjugii perpetuo maneant „.

Synodus Regiaticina ſive Ticinenſis, anno 850. can. 10. decernit, ut *Puellæ ipſis, a quibus raptæ ſunt, legitimæ demum uxores nullatenus eſſe poſſint.*

Raptus ſeductionis.

Et lib. 7. Capitularium, cap. 395. „ Sancitum eſt, „ ut hi, qui rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores „. Reus raptus cenſetur, cum femina, aut violenter, aut precibus importunis, lenociniis, promiſſionibus, doloſis perſuaſionibus, fraudibus, & malis artibus ſeducta, abducitur ex ædibus parentum, aut tutorum, vel ex monaſterio, in quo educatur.

Denique ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 6. decernit: „ „ Inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare „.

RE-

REGULA II.

Inter mulierem raptam, & raptorem, ſi ſint aliæ perſonæ ad contrahendum legitimæ, & puella in loco tuto, & libero conſtituta ſit, & parentibus reſtituta, ſi nondum ſit ſui juris, matrimonium contrahi poteſt, ſi ipſa conſenſerit, Conciliique Tridentini forma ſervetur.

„ „ Quod ſi rapta (*inquit*) a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat „ „. Quod ſacræ Synodi Decretum conſonum eſt *Innocentii III.* reſponſo, cap. *Accedens*, Ext. *De Raptoribus*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Rapta puella legitime contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum; & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ „ „.

ARTICULUS XIII.

De diſpenſatione circa impedimenta matrimonii.

Dſpenſatio generatim accepta, eſt *Relaxatio juris, cum cognitione cauſæ facta ab eo, penes quem eſt legitima relaxandi facultas.* Unde circa impedimenta matrimonii jure duntaxat eccleſiaſtico conſtituta, ſummum Pontificem diſpenſare poſſe, certum eſt, eumque ſolum *regulariter* (ut loquuntur;) cum hujuſmodi impedimenta ſint, vel a Conciliis generalibus, vel a ſummis Pontificibus inſtituta, in quorum Decreta poteſtatem non habent Epiſcopi, cum eorum auctoritas, & juriſdictio Conciliorum generalium, & romani Pontificis auctoritate, & juriſdictione ſit inferior, illiſque ſubdita.

Certum inſuper eſt, circa matrimonii impedimenta naturæ jure introducta, neminem hominum, ne ſummum quidem Pontificem diſpenſare poſſe, v. gr. ut inter fratres, & ſorores matrimonium contrahatur. Hanc enim Eccleſiæ ſuæ poteſtatem Chriſtus Dominus non reliquit.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Diſpenſationes abſque legitima cauſa poſtulari, vel concedi non debent; alioqui graviter peccant, & qui poſtulat, & qui concedit.

De diſpenſationibus. Ut enim ait *S. Bernardus* lib. 3. *De Conſideratione ad Eugenium*, cap. 10. „ „ Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt „ „.

Eamdem Regulam tradit ſacra Synodus Tridentina, ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 5. „ „ In contrahendis, *inquit*, matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur „ „.

Et Seſſ. 25. *De Reformatione*, cap. 18. „ „ Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus, pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad eos fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, a quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur „ „.

Stylo quidem romanæ Curiæ diſpenſationes *Sine cauſa* concedi a ſummo Pontifice dicuntur; ſed revera nullam concedit Chriſti Vicarius ſine cauſa legitima, quamvis interdum non exprimatur. Se enim diſpenſatorem ſuper univerſam Domini familiam jure di-

divino conſtitutum novit; omnino autem requiri, ut fidelis ſit diſpenſator: fidelem porro non cenſeri, qui bona domini ſine cauſa, id eſt, ſine neceſſitate, vel utilitate diſpenſaret, imo potius diſſiparet, ac prodigeret.

Cauſæ autem legitimæ diſpenſationum, quæ a ſummo Pontifice poſtulantur ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis, ſunt. 1. Incompetentia dotis. 2. Extinctio magnæ litis. 3. Anguſtia loci, ſive quia major pars incolarum conſanguinitate, vel affinitate juncta eſt ſupplicanti, & alios non inveniret facile paris ſecum conditionis, vel quia ſi vellet extra locum illum nubere puella, non haberet dotem ſufficientem. 4. Sedatio diſcordiarum, ſive præſentium, ſive quæ futuræ prævidentur inter conſanguineos, vel affines. 5. Quando vir dives vult ducere cognatam, vel affinem, conſtituendo illi dotem, vel augendo uſque ad quantitatem dotis competentis. 6. Conſervatio divitiarum in eadem cognatione ampliſſimarum. 7. Illuſtris familiæ conſervatio in eodem ſanguine. 8. Matrimonium bona fide, & ex juris ignorantia contractum 9. Copula cum conſanguinea, vel affine veſana libidine inita, & non ut facilius obtineretur diſpenſatio. 10. Matrimonii male contracti diuturnitas. 11. Scandalum grave, aut peccatum præcavendum. 12. Mortis, aut periculi ejus evitatio. 13. Indotatæ puellæ miſeria, quæ vel ex pudicitiæ periculo, vel ex rei familiaris inopia ſpectatur; vel quia vigeſimum quartum annum excedens, hactenus viros paris conditionis, quibus nubere poſſet, non invenit; vel propter infamiam ſine copula; vel quia mulier defectu viri litibus ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti excitatis caderet; vel quia oratrix filiis gravata, ope, ac ſolatio viri indiget. 14. Excellentia meritorum. 15. Copioſior pecuniarum compoſitio, quæ Romæ in pia opera impenditur ſummi Pontificis mandato, præſertimque ad dotem pauperibus puellis conſtituendam. Quo nomine petita diſpenſatio, ſtylo curiæ vulgo dicitur,

Quæ diſpenſationum cauſæ legitimæ.

Navarrus, Conc 13. De Conſang. & affinitate. Zerola in Praxi Epiſcop. verb. diſpenſatio. Pyrrhus Corradus Praxis diſpenſat. Apoſtol. lib. 7. c. 2 & 3.

tur, *Sine cauſa*; ſive etiam *Diſpenſatio ex certis, & rationabilibus cauſis.*

„„ In diſpenſationibus matrimonialibus dotis non competentis cauſa conceſſis, ſi modo eo loci, ubi mulier, de cujus matrimonio agitur, habitat, virum pari, æqualique conditione non inveniri vere conſtet, qui ſibi cognationis, affinitatiſve vinculo conjunctus non ſit; progrediatur Epiſcopus ad exequendam ejus generis diſpenſationem, etiamſi in locis finitimis aliqui eſſent, qui nullo gradu cognationis, affinitatiſve juncti, eam cum exigua dote in matrimonium ducerent. Satis enim eſt, in eo municipio, locove, ubi mulier eſt, diligentiam matrimonii contrahendi adhibitam eſſe „„. Hanc Regulam tradit Synodus provincialis Mediolanenſis quinta ſub *S. Carolo Borromæo.*

REGULA II.

Optat Eccleſia, ut nunquam diſpenſetur in ſecundo gradu, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

Verba ſunt Trid. Conc. ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 5. „ In ſecundo gradu nun„ quam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & „ ob publicam cauſam „. Verum cum eadem S. Synodus ſeſſ. 24. *De Reformatione*, cap. 21. „„ Omnia, & ſingula, ſub quibuſcunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque eccleſiaſtica diſciplina ſub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Pontificibus maximis in ea ſtatuta ſunt, *declaret*, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur „„; & ſummi Pontifices in ſecundo etiam gradu diſpenſent frequenter inter perſonas Principibus inferiores, imo inter plebejos, & privatas ob cauſas, diſpenſationes illas validas eſſe cenſendum eſt, modo ſuppreſſione veri, aut expoſitione falſi obreptum Chriſti Vicario non fuerit; & matrimonia cum illis diſpenſationibus contracta eſſe rata.

R E-

REGULA III.

In gradibus prohibitis affinitatis facilius diſpenſatur, quam in gradibus conſanguinitatis.

Rationem affert *S. Thomas*, in 4. Sent. diſt. 41. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. *Quia affinitas eſt minus vinculum, quam conſanguinitas.* Quamobrem & in primo gradu lineæ collateralis ſummus Pontifex diſpenſare poteſt, ut ſcilicet frater uxorem fratris ſui defuncti ducat, aut ſoror marito ſororis ſuæ defunctæ nubat; quamvis raro, & nonniſi inter magnos Principes, & propter publicas, & graviſſimas cauſas id fieri expediat. Sic cum *Henrico VIII.* Angliæ Rege *Julius II.* diſpenſavit, ut *Catharinam Arturi* fratris ſui viduam uxorem duceret. Sic noſtra ætate *Innoc. X.* diſpenſavit cum *Caſimiro* Poloniæ Rege, ut uxorem defuncti fratris acciperet in ſuam, cum in regnum Procerum ſuffragiis ſuffectus eſt.

REGULA IV.

Qui matrimonium intra gradus prohibitos ſciens contraxerit, vel ſolemnitates requiſitas neglexerit, diſpenſatione indignus eſt; & diſpenſatio abſque circumſtantiarum illarum expoſitione impetrata, nullius eſt roboris, atque irritum, & nullum matrimonium, quod ex vi illius contrahitur. Idem eſto judicium de iis, qui copulam carnalem conſummaverint ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ.

Quæ diſpenſationes nullius ſint roboris.

Hanc Regulam tradit S. Synodus Tridentina ſeſſ. 24. *De Reformatione matrimonii*, cap. 5. „ „ 'Si quis, *inquit*, intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit; eiſdem ſubjiciatur pœnis; non enim dignus

eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalutaria præcepta temere contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit „„. Idem eſto judicium de illis omnibus, qui quocumque alio impedimento dirimente devincti, matrimonium ſcientes contraxerint, vel conſummaverint bona fide contractum, cum impedimentum perſpectum, & exploratum haberent ante conſummationem. Qui enim ſcientes volentes matrimonium irritum ita contraxerint, aut conſummaverint ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ, nec illas circumſtantias contracti matrimonii, aut conſummatæ copulæ ob hunc diſpenſationis facilius obtinendæ finem ſummo Pontifici expoſuerint, eorum ſubreptitia diſpenſatio eſt, irritumque, ac nullum, quod ex vi illius contrahitur, matrimonium.

REGULA V.

Diſpenſatio ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, nulla facta mentione copulæ prius ab impetrantibus conſummatæ, quamvis non eo animo, ut diſpenſationem facilius obtinerent, nulla eſt, irritumque, quod ex vi illius contrahitur, matrimonium.

De diſpenſationibus irritis.

Ita reſpondit ſacra Congregatio Conc. Trid. interpres, ut refert *Zerola* in *Praxi Epiſcopali*, verbo, *Diſpenſatio*. Unde *Navarrus*, qui copulæ carnalis matrimonium præcedentis mentionem non eſſe neceſſario faciendam ab iis, qui diſpenſationem poſtulant, olim ſenſerat Conſilio 8. & 9. *De Conſanguinitate, & affinitate*, ſententiam mutavit in quarta Manualis ſui Editione, cap. 22. Num. 86. Et in fine Conſilii 9. hæc nota addita eſt in romana Editione anni 1592 „„ Adverte, quia refertur Congregationem cenſuiſſe conſanguineos, vel affines, qui tacita copula obtinuerunt diſpenſationem ſuper impedimento con-

conſanguinitatis, vel affinitatis; eſſe ſubreptitios, & matrimonium poſtea contractum eſſe nullum. Et ita obſervat Praxis „„.

REGULA VI.

Si conſanguinea, vel affinis in gradibus prohibitis; milla Romam ſupplicatione, & impetrato diſpenſandi mandato, copulam carnalem interim conſummaverint; antequam Officialis inquiſitione facta, & cauſa cognita mandatum Pontificium cum illis diſpenſandi executioni mandaverit, rata eſt nihilominus diſpenſatio, neque Romam iterum mittendum eſt, ſed petenda diſpenſatio, ſive Abſolutio ab Epiſcopo de illo inceſtu.

In diſpenſationis enim Pontificiæ impetratione nulla ſubreptio intervenit; ſiquidem nondum inceſtum commiſerant, ut illum in ſupplicatione exponere neceſſe eſſet. Deinde licet inceſtus impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum: at in noſtra hypotheſi impedimentum dirimens conſanguinitatis, vel affinitatis Pontificia diſpenſatione ſublatum eſt; ſolum itaque remanet impedimentum inceſtus, prohibens, non vero dirimens matrimonium. Ac proinde ſufficit, ut diſpenſationem, ſeu Abſolutionem petant ab Epiſcopo, ut eo impedimento ſoluti matrimonium ſecundum tenorem Pontificiæ diſpenſationis contrahere, & conſummare poſſint; vel, ſi jam contractum, & conſummatum eſt, debitum ſibi mutuo reddere valeant. Denique *Thomas* Corrector Pœnitentiariæ, & poſtea Epiſcopus Ilerdenſis, quoſdam, qui mandatum ad diſpenſandum impetraverant, interimque ante diſpenſationem commiſerant inceſtum, non fuiſſe obligatos ad illum confitendum Epiſcopo, vel ejus Vicario generali, aut Officiali in foro externo interroganti, quia occultus erat, & ſecretus, & ejus manifeſtatio non erat ad ſubſtantiam diſpenſationis neceſſaria, ſenſit, ac reſpondit, ut refert *Navarrus* Conſilio 19. *De Con-*

ſanguinitate, & affinitate. Qui tamen monet, ſacram Congregationem in eam ſententiam propendiſſe, quod in hac hypotheſi partes ad Sedem apoſtolicam pro certis literis obtinendis remittendæ ſint a judicibus, antequam in vim privatarum literarum diſpenſent. Eamdem Regulam confirmat *Zerola* in *Praxi Epiſcopali*, verbo, *Diſpenſatio*, hac ratione fretus, quod tempore datæ gratiæ in Curia, quamvis nondum confectis literis, valere incipiat diſpenſatio in foro interiori, & quod Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut Officialis ſint potius executores Pontificii mandati, quam diſpenſatores. Quamobrem & filios ex incesta copula genitos in illa ſpecie, legitimos eſſe cenſent Auctores laudati, modo tamen bona fide partes convenerint, non ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ.

REGULA VII.

Si qui cum impedimento dirimente matrimonium contraxerunt, & ſupplicatione Romam præmiſſa, interim carnaliter commiſcentur, etiam ſi nondum Romæ ſit admiſſa ſupplicatio, conceſſaque gratia, valida eſt diſpenſatio.

Non enim cenſeri poteſt ſubreptitia, quando preces veritate nituntur; atqui in illa hypotheſi preces veritate nituntur; ſiquidem tempore ſupplicationis nondum intervenerat copula carnalis inter ſupplicantes.

Verumtamen cum impetratis literis diſpenſationis *in forma pauperum*, quibus Commiſſario Executori mandatur, ut Oratores *in primis ab invicem ſeparet*, ſi durante indicta ſeparatione, in illius contemptum ſeſe denuo carnaliter cognoverint, nova diſpenſatione opus habent, novæque literæ illis a ſummo Pontifice obtinendæ ſunt, in forma *Perinde valere*, ut declaravit *Paulus V.* refert *Pyrrhus Corradus* lib. 8. cap. 5.

RE-

REGULA VIII.

Diſpenſatio ſubreptitia, ad quam ſcilicet obtinendam ſupplicantes falſum expoſuerunt, aut aliquid, quod in ſupplicatione exprimendum erat, etiam ex ignorantia tacuerunt, penitus invalida eſt; ac omnino irritum, quod ex vi illius contrahitur, matrimonium.

De diſpenſationibus ſubrepticiis.

Hæc Regula nititur cap. *Super literis*, Ext. *De Reſcriptis*, quod eſt *Innocentii III.* reſponſum: „„ Super literis (*inquit*) quæ ab aliquibus ex malitia, & a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate impetrantur a nobis, diverſos intelleximus diverſa ſentire, aliis aſſerentibus eos debere prorſus carere omni commodo literarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis; aliis vero dicentibus, quod etſi forma carere debeant in literis noſtris expreſſa, nihilominus juxta rigorem juris ſit a delegato Judice in negotio procedendum .. Si per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis literæ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expreſſa, nos nullas prorſus literas dediſſemus, a Delegato non eſt aliquatenus procedendum „„. Ubi Gloſſa hæc habet: „„ Ex hoc patet, quod ignorantia, vel ſimplicitas non prodeſt circa hujuſmodi literas impetrandas; imo ad hoc, ut reſcriptum teneat, nihil debet ſupprimi ex iis, quæ movere poſſunt animum Principis ad dandum reſcriptum, vel ad denegandum „„.

Idem confirmatur ex cap. *Si motu*, tit. *De Prebendis*, in ſexto. „„ Si (*inquit*) ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam hujuſmodi faciamus, quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea, ipſam veluti ſubreptitiam vires nolumus obtinere „„.

Hinc diſpenſationes inſpici, & examinari ſtatuit P. 1. cap. 33. Concilium Colonienſe anno 1586. „„ Quam impudenter (*inquit*) plerique Diplomatis, ac diſpenſationibus apud Sedem apoſtolicam extortis, præter

ſummi Pontificis mentem (qui vult, & debet poteſtate ſibi conceſſa non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem uti) abutantur, nullus eſt, qui ignoret. Non prohibeo (inquit quidam vir Pius) diſpenſare, ſed diſſipare. Diſpenſatio quidem credita eſt, ſed hiç jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maxima culpæ pars reſideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta cauſa, ſupplicatoris precibus inſerta, diſpenſationis tectorium tandem eliciunt; quos apud Deum, qui renes, & corda ſcrutatur, omnemque hypocriſim, ac fraudem execratur, ſecuros quis dixerit? Nemo ſibi de diſpenſatione apoſtolica blandiatur, cujus conſcientiam divina ſententia tenet alligatam. Sed quia pauci ſunt, in quorum conſpectu eſt Deus, plerique vero, qui ſacra Auctoritate pro ſua libidine paſſim abutuntur, fit, ut Lugdunenſis Conc. ſub Greg. X. celebrati non inſalubre Decretum adverſus inſolentiam hujuſcemodi hominum in uſum revocare cogamur; quo ſubnixi, cunctis, qui talibus Diplomatis ſibi blandiuntur, neceſſitatem imponimus, literas ſuas nobis exhibendi, viſuris num vere impetraverint, ac recte impetratis utantur „„.

Hinc Trid. Concilium ſeſſ. 22. *De Reformatione*, cap. 5. diſpenſationes extra Curiam Epiſcopo committi, & ab eo examinari jubet. „„ Diſpenſationes (*inquit*) quacunque auctoritate concedendæ, ſi extra romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint; eæ vero, quæ gratioſe concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab eiſdem, tanquam Delegatis apoſtolicis, ſummarie tantum, & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubjacere „„.

Cæterum inter Theologos convenit, quod ſi ad obtinendam diſpenſationem exponitur unica cauſa, eaque falſa, diſpenſatio irrita eſt. Idem judicium eſto, ſi plures exponantur, eæque falſæ. Si autem exprimantur plures, quarum nulla per ſe ſufficit;

ſed

ſed omnes ſimul junctæ vim ſufficientis rationis habent, ſi omnes veræ ſint, valet diſpenſatio; ſi una ſit falſa, diſpenſatiò nullius roboris eſt. At ſi plures exprimantur, quarum una ſola ſufficit, ea exiſtente vera, etiamſi aliæ falſæ ſint, legitima diſpenſatio eſt; illa autem exiſtente falſa, nulla eſt, & caduca diſpenſatio, niſi aliquæ aliæ, quæ per ſe ſufficiant, ſint veræ.

Exprimi autem neceſſario debet in diſpenſationibus quoto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu conjuncti ſint ſupplicantes. Honeſtas item publica, aliaque impedimenta clare, & diſtincte exprimi debent, qualiacunque ſint. Inceſta item copula pariter exponi debet, ſi forte præceſſerit; explicandum etiam, utrum illam conſummaverint ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ. Mentio pariter facienda eſt raptus, ſi hujus criminis reus ſit Orator, tametſi perſona rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, ac libero conſtituta ſit. Exponi præterea neceſſe eſt, an iſtud falſi nominis matrimonium contraxerint, & conſummaverint Oratores inſuper habito impedimento dirimente, cujus erant conſcii, aut ſi probabilem illius impedimenti ignorantiam habuerint; ſi contraxerint matrimonium ſine denuntiationibus, aliiſve ſolemnitatibus requiſitis. Circa impedimentum voti, qualitas illius exponenda eſt, qua occaſione emiſſum, qua de cauſa, qua ætate. Accuratiſſima denique fide exponendæ ſunt veræ rationes, quibus moveatur Orator, vel Oratrix ad diſpenſationem poſtulandam; earumque veritas, & juſtitia prius in tribunali conſcientiæ diſcutienda eſt, adhibito conſilio prudentis, pii, & eruditi conſcientiæ moderatoris.

REGULA IX.

Cum vir, & mulier in ſecundo, & tertio, vel in tertio, & quarto conſanguinitatis, aut affinitatis gradu ſunt conjuncti, ad legitimam diſpenſationem obtinendam, remotiorem gradum exponere ſufficit.

Ita

De dispensationibus consanguineorum, vel affinium. Const. illa S. Pii V. incipit, Sanctissimus, quæ est 13. in Bullar. rom.

Ita declaravit *S. Pius V.* edita Constit. anno 1566. qua *Pii IV.* Decessoris sui altera Constit. revocata, & instauratis *Gregorii XI.* & *Clementis VI.* Decretis, Sacramento, & libertati matrimonii favere volens; „ „ Statuit, & ordinavit, quod de cætero in quibuscunque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, & mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis, & affinitatis, aut mixtis, ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, (cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat,) gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente romano Pontifice, aut Sede apostolica, impetrari, vel alias concedi contigerit, ac literis, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, juxta Gregorii XI. & Clementis VI. Constitutiones: Dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas, & processus habitos, per easdem dispensatis, seu his, cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde ac si in literis, seu Commissionibus hujusmodi, de proximiore, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset „ „.

REGULA X.

Episcopi certis in casibus dispensare possunt in impedimentis matrimonium dirimentibus.

De potestate Episcorum in dispensationibus.

Incredibile enim est, summum Pontificem velle sibi reservare dispensationes super impedimentis dirimentibus in summis angustiis, & cum animarum gra-

graviumque damnorum periculo; ſiquidem reſervatio diſpenſationis eſt propter charitatem, bonamque chriſtianæ reipublicæ gubernationem, repugnaret autem charitati, & optimo Eccleſiæ regimini, Fideles, qui matrimonio cum aliquo impedimento dirimente, bona fide, ex juris, aut facti ignorantia in facie Eccleſiæ contraxerunt, in anguſtiis conſtitutos relinquere opportuno deſtitutos remedio, cum occultum prælertim impedimentum eſt, nec prima Sedes adiri poteſt ob conjugum paupertatem, aut locorum diſtantiam, aliaſve ſimiles cauſas, neque poſſunt citra ſcandalum conjuges ſeparari, aut etiam imminet peccati periculum. Deinde præſcripta conſuetudo, ſummorumque Pontificum conſenſus Epiſcopis auctoritatem vindicant certis in caſibus diſpenſandi. Tertio, ita cenſet omnis Theologorum, & Canonici juris interpretum natio. Denique *Zerola* Minorenſis Epiſcopus in *Praxi Epiſcopali*, verbo, *Diſpenſatio*, teſtatur, ſibi ex romana Curia fuiſſe reſponſum, diſpenſationum illarum poteſtatem eſſe penes Epiſcopos, concurrentibus ſex circumſtantiis ſequentibus. 1. Ut matrimonium jam ſit contractum. 2. Ut ſit contractum ignoranter quoad impedimentum. 3. Ut ſit conſummatum. 4. Ut impedimentum ſit occultum. Cenſetur autem occultum, ſi publica fama vulgatum non eſt, vel ad forum contentioſum non perlatum; aut ſi perlatum quidem fuit, ſed non potuerit probari, ideoque lis dirempta, & pars rea ſine nota dimiſſa fuerit. 5. Ut partes ſint adeo pauperes, ut mittere non poſſint ad ſummum Pontificem, vel ad Legatum. 6. Ut ſi fieret ſeparatio, veriſimiliter ſcandalum oriretur. Si vero aliqua ex his circumſtantiis non adſit, & perſonæ ſint revera pauperes, rudes, ruſticæ, epiſcopalis charitatis erit proſequi hanc diſpenſationem in forma pauperum apud Sedem apoſtolicam, ut plane gratis, & ſine compoſitione obtineatur.

bus ſuper impedimentis conſanguinitatis, vel affinitatis.

Circa matrimonia contrahenda multo arctior eſt Epiſcoporum poteſtas; & raro admodum contingit, ut in impedimentis dirimentibus, re adhuc integra,

tegra, dispensare possint. Casum tamen vulgo proponunt Auctores probati, in quo dispensare possit Episcopus in impedimento dirimente, nondum contracto, sed proxime contrahendo matrimonio. Sponsalibus solemni ritu contractis, præmissis denuntiationibus, Parocho ex confessione viri, aut puellæ proxime nupturæ dirimens aliquod impedimentum innotescit, v. gr. contractæ affinitatis ex illicita copula occulta. Omnia sunt ad solemnitatem nuptiarum ipsa die celebrandam parata. Omnibus discussis, nulla patet via publici scandali devitandi, infamiæque, aut certe gravissimarum inimicitiarum avertendarum, si matrimonii celebratio differatur. In his rerum angustiis, ad Episcopum confugiendum est, ut dispenset pro conscientiæ foro. Tamen poterit fortassis hoc effugium adhiberi, ut suadeatur puellæ, aut viro votum castitatis emittere ad duos menses, ut probabilem differendarum nuptiarum causam parentibus afferre possint, dicendo, se a Confessario monitos, necessario sibi petendam a Sede apostolica dispensationem super voto castitatis, nulla tamen facta præfiniti temporis mentione, quia votum castitatis ad tempus servandæ, ab Episcopo remitti potest. Matrimonium interim differetur, & dum in romana Curia res aperte geretur pro dispensatione voti castitatis, clam procurabitur dispensatio veri alterius impedimenti pro foro interiori. At si cautio ista spectatis rerum, aut personarum circumstantiis judicetur difficilis, aut impossibilis executionis, impetranda est ab Episcopo dispensatio, quam in his angustiis concedere poterit.

REGULA XI.

Cum de contrahendo matrimonio agitur, vel publicum impedimentum est, dispensare non possunt Episcopi, nisi potestatem dispensandi urgente necessitate a summo Pontifice obtinuerint.

De dispensationibus & de pote-

Hodierna scilicet Ecclesiæ disciplina, secundum quam dispensationes in gradibus prohibitis con-

san-

ſanguinitatis, vel affinitatis, aliiſve impedimentis dirimentibus, romano Pontifici reſervatæ ſunt, cum publicum impedimentum eſt, & de matrimonio contrahendo agitur, non permittit, ut Epiſcopi his in circumſtantiis diſpenſent. Cum enim ab Eccleſia univerſali, ſive illius capite romano Pontifice ſint inſtituta impedimenta matrimonium dirimentia, diſpenſatio ſuper eis communi jure ad caput univerſalis Eccleſiæ romanum Pontificem; non ad Epiſcopum pertinet, ut colligitur ex cap. *Cum inferior*, Ext. *De Majoritate, & obedientia*, Conciliaque provincialia plurima, ritualia Eccleſiarum, auctores omnes id confirmant, & auctoritatem diſpenſandi competere negant Epiſcopis, cum publicum impedimentum eſt, vel de contrahendo matrimonio agitur. Si tamen a Sede apoſtolica facultatem obtinuerint diſpenſandi etiam de contrahendo, & de publico impedimento, urgente neceſſitate, dubium non eſt, quin legitime diſpenſent, cum id faciant, ut Sedis apoſtolicæ Delegati.

ſtate Epiſcoporum in his caſibus.

REGULA XII.

Epiſcopos nunquam poſſe diſpenſare in tertio conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, imo nec in quarto, de contrahendo, probabilius videtur.

Hanc enim Concilia ipſa gallicana tum antiqua, tum recentiora Epiſcopis adimunt facultatem, Concilium Vermerienſe, anno 752. can. 1. „ „ In tertio gradu conjuncti ſeparantur, & poſt pœnitentiam actam, ſi ita voluerint, licentiam habeant aliis ſe conjungere. In quarta autem conjunctione ſi inventi fuerint, eos non ſeparamus, ſed pœnitentiam eis indicamus. Attamen ſi factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus „ „.

Concilium Compendienſe can. 1. „ „ Si in quarta progenie reperti fuerint conjuncti, non ſeparamus: in tertia vero ſi reperti fuerint, ſeparentur. Et eos,

qui

qui unus in quarta, alius in tertia ſibi pertinent, & conjuncti inveniuntur, ſeparemus „„.

Concilium Turonenſe anno 1583. *cap.* 9. „„ Quibus (*inquit*) in quarto conſanguinitatis, & affinitatis, necnon cognationis ſpiritualis prohibitis gradibus ſupra expreſſis, Epiſcopis diſpenſare non licere, declaramus „„.

Concilium Toloſanum 1590. *cap.* 8. „„ Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus ſolutos, & diſpenſatos, niſi viſa prius ſummi Pontificis diſpenſatione, in matrimonii conjunctionem parochi non recipiant „„.

Synodus Lingonenſis: „„ Gradus conſanguinitatis ſic ponuntur. Fratres, aut ſorores ſunt in primo gradu. Filii duorum fratrum, aut ſororum, ſunt in ſecundo gradu. Filii cognatorum germanorum, dicti ſecundi cognati, ſunt in tertio gradu. Horum filii, dicti tertii cognati germani, ſunt in quarto gradu. Inter iſtos non eſt legitimum matrimonium, niſi cum eis ſit per Sedem apoſtolicam diſpenſatum „„.

Idem ſancitum eſt, ac declaratum ſynodalibus Conſtitutonibus Eccleſiæ Trecenſis.

Si tamen antiqua ſit, & legitime præſcripta Diœceſis conſuetudo, ut Epiſcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in caſibus diſpenſet, quia ejus Deceſſores hac uſi ſunt ab antiquo ad hanc uſque diem facultate, quæ a Sede apoſtolica conceſſa creditur (quod in quibuſdam Galliarum Diœceſibus fieri novimus) de his diſpenſationibus haud movenda lis eſt; ſiquidem conſuetudo legitime præſcripta juri poſitivo præjudicat, uſuſque longævi non levis eſt auctoritas, ut dicitur cap. *Cum Conſuetudinis*, & cap. *Cum tanto*, Ext. *De Conſuetudine*. At ſi dubitet, vel merito dubitare debeat Epiſcopus, an diſpenſationes a ſuis Deceſſoribus conceſſæ ſint ex privilegio reali, & perpetuo, an ex privilegio perſonali, diſpenſare non poteſt, niſi & ipſe diſpenſandi privilegium a ſummo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta ſpectante non licet minus probabilem, ac minus tu-

tam

tam opinionem ſequi, relicta probabiliore, atque tutiore.

REGULA XIII.

Diſpenſatio matrimonialis ab illo impetrata, qui diſpenſandi facultatem habere vulgo exiſtimabatur, valida eſt.

Sic in Rota romana fuiſſe judicatum, referunt *Ancharanus* Conſilio 409. Addit. ad Deciſiones Rotæ 2. *De filiis Presbyterorum*, num. 2. & *Zerola* in *Praxi Epiſcopali*, verbo, *Diſpenſatio*. Et tam concedentes, quam impetrantes diſpenſationem bona fides hac in ſpecie excuſat.

REGULA XIV.

In impedimentis non dirimentibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi, exceptis votis caſtitatis, & religionis. Diſpenſare pariter poſſunt in impedimentis omnibus matrimonio jam contracto ſupervenientibus.

Sic Eccleſiæ diſciplina, uſuſque ferunt. Quia vero excipiuntur vota caſtitatis, & religionis, quæ ſummo Pontifici tam ſtricte ſunt reſervata, ut nec in Jubilæis univerſalibus concedat facultatem ſuper illis diſpenſandi: obſervandum eſt, vota de non nubendo, de non petendo conjugali debito, de ſuſceptione ſacrorum Ordinum, de caſtitate ad tempus ſervanda, ſub voto caſtitatis perpetuæ, vel religionis non comprehendi; quia non ſunt abſoluta vota caſtitatis, ideoque in illis diſpenſare poteſt Epiſcopus. Poteſt etiam diſpenſare circa impedimenta, quæ prius contracto matrimonio ſupervenſunt, & debiti conjugalis petitionem prohibent, qualis eſt affinitas ex inceſta copula.

Cap. Cum multa Ext. De Voto, & voti Redemptione, & Sixtus IV. Conſt. quæ incipit: Etſi, Extrav. commun. Tit. De pœnitentiis, & remiſſionibus.

REGULA XV.

Si pars utraque aliquo devincta ſit impedimento, quod ſolvere poſſit Epiſcopus, & e diverſis Diœcelibus ſint, qui matrimonium contrahere volunt, unius Epiſcopi diſpenſatio non ſufficit, ſed ab Epiſcopis utriuſque Diœceſis petenda, & obtinenda eſt, vel certe a ſummo Pontifice, alioqui nulla eſſet, ac irrita diſpenſatio, nullumque proinde, quod ex vi illius contraheretur, matrimonium.

Cum enim diſpenſatio ſit actus juriſdictionis; & Epiſcopus nullam juriſdictionem habeat in eum, qui Diœcetanus illius non eſt, neque ratione domicilii, neque ratione originis, diſpenſare cum illo non poteſt; quamobrem ad proprium remittendus eſt Epiſcopum.

REGULA XVI.

Diſpenſare nunquam poſſunt Epiſcopi in cognationis ſpiritualis impedimento.

Fieri enim vix poteſt, ut matrimonium inter compatrem, & commatrem, vel matrem, & filium ſpiritualem, aut patrem, & filiam ſpiritualem, ſit bona fide contractum, utque impedimentum iſtud prorſus occultum ſit; nec ſcandalum ullum oritur, ſi matrimonium contra ſacras Eccleſiæ Leges ita contractum dirimatur. Adde, quod Eccleſia non ſolet in primo cognationis ſpiritualis gradu facile diſpenſare; imo ſummi Pontifices denegarunt aliquando diſpenſationem his, qui impedimentum ignorantes bona fide matrimonium contraxerant. Sacra Congr. Concilii Trid. interpres olim rogata, an puella novennis de ſacro Fonte ſuſcipiens infantem, contrahat cum eo cognationem ſpiritualem; & ſi cognationis iſtius ſpiritualis immemor, cum eo contrahat matrimonium, an ſit concedenda diſpenſatio? Reſpondit, cognationem ſpiritualem eſſe contractam, & diſpenſationem concedendam eſſe: at *Greg. XIII.*

ad

ad quem relata eſt ſacræ Congregationis ſententia, diſpenſare noluit. Et quamvis nonnunquam poſt tempora *Gregorii XIII.* diſpenſatum fuerit ob dotis incompetentiam, cum illius augmento ſufficienti, non tamen eſt judicandum exemplis, neo quod aliquando factum eſt, ſed quod fieri debet eſt ſpectandum; (inquit *Proſper Fagnanus*, qui hæc refert in cap. *Ex literis*, Ext. *De cognatione ſpirituali.*) Quod ſi ſummi Pontifices, qui ſuper hoc impedimento diſpenſare poſſunt, cum jure duntaxat eccleſiaſtico ſit inſtitutum, adeo tamen ſe præbent in diſpenſando difficiles, quia expedire non putant, ut diſpenſetur; hinc certo colligitur, Epiſcopos in eo impedimenti genere diſpenſare non poſſe, ſive contrahendum ſit, ſive jam contractum matrimonium.

REGULA XVII.

Cum matrimonium coram parocho, & teſtibus bona fide contractum eſt, non eſt neceſſe denuo ſolemni ritu in facie Eccleſiæ contrahi ab his, quos inter nullum erat matrimonium ob impedimentum aliquod dirimens, cum impetrata fuerit diſpenſatio; ſed tamen neceſſaria eſt renovatio mutui conſenſus.

Neceſſe non eſſe, ut matrimonium rurſus in facie Eccleſiæ contrahatur, *S. Pius V.* Pontifex ſanctiſſimus declaravit, ut referunt *Navarrus*, & *Zerola*. Neceſſariam vero eſſe mutui conſenſus renovationem, ratio, jusque ſuadent. Cauſa enim efficiens matrimonii eſt mutuus conſenſus perſonarum ad contrahendum legitimarum. Cum porro conſenſerunt in matrimonium impedimento manente, non erant perſonæ legitimæ ad contrahendum; non erat igitur conſenſus ſufficiens ad matrimonii firmitatem. *Quod autem de jure ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non convaleſcit*; ut habet Regula juris. Quamobrem conſenſum utriuſque partis oportet renovari. Non eſt tamen neceſſe hunc in ſpecie defectum parti

alteri, quæ id ignorat, aperiri, dummodo novus ab illa conſenſus ſimul eliciatur.

REGULA XVIII.

Officiales, ad quos mandatum apoſtolicum de diſpenſando dirigitur, cujuſvis conſuetudinis prætextu aliquid exigere, aut recipere tuta conſcientia non poſſunt ab iis, quibuſcum Sedis apoſtolicæ nomine diſpenſant.

Diſpenſationes enim *gratis* concedi Concilium Trident. ſtatuit; & in mandatis de diſpenſando hæc inſeritur clauſula: „„ Mandamus, quatenus depoſita per te omni ſpe cujuſcunque muneris, aut præmii, etiam ſponte oblati, a quo te omnino abſtinere debere mandamus, &c. Volumus autem, quod ſi ſpreta monitione noſtra ejuſmodi aliquid muneris, aut præmii occaſione dictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere temere præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras„„. Hanc vero clauſulam ita eſſe intelligendam, ut Officiali nequidem ſtipendii, vel honorarii nomine aliquid exigere, vel recipere liceat pro matrimonialium diſpenſationum a ſummo Pontifice conceſſarum executione, cenſet *Navarrus*, cujus opinio probabilior videtur, quam aliorum, qui Officialium quorumdam cupiditati favent, ſententia. Quis enim ſtipendii, vel honorarii nomine munus quodlibet aut præmium præſertim ſponte oblatum non cohoneſtabit, ut cupiditati ſuæ velamen excuſationis obtendat? Id vero quid aliud eſt, quam Pontificis mandatis illudere? Certe re in dubio poſita, manus a pecunia, vel quocunque munere, quod pecunia poſſit æſtimari, continere debent, ne excommunicationis latæ ſententiæ periculo temere ſe committant.

Adde Concilii 5. Mediolanenſis ſub *S. Carolo Borromæo* Decretum: „„ Pro diſpenſationum (*inquit*) matrimonialium executione nihil quidquam prorſus muneris, præmiive, etiam ſponte oblati, ac ne pro la-

labore quidem, qui in teſtibus ea cauſa examinandis, aliiſve teſtificationibus excipiendis ponitur. Epiſcopus, aut Vicarius ejus capiat. Notarii vero pro examine teſtium quartam duntaxat partem aurei ad ſummum capiant „ „.

CAPUT V.

De Conjugum Officiis, uſuque Matrimonii.

§. I.

De Conjugum chriſtianorum Officiis.

Quomodo in matrimonio ſit vivendum, ac moriendum, *S. Carolus Borromæus* in inſtructionibus expliçat his verbis. Chriſtianorum conjugum officia.

„ Docebit opportuno tempore parochus officia viri „ erga uxorem, rurſuſque uxoris officia erga virum, „ monebit, ut incommoda matrimonii patienter ſe„ rant, contenti ea, in qua vocati ſunt, vocatione.

„ Quam diligenter etiam fidem, quam ſibi mutuo „ præſtiterint, inviolatam ſervent uſque ad mortem. „ Quam ſe ipſos inter ſe unice diligant ſancto cordis „ affectu, ita ut nefariis aliorum moribus non capian„ tur, nec thorum maritalem inquinent.

„ Purum matrimonium ſit, & ab obſcænarum cu„ piditatum contagione liberum (inquit *S. Greg. Nazianzenus.*) Cum enim matrimonium a Deo inſti„ tutum ſit, præcipue ad ſobolem procreandam, quæ „ ſancte educetur, ſancte illo uti debent. *Unuſquiſque* 1. Theſſ. 4. „ *ſciat* (ut Apoſtolus monet) *vas ſuum poſſidere in* „ *ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii,* „ *ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.... Non enim* „ *vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctifica„ tionem.*

„ Ut illud meminerint Apoſtoli, quod *Mulier ſui* 1. Cor. 7. „ *corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter au„ tem & vir ſui poteſtatem non habet, ſed mulier.*

„ Ut in magnis anni Solemnitatibus, diebuſque
„ Dominicis, ex Nicolai I. reſcripto; diebus jejunio-
„ rum, & certo tempore orationi aſſignato, & quibus
„ diebus Euchariſtiam ſumpturi ſunt, ſumpſerintve,
„ a copulatione, actuque matrimonii, quantum poſ-
„ ſunt, de communi conſenſu abſtineant.

„ Ut cum uxor gravida eſt, frequentius ambo in
„ oratione, precibuſque verſentur, quibus a Deo pro-
„ lem optimam impetrent. Filios non ſibi, ſed Deo
„ naſcituros, illi offerant ante nativitatem, & quam-
„ primum filios Dei fieri per Baptiſmum procurent,
„ *Annam* imitentur, quæ *Samuelem*, non ſibi ſed Ta-
„ bernaculo peperit; illos Deo per Baptiſmum con-
„ ſecratos, velut depoſitum ab illo ſibi traditum in-
„ tegrum ſervent ejus divinæ Majeſtati reddendum,
„ cum repoſcet. Ubi liberos ſuſceperint, nihil potius
„ curent, quam ut in timore Dei, & diſciplinæ chri-
„ ſtianæ inſtitutis educent, & conforment ad præſcri-
„ ptum inſtructionum eo nomine editarum; (inquit
„ *S. Carolus.*)

„ Ut rem familiarem modis nefariis, nullo modo
„ augeant; neque ſtudeant locupletiores fieri cum
„ offenſione Dei, & injuria proximi.

„ Ut patrumfamilias inſtituta exequantur libro in-
„ ſtructionum explicata.

„ II. In ægrotatione, ſicut in omni alia re neceſſa-
„ ria, ſibi mutuam opem ferant, atque ſuccurrant om-
„ nibus officiis, quæ cum ad corporis curationem,
„ tum imprimis ad animæ ſalutem pertinent.

„ Ut propterea in ægrotatione nullum alter alteri
„ præſtet impedimentum, quominus continuam ha-
„ beant Dei memoriam; imo vero potius ſeſe mutuo
„ conſolentur ſalutaribus conſiliis; hocque cohorten-
„ tur, alioſque item hortatores adhibeant, ut ſanctiſſi-
„ ma Sacramenta, pœnitentiam ſcilicet, Euchariſtiam,
„ & extremam Unctionem in tempore ſuſcipere
„ ægrotus curet.

„ Ut liberos etiam ſuos piæ, ardentiſque charitatis
„ ſtudio parens admoneat, inſtruatque ad vitæ chri-
„ ſtia-

„ ſtianæ rationes. Et vero vitia, quibus potiſſimum „ illos deditos eſſe animadverterit, vehementer ob„ jurget. Demum benedicat exemplo ſanctiſſimorum „ Patrum.

„ Ut domui ſuæ bene diſponat, & teſtamentum „ rite conficiat, præſente etiam Patre ſpirituali; de „ cujus conſilio in teſtamenti etiam factione reme„ dium quærat animæ ſuæ.

„ Ut in extremo illo etiam ſpiritu ſeſe alacriter in „ Domino confirmet ad mortem ſuſcipiendam, ex„ pectans poſt ſeparationem vitæ hujus mortalis con„ junctionem perpetuam in vita ſempiterna.

„ III. Sanctus idem Archiepiſcopus patribus, ma„ tribuſque familias, & quibuſcunque aliis domorum „ capitibus has regulas tradit recte gubernandæ, & „ inſtituendæ familiæ. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis P. 4. pa. 193. & ſeq.

„ Hos tantum domi famulos habeas, & familiæ tuæ „ adſcribas, quorum opera indigueris, quouſque com„ mode pro facultatum ratione, æris alieni nihil con„ trahendo, nec a debitis illis ſtipendiis quidquam „ auferendo, poteris alere. Idque imprimis cures, ne „ inter domeſticos, blaſphemiis addicti, concubina„ rii, aut depravati moribus, vitiiſque dediti, aut „ fama notati ulli inveniantur.

„ Omnium actionibus ſedulo invigiles, ita ut, quæ „ ſingulorum ſit morum ratio: ex eorum colloquiis, „ conſuetudine, & commercio reſcias. Tibi ideo ſit „ e domeſticis aliquis, aut vicinis, ſi familia tua pu„ ſilla ſit numero, cui credas, quique cenſor ſecre„ tus omnia obſervet; cumque in vitiis, aut eorum „ aliquo periculo verſari quemquam acceperit, tibi „ referat.

„ Sed ſi quid mali tibi narratum ſit, facile illud, niſi „ prius diſcuſſeris, & de eo certior fias, non credas; „ ſed ubi in vitia aliquis revera deprehenditur, de„ linquentem prius moneas, adhibita poſtea debita „ correptione. Qui jam ſæpius de gravis momenti re „ admoniti, ad meliorem frugem ſe non receperint,

„ ſi famuli ſint, hiſque ſimiles, domo eliminentur;
„ ſi vero filii, debita pœna plectantur.

„ Blaſphemias, furtum, concubinatus, & quaſvis
„ morum corruptelas non impune feras. Item, neq
„ qui Paſchatis tempore confeſſus Communionem
„ non exceperit; vel, qui non tenet doctrinam chri-
„ ſtianam, nec curat in ea, quoad res ſaltem magis
„ neceſſarias, inſtitui.

„ Id imprimis cures, ut filii, & domeſtici maſculi
„ a feminis diſtincti, ita & ſeparati dormiant, ut
„ nullius periculi occaſio ſit; ſinguli quoque ſuo le-
„ cto ſeparatim donentur; conjuges in lectum non
„ admittant filios, aut filias, imo nec in eodem cu-
„ biculo ſinant decumbere, ſed alio in loco ſecuro,
„ & ſeparato, ſi valeant.

„ Libros obſcœnos, aut picturas in domo non pa-
„ tiaris, nec cantilenas, vel odas minus honeſtas can-
„ tari, ſed nonniſi ſpirituale quid & devotum ibi
„ videatur, aut audiatur; ideo domum ter, aut
„ quater per annum ex improviſo juvat perluſtraſſe;
„ imo & domeſticorum thecas, & arculas inveſti-
„ gaſſe, quidquid vanitatis uſui erit amovendo. Neq
„ etiam e domeſticis, ſive domi, ſive foris quem-
„ quam patiaris malorum inire conſortium, ſed ut
„ quamvis peccati occaſionem fugiant, ſedulus ſis.
„ Nullum item otioſum, & deſidem, ſed aliquo ex-
„ ercitio honeſto occupatum detineas.

„ Feminas monebis, ne ſtent ad januas, aut ad
„ feneſtras, nec minus adhuc fucum, & pigmenta,
„ ſpeciei ſuæ ut conſulant, adhibeant.

„ Noli in alendis canibus, aut equis minime ne-
„ ceſſariis illud impendere, unde plurimorum Chri-
„ ſti pauperum refectioni poſſet ſubveniri. A qui-
„ buſcunque impenſis immodicis, & inutilibus abſti-
„ neas; quibus etenim facultatibus, & opibus vales,
„ earum, utpote diſpenſator tantum, apud Deum
„ habiturus es rationem.

„ Pauperibus eleemoſynam lubens largiaris, in ea-
„ que virtute filios cures ab infantia inſtitui, data

„ eis

„ eis facultate, & mandato id munus exercendi.

„ Charitate, & prudentia cum univerſa familia te „ geras, omnia ei neceſſaria curans impartiri, & in „ ſtipendiis detrimenti quidquam nemo patiatur.

„ Verbis aſperioribus, aut conviciis nec filios, nec „ quemcunque alium habeas; nitaris idcirco gratiam „ a Deo obtinere, qua iram in occurrentibus adver„ ſis, ſive domi, ſive foris, unde ſis moroſior, „ coerceas.

„ Dum e domeſticis quis infirmitate laborabit, ad „ patientiam, qua morum emendationem a Deo ob„ tineat, adhortaberis, & intra tres dies nullo ha„ bito reſpectu confeſſionem agat, curabis. Infirmos „ famulos inviſas, quibus in ædibus tuis jubeas ne„ ceſſaria ex charitate miniſtrari; nec enim decet „ eos ad Xenodochia mittere, quorum opera, dum „ valerent, uſus es.

„ Fovendæ in domo paci, & unioni, ut charitas „ fraterna obſervetur, ſtudeas, nec alterutri favere „ videaris, ſed omnes cum patientia audias. Nemi„ nem e tuis ſinas cuiquam negotium facceſſere, aut „ inimicitia, odiove quemquam proſequi; ſed ubi „ aliquid diſſidii ſubortum deprehenderis, altercan„ tes ſubito componas, ſive domeſticos, ſive externos.

„ Arma a tuis unquam geſtari, niſi pro defenſione, „ aut ratione eorum officii, aliaque manifeſta ex ne„ ceſſitate, prohibeas.

„ Omnes e familia ſæpius adhorteris, in quo ver„ bis, conviciis, aut factis læſi ſunt, id condonent, „ nec unquam ulciſcantur, neç pro ſeculi honore „ altercentur.

„ Verbis, & operibus ſis in exemplum domeſticis, „ nec quidquam in eorum conſpectu agas, aut lo„ quaris, quod dedeceat.

„ Recta monita, & documenta tuis ſemper tra„ das, nec ab his monendis, ne ſcilicet contriſten„ tur, aut quacunque ſimili ex cauſa, unquam ab„ ſtineas.

„ Inter alia, de quibus filios, aliosve monuisse ju-
„ vat, horum in primis recorderis. Ne ullum scili-
„ cet unquam dolo decipiant, vel defraudent; aut
„ quidquam mala arte sibi vindicent. Ne sua nobi-
„ litate, aut dignitate, sed christianis tantum suis
„ moribus, & virtutibus nitantur, nec dignitates,
„ humanamque auram aucupentur, rerum tempo-
„ ralium superflua ne sectentur, imo illa potius
„ aspernentur.

„ Omni modo cures, omnes e familia doctrinæ chri-
„ stianæ saltem essentialia capita teneant, eos ideo
„ mittas, ducasve ad scholas, sive mares, sive femi-
„ nas, adultos, aut pueros.

„ Sanctissimum, Confessionis usum, juxta quæ ge-
„ neraliter monuimus, frequentius observent; nec
„ abs re erit Communionem saltem per mensem, &
„ solemnibus diebus in parochiali Ecclesia ab uni-
„ versa familia celebrari.

„ Maximæ utilitatis foret, si uni Confessori omnes
„ e familia confiterentur, ut animæ omnium infir-
„ mitates illi melius innotescerent, eoque tutius in
„ via Domini dirigeret. Peritiores saltem Confesso-
„ res adeant.

„ Indicta a sancta Matre Ecclesia, Quadragesimæ
„ scilicet, quatuor Temporum, Vigiliarum, aliaque
„ ex voto, & consuetudine Jejunia, observari omnino
„ facias.

„ Omnes item pro Oratione, & conscientiæ exa-
„ mine agendis pro capacitate cures institui, & matu-
„ tinam, serotinamve, priusquam lectum petant,
„ conscientiæ discussione prævia, ab his haberi. Ideo
„ mane, & sero ad campanæ signum, aut saltem alia
„ hora illis commodiori universa familia cogatur, aut
„ in Ecclesia, aut domi coram imagine omnes simul
„ habeant.

„ Neminem patiaris ad mensam accedere, qui non
„ ante fuerit bene precatus; nec ab ea discedere, nisi
„ actis Deo gratiis. Librum aliquem spiritualem filiis,
„ aut aliis legi, si possit, aliquo saltem, si non omni,

„ re-

„ refectionis tempore curabis, iſque liber a parocho, „ aut Confeſſore prius comprobabitur. Librum item „ ſpiritualem aliquamdiu poſt cœnam legi facias, col„ loquiorum vice, aut Sancti vitam, cujus ea die fit „ memoria, & eam in rem ſimul colloquantur, ut „ nonnihil utilitatis inde ſibi concilient, & ex tot „ Sanctorum exemplis virtutem aliquam ſibi com„ parandi ſtudio accendantur.

IV. Concilii Trid. Catechiſmus viri erga uxorem, & uxoris erga virum officia explicat P. 2. Tit. *De matrimonii Sacramento*, §. 31. & 32. „ „ Viri (*inquit*) munus eſt, uxorem liberaliter, & honorifice tractare. Qua in re meminiſſe oportet, Evam ab Adamo ſociam appellatam eſſe, cum inquit; *Mulier, quam dediſti mihi ſociam*; cujus rei cauſa alii Patres factum eſſe docent, ut ea non ex pedibus, ſed ex latere viri formaretur; quemadmodum etiam ex capite condita non eſt, ut viri ſe dominam non eſſe intelligeret, ſed viro potius ſubjectam „ „. Gen. 2.

Decet præterea virum in alicujus honeſtæ rei ſtudio ſemper occupatum eſſe, tum ut ea ſuppeditet, quæ ad familiam ſuſtentandam neceſſaria ſunt; tum ne inerti otio torpeſcat, a quo vitia fere omnia fluxerunt.

Deinde vero familiam rite conſtituere, omnium mores corrigere, ſingulos in officio continere.

Rurſus autem uxoris partes ſunt, quas Apoſtolorum Princeps enumerat, cum inquit; *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; ut, & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verba lucrifiant, conſiderantes in timore ſanctam converſationem veſtram; Quarum non ſit extrinſecus capillatura, nec circumdatio auri, aut argenti, & veſtimentorum cultus; ſed, qui abſconditus eſt, cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locupies. Sic enim aliquando & Sanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* (1. Petri cap. 3.)

Ea-

Earum quoque proprium ſtudium ſit, filios in religionis cultu educare, domeſticas res diligenter curare. Domi vero libenter ſe contineant, niſi neceſſitas exire cogat; idque ſine viri permiſſu facere nunquam audeant.

Deinde, in quo maxime maritalis conjunctio ſita eſt, meminerint ſemper ſecundum Deum, magis quam virum, neminem diligendum, eove pluris faciendum neminem: cui etiam omnibus in rebus, quæ chriſtianæ pietati non adverſantur, morem gerere, & obtemperare ſumma cum alacritate animi oporteat „ „.

V. Chriſtianis mulieribus proponendum, & *S. Monicæ* exemplum a *S. Auguſt.* lib. 9. *Confeſſionum*, cap. 9. ob laudabiles mores, & reverentiam, caſtumque amorem erga virum, & benevolentiam erga ſocrum, concordemque charitatem commendatæ. „„ Educata (*inquit*) pudice, ac ſobrie potiuſque a te ſubdita parentibus quam a parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſervivit veluti domino, & fategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus illam pulcram faciebas, & reverenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem tolerabit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito habere unquam ſimultatem. Exſpectabat enim ſuper eum miſericordiam tuam, ut in te credens caſtificaretur. Erat vero ille ſicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non reſiſtere irato viro, non tantum facto, ſed ne verbo quidem. Jam vero refracto, & quieto, cum opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi forte ille inconſideratius commotus fuerat. Denique cum matronæ multæ, quarum viri manſuetiores erant, plagarum veſtigia etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam; hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſe; proinde memo-

mores conditionis, ſuperbire adverſus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, ſcientes quam ferocem conjugem ſuſtineret, nunquam fuiſſe auditum, aut aliquo judicio claruiſſe, quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a ſe invicem, vel unum diem domeſtica lite diſſenſerint, & cauſam familiariter quærerent, docebat illa inſtitutum ſuum, quod ſupra memoravi. Quæ obſervabant, expertæ gratulabantur; quæ non obſervabant, ſubjectæ vexabantur „ „.

„ „ Socrum etiam ſuam primo ſuſurris malorum ancillarum adverſus ſe irritatam, ſic vivit obſequiis, perſeverans tolerantia, & manſuetudine, ut illa ultro filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe, & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque poſtea quam ille & matri obtemperans, & curans familiæ diſciplinam, & concordiæ ſuorum conſulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit, promiſit illa talia de ſe præmia ſperare debere, quæcunque de ſua nuru ſibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur, nullaque jam audente, memorabili inter ſe benevolentiæ ſuavitate vixerunt „ „.

VI. Chriſtianos conjuges *S. Gregorius* ad virtutem matrimonii ſtatui convenientem præclaris monitis informat *Paſtoralis Curæ* P. 3. Admonitione 28. „ „ Admonendi ſunt conjugiis obligati, ut cum viciſſim quæ ſunt alterius cogitant, ſic eorum quiſque placere ſtudeat conjugi, ut non diſpliceat Conditori; ſic ea, quæ hujus mundi ſunt, agant, ut tamen appetere, quæ Dei ſunt, non omittant; ſic de bonis præſentibus gaudeant, ut tamen ſolicita intentione mala æterna pertimeſcant; ſic de malis temporalibus lugeant, ut tamen conſolatione integra ſpem in bonis perennibus figant: quatenus dum in tranſitu cognoſcunt eſſe, quod agunt in manſione ſciant, quod appetunt; nec mala mundi cor frangant, cum ſpes cœleſtium roborat; nec bona præſentis vitæ decipiant, cum ſuſcepta ſubſequentis judicii mala contriſtant.

Ita-

Itaque animus chriſtianorum conjugum & infirmus, & fidelis, qui & plene cuncta temporalia deſpicere non valet, & tamen æternis ſe conjungere per deſiderium valet; quamvis in delectatione carnis interim jaceat, ſupernæ ſpei refectione convaleſcat. Etſi habet, quæ mundi ſunt in uſu itineris, ſperet, quæ Dei ſunt in fructu perventionis; nec totum ſe ad hoc, quod agit, conferat, ne ab eo, quod robuſte ſperare debuit, funditus cadat. Quod bene, ac breviter Pau-
1. Cor. 7. lus exprimit, dicens: *Qui habent uxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes.* Uxorem quippe quaſi non habendo habet, qui ſic per illam carnali conſolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Uxorem quaſi non habendo habet, qui tranſitoria eſſe cuncta conſpiciens curam carnis ex neceſſitate tolerat, ſed æterna gaudia ſpiritus ex deſiderio expectat. Non flendo autem flere, eſt ſic exteriora adverſa plangere, ut tamen noverit æternæ ſpei conſolatione gaudere. Et rurſum, non gaudendo gaudere, eſt ſic de infimis animum attollere, ut tamen nunquam deſinat ſumma formidare. Ubi apte quoque paulo poſt ſubdidit, dicens: *Præterit enim figura hujus mundi.* Ac ſi aperte diceret: Nolte conſtanter mundum diligere, quando & ipſe non poteſt, quem diligitis, ſtare. Incallum cor quaſi manentes figitis, dum fugit ipſe, quem amatis „ „.

„ „ Admonendi ſunt conjuges, ut ea, in quibus ſibi aliquando diſplicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem ſalvent. Scriptum nam-
Galat. 6. que eſt: *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Lex quippe Chriſti charitas eſt; quia ille nobis & largiter ſua bona contulit, & æquanimiter mala noſtra portavit. Tunc ergo legem Chriſti imitando complemus, quando & noſtra bona benigne conferimus, & noſtrorum mala pie ſuſtinemus. Admonendi quoque ſunt, ut eorum quiſque non tam, quæ ab altero tolerat, quam quæ ab ipſo tole-

tolerantur, attendat. Si enim ſua, quæ portantur, conſiderat, ea, quæ ab altero ſuſtinet, levius portat„„.

Denique paucis mutua chriſtianorum conjugum officia complectar, vir uxorem ſuam diligere, mulier virum ſuum revereri, eique parere tenetur, quod luculentis verbis explicat Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, cap. 5. *Mulieres viris ſuis ſubdita ſint ſicut Domino: Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ; ipſe ſalvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aqua in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſe ipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſe ipſum diligat: Uxor autem timeat virum ſuum.* Et ad Coloſſenſes 3. *Mulieres, ſubdita eſtote viris, ſicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Viri diligere debent uxores ſuas, ut Chriſtus Eccleſiam. Non igitur amore turpi, ſed caſto, ſpirituali, & cum vera pietate conjuncto, mulieres ſubditæ eſſe debent viris, ut Eccleſia Chriſto, in omnibus, eiſque non timore, ſed cum reverentia, & amore obſequi; non dominari, non docere, ſed blanda obtecratione monere, non cum irati ſunt, aut ebrii, ſed more prudentiſſimæ *Abigail*, dum eſt opportunum, ſi quo modo tandem viros ſuos ſalvos faciant.

Mutua Chriſtianorum conjugum officia.

Apo-

Apoſtoli, imo vero Domini per Apoſtolum inculcata præcepta de mutuis conjugum officiis egregie explicat S. *Joan. Chryſ.* Hom. 20. in Ep. ad Epheſios: „ *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino.* Quamobrem? Quoniam ſi hi ſint in concordia, & recte aluntur filii, modeſtique ſunt famuli, & ordinem non deſerunt, & bono eorum odore fruuntur vicini, amicique & cognati. Sin autem contra evertuntur, & confunduntur omnia. Et quomodo cum duces exercitus inter ſe pacem agunt, omnia ſuam ſervant conſequentiam; & ſi rurſus illi turbentur, rurſum, & deorſum aguntur omnia; ita nunc quoque „ „

„ *Viri, ailigite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Vidiſti menſuram obedientiæ? Audi etiam menſuram delictionis. Vis tibi obedire uxorem, ſicut Chriſto Eccleſiam? ipſe quoque ejus curam gere, ſic ut Chriſtus Eccleſiæ. Etiamſi animam pro ipſa dare oporteat, etiam ſi millies conſcindi, etiamſi quodvis ſuſtinere, & pati, non recuſabis; & ſi hæc paſſus fueris, nihil adhuc tale feciſti, quale Chriſtus. Nam tu quidem jam conjunctus hæc facis? Ille autem pro ipſum averſante, & eum habente odio. Quomodo ergo ipſe eam, quæ ipſum averſabatur oderatque & contemptui habebat, ac conſpuebat, & per laſciviam ei inſultabat, magna ſua cura ſuis ſubjecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque ullo alio ejuſmodi. Ita tu quoque te gere in tuam uxorem. Etiamſi eam videris deſpicientem, etiamſi per laſciviam inſultantem, poteris multa ejus cura, & providentia, dilectione, & amicitia eam tuis pedibus ſubjicere. Nihil eſt his vinculis magis tyrannicum, & maxime marito, & uxori. Nam famulum quidem poterit quiſpiam metu alligare, imo vero ne illum quidem, fortaſſe enim reſiliet, & abibit; vitæ autem ſociam, liberorum matrem, & quæ eſt cauſa, & occaſio omnis lætitiæ, non oportet metu, & minis ligare, ſed dilectione, & affectione. Quænam enim eſt conjunctio, quando uxor exhorreſcit maritum? Quanam autem voluptate fruetur ipſe maritus

ritus cum uxore habitans tanquam cum ancilla, & non tanquam cum libera? Et ſi quid pro ea paſſus fueris, ne exprobres. Neque enim Chriſtus hoc fecit. Et ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret.

Uxor autem timeat virum. Mulier eſt ſecundus principatus, neque enim ipſa exigat æqualitatem honoris, eſt enim ſub capite; neque ille eam deſpiciat tanquam ſubjectam; eſt enim corpus. Si caput corpus deſpiciat, ipſum quoque peribit... Mulier cui videtur afferri damnum, quod jubeatur timere, lucratur. Viro enim eſt præceptum id, quod eſt præcipuum, ſcilicet diligere. Quid vero ſi non timeat uxor? Tu dilige, imple quod tuum eſt... Sed quando audis timorem, exige timorem, qui convenit liberæ, non tanquam ab ancilla. Eſt enim corpus tuum. Nam ſi hoc feceris, te ipſum probro afficis, tuum corpus afficiens ignominia. Quis eſt autem timor? Ut non contradicas, ut non inſurgas, ut primas partes non ames. Ad hæc uſque ſatis eſt timore conſiſtere. Sin autem diligis, ut eſt præceptum, etiam majora facies „ „.

Tum rurſus maritum compellans: „ „ Oſtende te magni facere cum ipſa conſuetudinem, & malle te domi eſſe propter ipſam, quam in foro; & eam præpone omnibus amicis, & liberis, quos ex ea ſuſcepiſti; & ipſi quoque a te propter ipſam diligantur. Si boni quid fecerit, & lauda, & admirare. Si quid contingat abſurdi, & tanquam juvenile, ſuade, & admone... Sint preces vobis communes. Unuſquiſque eat ad Eccleſiam & eorum, quæ illic dicuntur, & leguntur, & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa a marito. Si premit paupertas, produc in medium ſanctos viros Petrum, & Paulum, qui in majori fuerunt exiſtimatione quam omnes Reges, & divites, & quomodo vitam egerunt in fame, & ſiti. Erudi eam, nihil in vita eſſe terribile, præterquam Deum offendere „ „.

Officia tandem chriſtianæ uxoris ſunt: *Honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare*

domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere; ut habetur *Tobiæ* 10.

§. II. *De Uſu Matrimonii.*

VIII. Uſum conjugii quod ſpectat, ſic explicare oportet, quæ ad illum chriſtiane exercendum pertinent, ut nec rerum neceſſariarum cognitio hac in materia Paſtoribus, Confeſſariiſque deſit; nec inutilium, & quas curioſius ſcrutari, aut in iis particulatim expendendis morari periculoſum eſt, lectio ſuperflua ipſos inquinet. Id autem pro more noſtro certis Regulis exequemur.

REGULA PRIMA.

Matrimonii uſus non ſolum peccati expers eſt ſecundum ſe, ſed meritorius eſſe poteſt.

Matth. 19. Qui enim fecit hominem ab initio, mulieremque illi in ſociam, & adjutorium dedit, dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem; & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Non aliter autem duo fiunt in carne una, quam uſu conjugii. Hinc Apoſtolus ad *Hebræos* cap. 13. ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Thorus porro immaculatus non eſſet, ſi conjugalis concubitus abſque peccato eſſe non poſſet. Hinc *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. „ „ Conjugalis (*inquit*) concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium vero, ſive fornicatio lethalem habet culpam „ „.

Idem docet *S. Thomas* in 4. Sentent. diſt. 26. q. 1. art. 4. „ Si (*inquit*) ad actum matrimonialem vir„ tus inducat, vel juſtitiæ, ut debitum reddat; vel „ religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, „ eſt meritorius „ „.

RE-

REGULA II.

Uſus matrimonii non eſt inculpabilis, niſi fiat cauſa prolis procreandæ, vel debiti reddendi.

De uſu matrimonii.

Alias enim concupiſcentiæ quodammodo ſerviunt conjuges, quamvis intra matrimonii fines redigatur; unde id nonniſi *Secundum veniam* Apoſtolus concedit. Hinc *S. Auguſt.* lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. „„ In ipſa (*inquit*) immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non ſecundum imperium præcipit, ſecundum veniam concedit Apoſtolus, ut etiam propter cauſam procreandi ſibi miſceantur; & ſi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio, ſeu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, ſed propter nuptias ignoſcitur. Debent ergo ſibi conjugati non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem. *Et infra*: Melior eſt quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit cauſa gignendi; ſed quia illa continentia meriti amplioris eſt; reddere vero debitum conjugale, nullius eſt criminis; exigere autem ultra generandi neceſſitatem, culpa venialis; fornicari vero, vel mœchari, puniendi criminis; cavere debet charitas conjugalis, ne dum ſibi quærit, unde amplius honoretur, conjugi faciat, unde damnetur „„.

Exigere debitum a conjuge per inconcinentiam non filiorum procreandorum cauſa, veniale peccatum eſt.

Et cap. 10. „„ Concubitus neceſſarius, cauſa generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem, qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur. Et hunc tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. *Et rurſus*: Non itaque nuptias ſecundum veniam concedit Apoſtolus;

nam quis ambigat abſurdiſſime dici, non eos peccaſſe, quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant „„.

Et *Enchiridii* cap. 78. „„ Putari poſſet non eſſe peccatum miſceri conjugi non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, ſive adulterii, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quo poteſt tentante ſatana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet Apoſtolus: *Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Quis autem jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica auctoritate fateatur „„?

Et Serm. 2. alias *De Diverſis* 63. cap. 13. „„ Qui uxoris carnem amplius appetit, quam præſcribit limes ille, liberorum procreandorum cauſa. contra ipſas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conſpectu omnium atteſtantium; & recitantur liberorum procreandorum cauſa; & vocantur tabulæ matrimoniales. Niſi ad hoc dentur ad hoc accipiantur uxores, quis ſana fronte dat filiam ſuam libidini alienæ? Sed ut non erubeſcant parentes, cum dant, recitantur tabulæ, ut ſint ſoceri, non lenones... Erubeſcat maritus aliter accipere, ſi erubeſcit pater aliter dare. Sed ſi non poſſunt, exigant debitum; non progrediantur ultra debitores ſuos... Et ſi egrediantur metas matrimonialis pacti, non egrediantur metas conjugalis thori. Nunquid hoc non eſt peccatum, amplius quam liberorum procreandorum neceſſitas cogit, exigere a conjuge debitum? Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit: *Hoc autem dico ſecundum veniam* „„.

Et cap. 14. „„ Duo ſunt opera carnalia, quibus conſtat genus humanum; in quæ duo opera prudentes,

tes, & ſancti ex officio deſcendunt; imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud eſt enim ad aliquid officio deſcendere, aliud in aliquid per cupiditatem cadere. Quæ ſunt iſta, quibus conſtat genus humanum? In nobis ipſis primum eſt, quod pertinet ad ſumenda alimenta, manducare, & bibere; & ſi non feceris, morieris. Hoc ergo uno ſuſtentaculo ſtat genus humanum, pro modo naturæ ſuæ, manducandi, & bibendi. Sed per hoc ſuſtentaculum ſuſtentantur homines, quod ad ſeipſos attinet; ſucceſſioni autem non conſulunt manducando, & bibendo, ſed uxores ducendo... Ad utrumque ſapiens & prudens, & fidelis officio deſcendit, non libidine cadit. Ad manducandum, & bibendum quam multi voraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam, quaſi ipſam cauſam vivendi? Nam cum ideo manducent, ut vivant; ideo ſe putant vivere, ut manducent. Iſtos omnis ſapiens reprehendit, & maxime divina Scriptura, edaces, ebrioſos, belluones, quorum Deus venter eſt. Illos ad menſam non ducit niſi concupiſcentia carnis, non indulgentia refectionis. Itaque iſti cadunt in eſcam, & potum. Illi autem, qui deſcendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt, ut comedant, ſed ideo comedunt, ut vivant. Itaque iſtis prudentibus, & temperantibus ſi offerretur, ut ſine cibo, & potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quo cadere non conſueverunt, nec deſcendere cogerentur; ſed ſemper ſuſpenderentur in Domino; non deponeret eorum intentiones neceſſitas fulciendarum corporis ruinarum? Quomodo putatis Eliam ſanctum accepiſſe, quando accepit calicem aquæ, & collyridam panis, ut ſatis ei eſſet in alimentum quadraginta dierum? Cum magna utique lætitia, quia propter officium vitæ, non propter ſervitutem concupiſcentiæ, manducabat & bibebat. Tenta hoc præſtare, ſi poſſis, homini, qui beatitudinem totam, & felicitatem in epulis, tanquam pecus in præſepi, conſtituit. Odit beneficium tuum, repellit a ſe, poenam putat. Sic & in illo officio conjugali, libidinoſi homi-

homines uxores non propter aliud quærunt; & ideo vix tandem ipſis uxoribus contenti ſunt. Atque utinam ſi auferre non poſſunt, aut nolunt libidinem, non ultra eam progredi ſinant, quam præſcribit debitum uxorium, etiam quod infirmitati conceditur. Sed plane tali homini ſi diceres, quare ducis uxorem? reſponderet tibi fortaſſe verecundatus: Propter filios. Si quis ei diceret, cui ſine ulla dubitatione crederet: Potens eſt dare tibi, & omnino dabit tibi Deus filios, etiam non operanti opus illud cum uxore; ibi certe concluderetur, atque fateretur, quod non propter filios quærebat uxorem. Confitentur ergo infirmitatem „„. Lege, & cap. 8. lib. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, & cap. 18. lib. 3. *De Doctrina chriſtiana*.

Illud *S. Hieronymi* in cap. 5. Ep. ad Epheſios non omittam: „ Liberorum in matrimonio opera ceſſa ſunt. Voluptates autem, quæ de meretricum „ capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ „.

Eamdem Regulam pluribus in locis confirmat *S. Greg. magnus*, ſed maxime 3. P. *Paſtoralis Curæ*, Admonitione 28. „„ Admonendi ſunt, conjunctos (*inquit*) ut ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint cauſa conjuges; & cum immoderate admixtioni ſervientes, propagationis articulum in uſum transferunt voluptatis, perpendant, quod, licet extra non exeant, in ipſo tamen conjugii jura tranſcendunt. Unde neceſſe eſt, ut crebris exorationibus deleant, quod pulcram copulæ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant. *Hinc Apoſtolus*, dum in magna honeſtate conjugii aliquid de voluptate largiretur, adjunxit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgeri prohibetur; ſed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur; ſed hoc, quod eſt licitum, ſub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in ſemetipſo exprimit, qui ardentem Sodomam fugit; ſed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conſcendit. Ardentem quippe Sodo-

mam

mam fugere, eſt illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero montium eſt munditia continentium. Vel certe quaſi in monte ſunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, ſed tamen extra ſuſcipiendæ prolis admixtionem debitam, nulla carnis voluptate ſolvuntur. In monte quippe ſtare quid eſt, niſi fructum propaginis in carne non quærere? In monte ſtare, eſt carni non carnaliter adhærere. Sed quia multi ſunt, qui ſcelera quidem carnis deſerunt, nec tamen in conjugio poſiti, uſus ſolummodo debiti jura conſervant. Exiit quidem Loth Sodomam, ſed tamen nox ad montana non pervenit; quia jam damnabilis vita relinquitur, ſed adhuc celſitudo conjugalis continentiæ ſubtiliter non tenetur. Eſt vero in medio Segor civitas, quæ fugientem ſalvet infirmum; quia videlicet cum ſibi per incontinentiam miſcentur conjuges, & lapſus ſcelerum fugiunt, & tamen venia ſalvantur. Quaſi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur; quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira eſt, ſed tamen a ſuppliciis ſecura „„.

Eamdem Regulam confirmat *Jonas* Aurelianenſis Epiſcopus, lib. 2. *De Inſtitutione laicali*, cap. 6. cujus hic titulus eſt: „„ Quod cum uxoribus carnis commixtio, gratia fieri debeat prolis, non voluptatis: Qui autem (*inquit*) thori conjugalis pudicitiam hujuſcemodi incontinentiæ nævis fuſcaverint, id neceſſe eſt, quotidianis eleemoſynarum largitionibus, jugibus precibus, pœnitentiæ lacrymis, & cæteris bonis operibus diluere ſatagant „„.

Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 31. quæſt. 2. art. 2. „„ Quando (*inquit*) conjuges conveniunt cauſa prolis procreandæ, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excuſantur a peccato. *Et infra*: Et ideo duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt; ſcilicet cauſa prolis procreandæ, & debiti reddendi, alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale „„.

REGULA III.

Conjugalis concubitus vitandæ ſolum fornicationis cauſa non immunis eſt a peccato veniali.

Ita docet *S. Thomas* loco mox indicato, in reſponſione ad ſecundum. „ „ Si aliquis, *inquit*, per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum, quia hæc eſt quædam redditio, quæ ad bonum fidei pertinet. Sed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus „ „. Aliis nempe modis convenientioribus, ſcilicet per orationem, jejunia, aliaque pia opera vitare quis fornicationem, & continentiam a Deo impetrare poteſt. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non poteſt, cum aliena voluntas non ſit in noſtra poteſtate.

REGULA IV.

Opus conjugale, ſanitatis duntaxat cauſa veniale peccatum eſt.

Non enim ob ſanitatem, ſed ob liberorum procreationem matrimonium inſtitutum eſt. Unde *S. Thomas* in reſponſione ad quartum: „ „ Quamvis, *inquit*, intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum, ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret. Et ſimiliter eſt in propoſito de actu matrimoniali „ „.

REGULA V.

Opus conjugale culpa non caret, ſi partim generationis cauſa, partim ob voluptatem fiat.

Sola

Sola enim liberorum procreandorum causa, vel debiti reddendi, hoc opus a peccato excusat, secundum illam Tobiæ junioris sententiam: *Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuria causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tob. 8. Hinc *S. Thomas* art. 3. quæst. citatæ: „ „ Si quæratur, *inquit*, delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum „ „.

REGULA VI.

Opus conjugale ita frequenter, & intempestive exercere, ut impediat tempora orationi debita, gravius quidem peccatum est, quam si aliis temporibus ob solam delectationem carnale debitum exigeretur; non tamen est mortale peccatum.

Prima pars ex ista *S. Pauli* sententia colligitur, 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quam *S Augustinus* sic interpretatur lib. *De Bono Conjugali*, cap. 10. „ „ Illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi. & aliquando nulla causa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ sepositа esse debent tempora orandi, &c „ „. Quibus verbis significatur quidem gravius esse peccatum, nec ita facile excusari concubitum conjugum, adeo nimium, ut impediat tempora, quæ orationi debentur, quam si quolibet alio tempore, solius etiam voluptatis causa, huic operi vacarent: sed tamen ad malitiam peccati mortalis pertingere propter hanc sacri temporis circumstantiam, diserte non asserit *S. Augustinus.* Severiore igitur *Estii* opinione relicta, partem utramque Regulæ moralis, in qua versamur, *S. Thomæ* testimonio fulcimus in 4. *Sententiarum*, dist. 32. qu. 1. art. 5. quæstiuncula 1. „ „ Actus, *inquit*,

quit, matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad ſpiritualia. Et ideo in diebus, in quibus præcipue ſpiritualibus eſt vacandum, non licet petere debitum... Quamvis *enim quis* non teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur tota die ſe conſervare idoneum ad orandum „ „.

Secundam Regulæ noſtræ partem diſertis verbis confirmat quæſtiunc. 2. „ „ Petere debitum in die feſtivo, *inquit*, non eſt circumſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati; unde non poteſt in infinitum aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, ſi in die feſtivo debitum petat. Sed tamen gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſa petatur, quam ſi propter timorem, quo quis ſibi timet de lubrico carnis, debitum petat „ „. Narrat *S. Gregorius* lib. 1. *Dialogorum* cap. 20. Mulierem quamdam, quæ *Voluptate devicta*, commixta viro fuerat nocte præcedente, publicæ ſupplicationi ad Oratorii *S. Sebaſtiani* Dedicationem adfuiſſe, quia *Proceſſionem verecundia imperavit*: ob idque a diabolo fuiſſe arreptam Sed reſpondet *S. Thomas*, non fuiſſe punitam mulierem illam propter hoc, quod debitum reddidit; *Sed quia poſtmodum ſe temere ad Divina ingeſſit contra conſcientiam.* Judæis quidem legem accepturis præcepit Deus, ut ab uxoribus abſtinerent, *Exod.* 19. Sed inde non poteſt probari, *Quod ſit peccatum mortale* conjugale opus exercere temporibus ſacris; „ ſed „ quod ſit incongruum. Multa enim munditias car„ nis pertinentia exigebantur de neceſſitate præce„ pti in veteri Lege, quæ carnalibus dabatur, quæ non „ exiguntur in nova Lege, quæ eſt lex Spiritus „; (*inquit S. Thomas.*)

Quam autem incongruum ſit uxori copulari ſacris diebus, quibus orationi præcipue vacandum eſt, confirmatur ex Canone *Propoſuiſti*, Diſt. 82. delumpto ex *Innocentii I.* Epiſt. ad *Exuperium* Tolofanum Epiſcopum... „ „ Si beatus Paulus ad Corinthios ſcribit:

bit: *Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*; &, hoc utique Laicis præcepit; multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi conſortio abſtinere „„„. Idipſum varii Canones confirmant cauſa 33. quæſt. 4. ſcilicet Canon *Sciati*, S. Hieronymo adſcriptus: „„ Si panes, *inquit*, propoſitionis non poterant ab iis, qui uxores ſuas tetigerant comedi, quanto magis panis ille, qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari, atque contingi? Non quod nuptias condemnemus; ſed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debeamus „„.

Canon, *Quotieſcunque*, S. Auguſtino tributus: „„ Quotieſcunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ Feſtivitates adveniunt, ante plures dies non ſolum ab infidelium concubinarum conſortio, ſed etiam a propriis uxoribus abſtinete „„.

Canon, *Fratres*, ſub *S. Ambroſii* nomine citatus: „ Nullus omnino uxori ſuæ Jejuniorum diebus con„ jungatur „.

Canon, *Si cauſa*, ex Commentario in Epiſt. S. Pauli ad Corinthios ſub *S. Ambroſii* nomine edito: „„ Si cauſa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum; quia & dies Feſti, & dies proceſſionis, & ipſa ratio conceptus, & partus, juxta legem ceſſari temporibus his debere demonſtrant „„.

Verus Ambroſius Epiſt. 63. ad Vercellenſem Eccleſiam, Editionis noviſſimæ Pariſienſis: „„ Paulus etiam in ipſis conjugiis temperantiam docet; eſt enim velut quidam adulter incontinens in matrimonio, qui legem apoſtolicam prævaricatur „„.

Nicolaus I. in Reſponſis ad Conſulta Bulgarorum, cap. 63. „„ Si Dominico die (*inquit*) ab opere mundano ceſſandum eſt, quanto potius a voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cavendum? Præſertim cum Dominici diei nomen, quod nihil eo-

dem

dem die, præter quæ Domini ſunt, chriſtianus agere debeat, liquido manifeſtet. Porro idipſum eſt de nocturno ipſius diei, quod de diurno tempore ſentiendum unus eſt enim dies; Quadrageſimæ tempore ab uxoribus abſtinendum, cap. quinquageſimo idem Pontifex docet.

Concilii denique Tridentini Catechiſmus part. 2. *De matrimonii Sacramento*, num. 38. „ Sed quoniam (*inquit*) bona omnia ſanctis precationibus a Deo impetranda ſunt, Fideles docere oportet, Deum orandi, & obſecrandi cauſa matrimonii officio interdum abſtineant; in primiſque id ſibi obſervandum ſciant, tribus ſaltem diebus antequam ſacram Euchariſtiam percipiant, ſæpius vero cum ſolemnia Quadrageſimæ jejunia celebrantur, quemadmodum Patres noſtri recte, & ſancte præceperunt. Ita enim fiet, ut ipſa matrimonii bona majori in dies divinæ gratiæ cumulo augeri ſentiant „.

REGULA VII.

Lethalis peccati reus eſt, qui conjuge ita intemperanter utitur, ut intra conjugalem affectum non ſe contineat, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eadem, quamvis conjux non eſſet, libidinem ſuam explere, atque omnino voluptatem illam ſic amans, ut eam Dei timori anteponat.

De his enim *Tobiæ 6.* dicitur: *Qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Et Dominus in Evangelio: *Qui amat uxorem ſuam pluſ, quam me, non eſt me dignus.*

Idem confirmat *S. Hieronymus*, lib. 1. *adverſus Jovinianum*, verſus finem: „ Refert Seneca (*inquit*) cognoviſſe ſe quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum faſcia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præſentia ejus carere poterat; potionemque nullam niſi alterius tactam labris

vir,

vir, & uxor hauriebant; alia deinceps non minus inepta facientes, in qua improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quam ex honesta causa quis insaniat. Unde & Xistus in sententiis: *Adulter est* (inquit) *in suam uxorem amator ardentior*; in aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram „.

Idem confirmat *S. Ambros.* Epist. 63. ad Vercellensem Ecclesiam: „ Est enim (*inquit*) velut quidam „ adulter incontinens in matrimonio, qui legem apo„ stolicam prævaricatur „.

Idem docet *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, dist. 31. qu 2. art. 3. „„ Si (*inquit*) delectatio quæratur extra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat, quod conjux est, sed solum, quod mulier est, idem paratus facere cum ea, ac si non esset conjux, est peccatum mortale; & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii fertur. *Et in responsione ad primum*: Tunc voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretrice attenderet „„.

REGULA VIII.

Congressus cum uxore gravida peccatum est, & mortale quidem, si periculum sit perdendi fœtum, tametsi nondum animatum. Alias vero veniale.

Quicunque enim se lethalis peccati periculo exponit, lethaliter peccat. Hinc *S. Clemens Alexandrinus* lib. 2. *Pædagogi*, cap. 10. „„ Moyses (*inquit*) nullum unquam veterum Hebræorum induc it coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, & injusta, & a rationis aliena. Rursus au-

autem Moyſes abducit viros a prægnantibus, quoadusque peperetint... Matrix itaque ſitiens filiorum procreationem, ſemen ſuſcipit, probroſumque, & vituperandum negat coitum, poſt ſationem ore clauſo omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis verſabantur complexibus, intro converſæ, in procreatione ſobolis occupatæ, operantur una cum Opifice. Nefas eſt ergo operantem jam naturam adhuc moleſtia afficere, ſuperflue ad petulantem prorumpendo libidinem „„.

Idem docet *S. Ambr.* lib. 1. in Lucam „„ Pecudes quoque (*inquit*) muto quodam opere loquuntur generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi. Siquidem ubi ſemel gravem alvum ſibi ſenſerint, & genitali arvo ſemen receptum jam nec concubitui indulgent, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis adſumunt. At vero homines nec conceptis, nec Deo parcunt; illos contaminant, hunc exaſperant. *Prius quam te* (inquit) *formarem in utero, novi te*, &c. Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quaſdam tui auctoris in utero hominem formantis advertis. Ille operatur, & tu ſacri uteri ſecretum inceſtas libidine? Vel pecudem imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipſa a generandi opere ſæpe requieſcit; & ſi impatienti hominum ſtudio jactis frequenter feminibus occupetur, impatientiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem ſterilitate commutat „„.

Idem docet *S. Hieronymus* lib. 1. adverſus Jovinianum: „„ Certe (*inquit*) qui dicunt ſe cauſa reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus ſe exhibeant, ſed maritos „„ Et in cap. 5. Epiſt. ad Epheſios: „„ Omnis vir, & uxor intelligant, ſibi poſt conceptum magis orationi quam connubio ſerviendum; & quod in animalibus, & beſtiis ipſo naturæ jure præſcriptum eſt, ut prægnantes ad partum uſque non coeant, hoc in hominibus

ſciant

ſciant in arbitrio derelictum; ut merces eſſet ea abſtinentiæ voluptatum „ „.

Idem *S. Auguſt.* lib. *De Bono conjugali*, cap. 6. „ „ Sunt viri ulque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumque gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum „ „.

Jonas Aurelianenſis Epiſcopus lib. 2. *De Inſtitutione laicali*, cap. 7. „ „ Si cauſa prolis (*inquit*) uxor ducitur, & commixtio maris, & feminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri, poſtquam fructum oriundæ prolis tumefactus uxoris uterus indicaverit, quid coitus cum uxore, jam niſi æſtum libidinis demonſtrat? Nonne ab hujuſcemodi coitu abſtinere nolenti, quodammodo dicit Dominus: Si cauſa liberorum uxorem duxiſti, jam me operante adeptus es, quod voluiſti; ut quod operi meo morbidæ libidinis quidquam ſuperaddere præſumpſiſti? *Et infra*: Liquido igitur patet, quoniam ſicut clariſſimorum Doctorum dicta ſanciunt, & antiqui conjugati Patres in exemplum ſunt, prorſus a coitu uxorum prægnantium ſit abſtinendum „ „.

Idem confirmatur ex Romano Pœnitentiali tit. 7. cap 9. & 10. & ex Pœnitentiali *Bedæ*, cap. 2. & 10.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, diſt. 31. in expoſitione Textus. „ „ Ex hoc (*inquit*) imminet periculum abortus. Et ideo Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem imprægnatam; non tamen ita quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus „ „.

REGULA IX.

Illicita eſt petitio conjugalis debiti tempore infirmitatis menſtruæ, non tamen ita certum eſt, an reddere ſit illicitum, ſi conjux alter pertinaciter petat, & periculum peccati gravioris illi ex repulſa timeatur.

Prior

Prior pars Regulæ nititur verbis illis *Levitici*, cap. 20. *Qui cojerit cum muliere in fluxu menſtruo, interficientur ambo de medio populi ſui.* Quod præceptum figurate accipiendum *S. Auguſt.* negat lib. 3. *Quæſtionum in Leviticum*, cap. 64. Quia „ „ Hic poſitum eſt, ubi talia prohibita ſunt, quæ etiam tempore novi Teſtamenti, remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt. Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem ſignificaſſe, qui inter illa peccata, quæ non figuratæ, ſed manifeſtæ iniquitatis ſunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menſtruatam ſi quis accedat, & inter juſtitiæ merita ſi non accedat. Qua in re non natura damnatur, ſed concipiendæ proli noxium prohibetur „ „.

Idem confirmat *S. Hieronymus*, in cap. 18. Ezechielis. „ „ Per ſingulos menſes (*inquit*) gravia, atque torpentia mulierum corpora immundi ſanguinis effuſione revelantur; quo tempore ſi vir cum muliere coierit, dicuntur concepti fœtus vitium ſeminis trahere, ita ut leproſi, & elephantiaci ex hac conceptione naſcantur. Præcipitur ergo viris, ut non ſolum in alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abſtinendum ſit. Quod quidem
Eccle. 3. & Apoſtolus, & Eccleſiaſtes ſonant: *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* Caveat ergo & uxor, ne forte victa deſiderio coeundi, illiciat virum; & maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore ſubjectam ſibi eſſe debere conjugii voluptatem „ „.

Jonas Aurelianenſis, lib. 2. *De inſtitutione laicali*,
Rom. 15. cap. 10. „ „ Cum Apoſtolus dicat: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*; & Lex ſpiritualis ſit, & ſpiritualiter intelligi debeat, in hoc loco, ſicut præmiſſa ſanctorum Patrum documenta declarant, & ſuperficies literæ demonſtrat, ſalvo ſpiritali intellectu, viris omnino ab uxoribus menſtruum patientibus eſt abſtinendum „ „. Idem docet *Haymo Halberſtatenſis* Epiſcopus in cap. 64. *Iſaiæ.*

S. Thom.

S. Thom. in 4. *Sententiarum*, dist. 32. quæst. 1. art. 2. Quæstiunc. 2. priorem Regulæ hujusce moralis partem confirmat. „ „ Accedere (*inquit*) ad menstruatam, in lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam; tum propter nocumentum, quod in prole ex hujusmodi commistione frequenter sequebatur; & quoad primum, præceptum erat cæremoniale; sed quantum ad secundum, erat morale; quia cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis intenditur; & ideo hoc præceptum obligat etiam in nova Lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. *Et infra*: Quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere; & iterum talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus; unde prohibitum est ad talem accedere; & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere „ „.

In Pœnitentiali *Venerabilis Bedæ*, cap. 2. *De Fornicatione*, triginta dierum pœnitentia illi imponitur, qui ad uxorem tempore menstrui fluxus accesserit.

Regulæ partem alteram adstruit *S. Thom.* quæst. 3. „ „ Dixerunt quidam (*inquit*) quod mulier menstruata sicut non debet petere debitum, ita nec reddere; sicut enim non teneretur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere, ad vitandum periculum prolis; quia si mulier infirmatur, certissimum est, quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quæ forte nulla sequetur. Et ideo alii dicunt, quod mulieri menstruatæ nunquam licet petere debitum; si tamen vir ejus petat, aut petit scienter, aut ignoranter; si petit scienter, tunc debet eum avertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas incidendi, si ad id pronus credatur Si autem petit ignoranter, tunc mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum red-

reddat, niſi periculum viro timeatur; tamen finaliter ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti „„. Nec propterea mulier conſentire peccato viri cenſenda eſt: *Niſi voluntarie debitum reddat; quando enim eſt involuntaria, magis patitur quam conſentiat.* Redditionem, non minus quam exactionem debiti tempore infirmitatis menſtruæ peccatum eſſe mortale nihilominus ſentiunt *Scotus*, *Richardus a Media villa*, *Lyranus* in cap. 15. Levitici, Gloſſa capitis *Ad ejus*, diſt 5. *Petrus Soto* Lect. 16. De Matrimonio, *Eſtius* in 4. Sententiarum, diſt. 32. §. 9. *Heſſelius* 2. p. Catechiſmi, cap. 135. At venialiter duntaxat peccatum in reddente debitum agnoſcunt *S. Bonaventura*, & *Sylveſter Prieras.* Alii denique tam exigentem, quam reddentem, venialis tantum peccati reos eſſe cenſent, ſcilicet *Petrus a Palude*, diſt. 32. qu. 1. *Cajetanus* in Summa, verbo, matrimonium, *Franciſcus a Victoria*, *Dominicus Soto*, *Navarrus* Enchiridii cap. 16. *Alfonſus a Caſtro* lib. 1. *De Poteſtate Legis pœnalis*, cap. ultimo: in eamque opinionem inclinare videtur *S. Thomas* loco mox laudato, & eam propugnat *S. Antoninus* 3. part. tit. 1. cap. 20.

REGULA X.

Uſus matrimonii tempore puerperii illicitus eſt.

Tunc enim mulier minus apta eſt ad concipiendam prolem, & ſi concipiat, in peſſimo ſtatu naſcetur, propter immunditiam matris, naturæque debilitatem. Unde *S. Gregorius* lib. 12. Epiſt. 31. reſpondens interrogationi 10. *Auguſtini* Anglorum Epiſcopi: „„ Ad ejus (*inquit*) concubitum vir ejus accedere non debet, quouſque, qui gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum ſe continere nolunt,

lunt, deſpiciunt lactare, quos gignunt. Hæ itaque quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri; quippe quia, & ſine partus cauſa, cum conſuetis menſtruis detinentur, viris ſuis miſceri prohibeantur, ita ut morte Lex ſacra feriat, ſi quis vir ad menſtruatam mulierem accedat „„. S. Gregorii verba refert *Gratianus* in Decreto diſt. 5. Can. *Ad ejus*, ubi tamen Gloſſa recte admonet tempus ablactationis hic a *S. Gregorio* intelligi tempus poſt partum, quo mulier minus abundat lacte.

REGULA XI.

Ad conjugale debitum ſibi mutuo reddendum conjuges obligantur.

Ita docet Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Idem confirmat *S. Auguſtinus*, lib. *De Bono Conjugali*, cap. 6. „„ Debent ſibi conjugati non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem „„. Idem docent *S. Fulgentius*, Epiſt. 1. hoc argumentum tractans, & *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, diſt. 30. quæſt. 1. art. 3. „„ Sicut (*inquit*) tenetur vir uxori in actu conjugali, & diſpenſatione domus, ad id, quod viri eſt, ita uxor viro ad id, quod uxoris eſt. *Unde* ſunt æquales in reddendo, & petendo debitum „„.

REGULA XII.

Conjugale debitum petenti negare abſque juſta cauſa, lethale peccatum eſt.

Violatur enim juſtitia in re gravi; quia is, qui negat, ſubtrahendo corporis uſum, cujus poteſta-

tem in alterum per matrimonium tranſtulit, jure illum ſuo defraudat, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem*; adeoque peccatum injuſtitiæ committit, & quidem gravius, quam ſi rem alienam invito domino detineret. Præterea, ex debiti conjugalis negatione conjux alter in periculum incontinentiæ conjicitur, aliaque inde oriuntur mala, diſſenſiones, odia, rixæ, divortia, quamvis aliæ ſæpe cauſæ propter verecundiam prætexantur.

Id confirmat Chriſti ſententia. Matth. 5. *Qui dimittit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari.* Qui autem debitum negat, ſimilis eſt dimittenti, & proinde uxorem ſuam pariter mœchari facit, id eſt, occaſionem adulterii illi præbet, alteriuſve immunditiæ. Hinc *S. Auguſt.* lib. *De Bono conjugali*, cap. 6. „ „ Ad hoc (*inquit*) uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier; ut & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis, & incontinentiæ cauſa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent; ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante ſatana, propter incontinentiam, vel amborum, vel cujuſquam eorum „ „.

Verumtamen ratione circumſtantiarum fieri poteſt, ac ſæpe fit, ut negatio debiti venialis tantum culpa ſit, cum ſcilicet probabile eſt, non eſſe periculum incontinentiæ, vel negatio nimium diuturna, aut proterva non eſt; aut contra, ſi petitio multum intempeſtiva ſit, vel immoderata; aut denique ſit conjux alter non adeo anxie, & importune petat, neque ex negatione mœrorem, iramve concipiat.

Quoniam vero dixi, negationem debiti conjugalis abſque juſta cauſa, lethale peccatum eſſe, explicandæ ſunt ſequentibus Regulis legitimæ negandi cauſæ.

REGULA XIII.

Adultero conjugi debitum reddere conjux alter non tenetur.

Hanc exceptionem colligere licet ex verbis Christi, Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Jure quippe exigendi debitum excidit, & quoad hoc conjux esse desiit, qui fidem conjugalem non servavit.

REGULA XIV.

Reddere debitum conjux non tenetur cum detrimento suæ valetudinis.

Charitatis enim ratio postulat, ut suæ prius incolumitati quisque consulat, quam alterius corporali bono, & filiorum propagationi. Hinc *S. Thomas* in 4 *Sentent.* dist. 32. qu. 1. art. 1. ait: „ Vir tenetur uxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spectant; salva tamen prius personæ incolumitate „.

Et in responsione ad secundum: „ Uxor (*inquit*) non habet potestatem in corpus viri, nisi salva persona ipsius: unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio; & propter hoc vir non tenetur ei satisfacere „.

REGULA XV.

Conjux debitum reddere non tenetur quolibet loco.

Verecundia enim, & honestas prohibet, ne loco publico, aut quasi publico reddatur: Religio, ne in loco sacro. Hinc *Clemens Alexandrinus*, lib. 2. *Stromatum*, cap. 10. „ Cæterum (*inquit*) quibus uxores ducere concessum est, iis pædagogo opus fuerit, ut non interdiu mystica naturæ celebrentur orgia, nec ex Ecclesia, v. gr. aut ex foro mane rediens galli more coeat, quando orationis, & lectionis, & efficacium, quæ interdiu fiunt, operum tempus est.

Non ſemper autem concedit tempus natura, ut peragatur congreſſus matrimonii; eſt enim eo deſiderabilior conjunctio, quo diuturnior; neque vero noctu, tanquam in tenebris, immodeſte ſeſe, ac intemperanter gerere oportet; ſed verecundia, tanquam lux rationis, in animo eſt includenda... Si enim honeſtatem exercere oportet, multo magis tuæ uxoris honeſtas eſt oſtendenda, inhoneſtas vitando conjunctiones; & quod caſte cum proximis verſeris, fide dignum e domo adſit teſtimonium. Non enim poteſt aliquid honeſtum ab ea exiſtimari, apud quam honeſtas in acribus illis non probatur certo quaſi teſtimonio voluptatibus „„.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 32. qu. 1. art. 5. qu. 3. „„ Cum, *inquit*, mulier habeat poteſtatem in corpore viri, quantum ad actum generationis ſpectat, & e converſo, tenetur unus alteri debitum reddere quocunque tempore, & quacunque hora, ſalva debita honeſtate, quæ in talibus exigitur; quia non oportet, quod ſtatim in publico debitum reddat „„.

REGULA XVI.

Verecundiæ mulieris in redditione debiti vir conſulere debet.

Hanc Regulam explicat *S. Thomas*, loco mox indicato, art. 2. qu. 1. Petitur dupliciter, inquit: „„ Uno modo expreſſe, ut quando verbis invicem petunt; alio modo eſt petitio debiti interpretata, quando ſcilicet vir percipit aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet; & etiamſi non expreſſe verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expreſſa ſigna in uxore apparent voluntatis debitum petendi „„.

REGULA XVII.

Chriſtianas mulieres adhortari operæ pretium eſt, ut filios ſuos propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant.

Id

Id enim poſtulare videtur natura, quæ ipſarum ubera lacte auget, ut quos peperérunt, ſuo ipſæ lacte nutriant. Quæ huic officio deſunt, ex parte tantum ſunt matres, ut ait *Favorinus* Philoſophus apud *Aulum Gellium*, lib. 12. *Noctium atticarum*, cap. 1. Hinc S. Paulus: *Facti ſumus*, inquit, *parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos*, Non alienos filios, inquit, ſed ſuos: Filios certe non ita amant, nec eas viciſſim filii, quæ ipſos non lactarunt. Hinc Sara, Anna, Mater Machabæorum, Maria, ſanctæ aliæ feminæ filios ſuos propriis uberibus nutriverunt, nec facile in Scripturis ſacris reperias, quod aliquæ filios ſuos alienis nutricibus tradiderint. Hinc *Ambroſius*, lib. 1. *De Abraham* cap. 7. explicans hæc verba Gen. 21. *Quis annuntiabit Abraha quoniam lactet infantem Sara?* ait: „ „ Moralis locus. Provocantur feminæ meminiſſe dignitatis ſuæ, & lactare filios ſuos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios ſolent, quos ipſæ matres lactaverint uberibus ſuis „ „.

Matrum officium in filiis nutriendis.

1. Theſſ. 2.

Hinc *S. Gregorius*, interrogationibus *S. Auguſtini* Anglorum Epiſcopi reſpondens, ait: „ „ Prava in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; qui dum continere nolunt, deſpiciant lactare, quos gignunt „ „.

REGULA XVIII.

Religioſe ſervanda conſuetudo eſt, quam Fidelium pietas introduxit, ut mulieres poſt partum Eccleſiæ ſe ſiſtant, ſolemnibus precibus Deo commendandæ, & gratias acturæ.

De hoc ritu *Innocentius III.* cap. *Volens*, Ext. *De Purificatione poſt partum*, Armachano Archiepiſcopo ſic reſpondet: „ „ Licet ſecundum Le-

Purificatio poſt partum.

gem Moſaicam certi dies determinati fuiſſent, quibus mulieres poſt partum a templi ceſſarent ingreſſu; quia tamen lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod poſtquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, ſi mulieres poſt prolem emiſſam acturæ gratias Eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur; nec eſt Eccleſiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abſtinere, devotionem earum non credimus improbandam „„.

(In veteri Lege mulier a Templi, ſive Tabernaculi aditu abſtinere debebat triginta diebus, ſi maſculum peperiſſet, & ſexaginta ſex ſi feminam, ut legitur *Levitici* cap. 12. ſed lex illa cæremonialis abrogata eſt cum cæteris Moſaicæ Legis ritibus; nullamque legem tulit Eccleſia, qua mulier poſt partum ab ingreſſu templi abſtinere debeat. Lex tamen naturæ jubet, ut valetudinis ſuæ curam gerat, nec citius domo egrediatur, ne periculum vitæ, aut certe gravis infirmitatis incurrat. Pietas vero poſtulat, ut ſecundum Eccleſiæ morem, ut primum prodit in publicum, ad templum ſe conferat, ſeque ſiſtat Sacerdoti, Deo gratias actura ſui partus auctori, & ſanctificatori. Candelam, ſive cereum accenſum manu geſtant, cum illis benedicit Sacerdos, ut hoc ritu conteſtentur, ſe prolem ſuſceptam in Fide chriſtiana, & catholica, virtutumque chriſtianarum operibus inſtituere, eique exemplo prælucere velle. Ritus hic Purificatio dicitur, quia Eccleſiæ precibus, & humilitate, qua ſe templi aditu indignas cenſent, a culpis expiantur, quas in uſu matrimonii forte commiſerunt. Hæc autem benedictio meretricibus, concubinis, ſive aliis, quæ illicito concubitu peperierunt, merito negatur.

Ritus hic Purificationis poſt partum in Eccleſia parochiali, & a proprio mulierum parocho, vel Presbytero ab eo delegato fieri debet, ut decretum eſt a

ſacra

ſacra Congregatione DD. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum die 18. Novembris 1662. in cauſa parochorum, & Regularium Antuerpenſium.

CAPUT VI.

De Divortio.

Divortium eſt legitima conjugum ſeparatio, quæ fit, vinculo conjugii ſalvo manente. Quid ſit divortium.

Triplex eſt conjugum ſeparatio; prima quoad vinculum, quæ fit ſolemni Profeſſione alterutrius in religione per Sedem apoſtolicam approbata. Altera quoad thorum, ſeu copulam duntaxat. Tertia quoad thorum ſimul, & habitationem. Triplex conjugum ſeparatio.

Fide porro certum eſt, Eccleſiæ judicio ob multas cauſas divortium inter conjuges fieri poſſe, quamvis conſummatum ſit matrimonium, ut conſtat ex reſcriptis *Alexandri III.* & *Innocentii III.* Ext. *De Divortiis*, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. Can. 8. cujus hæc ſunt verba: „„ Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit „.„. Quibus autem de cauſis legitima conjugum ſeparatio fieri poſſit, ſubjectis Regulis explicabimus. Eccleſiæ judicio divortium inter conjuges fieri poteſt.

REGULA PRIMA.

Alterius conjugum adulterium eſt legitima divortii cauſa.

Id conſtat ex verbis Chriſti Matth. 5. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Adulterium cauſa legitima divortii.

Id confirmat *S. Auguſt.* libris duobus *De Conjugiis adulterinis*, qui quaſi principium certiſſimum ſupponunt, adulterium legitimam eſſe divortii cauſam. Atque inter alia hæc habet lib. 2. cap. 5. „„ Licite ita-

itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis. Sicut enim manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cujusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo; ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis; nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* dist. 35. quæst. 1. art. 1. „ „ Dominus, *inquit*, dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui servavit; ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui non servavit fidem „ „. Requiritur autem ad divortium faciendum adulterii certitudo saltem moralis, tantaque quanta opus esset ad condemnandum in criminali foro; qualis est, si conjux se ream fateatur, aut si nuda cum nudo, sola cum solo in uno lecto accubantes deprehendantur, aut multis secretis locis, & latebris ad fornicationem commodis, & horis electis, ut colligitur ex cap. *Literis*, Ext. *De Præsumptionibus.*

REGULA II.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, si reus ipse sit adulterii.

Hac enim in causa compensationi locus est. Id constat ex cap. *Significasti*, Ext. *De Divortiis*, quod est *Alexandri III.* responsum. „ „ Si notorium est, *inquit*, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet; nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse „ „. Idemque confirmat cap. *Intelleximus*, & cap. *Tua fraternitas*, quæ Responsa sunt *Innocentii III.*

Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sentent.* dist. 35. qu. 1. art 1. in responsione ad 2. „ „ Divortium, *inquit*, ex

ex causa fornicationis fit non accusante alium; & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine exstitit, quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest „ „. Hinc *S. Augustin.* lib. *De sermone Domini in monte*, cap. 28. ex quo sumptus est Can. *Nihil*, causa 32. qu. 6. ait: „ „ Nihil iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud: *In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.* Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de femina dixerim „ „. Rom. 2.

REGULA III.

Propter adulterium vir dimittere non potest uxorem, quam prostituit.

Hanc Regulam tradit, & superiores confirmat *Innocentius III.* cap. *Discretionem*, Ext. *De Divortiis*, cujus hæc sunt verba: „ „ Vir prior redire cogatur ad ipsam, & maritali eam affectione tractare; cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam etsi secundum Evangelicam veritatem, nunquam nisi propter fornicationis causam, aut vir uxorem, aut uxor possit dimittere virum, non tamen semper propter causam eamdem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cum possit exceptione, vel replicatione legitima impediri „ „.

Idemque confirmat cap. *Intelleximus*. Ext. *De Adulteriis*, Turonensi Archiepiscopo respondens. „ „ Mandamus (*inquit*) quatenus, (nisi tibi constiterit, vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterii etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit, (nisi testes, per quos viri adulterium est probatum, luc-

fuerint reprobati) cum matrimonii jus in utroque læſum conſiſtat, & paria delicta mutua compenſatione tollantur; nihilominus eum cogas, ut eam recipiat, & maritali affectione pertractet, alioquin mulieri ſilentium imponere non poſtponas „„.

Et cap. *Tua fraternitas*, ſub eodem titulo, cujus hæc ſunt verba; „„ Tua fraternitas requiſivit, utrum aliquo denegante uxori ſuæ in adulterio deprehenſæ debitum conjugale, ſi poſtmodum ipſe cum alia perpetret adulterium, manifeſte cogi debeat, ut eamdem maritali affectione pertractet. Super quo tibi reſpondemus, quod cum paria crimina compenſatione mutua deleantur, vir hujuſmodi fornicationis obtentu, ſuæ uxoris nequit conſortium declinare „„.

REGULA IV.

Vir uxorem ſuam dimittere non poteſt, quæ ipſum mortuum probabiliter credens propter longam ejus abſentiam, nupſit alteri, & de ejus vita certior facta, relictis adulterinis complexibus ad eum reverti voluit.

Hæc Regula colligitur ex can. *Cum per bellicam*, qui eſt *S. Leonis*, & can. *Cum in captivitate*, qui eſt *Innocentii I.* cauſa 34. quæſt. 1. necnon ex cap. *Dominus*, Extra, *De ſecundis Nuptiis*, quod eſt *Lucii III.* reſponſum.

REGULA V.

Uxorem, quæ fraudulenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante, viro dimittere non licet.

Hæc Regula colligitur ex can. *In lectum*, cauſa 34. qu. 1. qui Triburienſi Concilio tribuitur.

REGULA VI.

Uxorem dimittere vir non poteſt, ſi vi oppreſſa fuerit.

Illa enim a crimine immunis eſt: *Cum omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione car-*

coruis meus invita non pollui; ut dicitur can. *Ille autem*, qui eſt *S. Leonis*, cauſa 32. quæſt. 5. Atque in illa hypoteſi dici poteſt Canon: *Duo erunt, & unus adulterium commiſit.* Idem confirmant *Gratianus* in Appendice Canonis *Puto*, eadem cauſa, & quæſt. & *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, diſt. 25. qu. 1.

REGULA VII.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, ſi eam poſt adulterium perpetratum receperit, carnaliterque cognoverit.

Hanc Regulam colligit *S. Thomas* ex Canone *De Benedicto*, cauſa 32. quæſt. 1. qui *Pelagio* Papæ tribuitur.

REGULA VIII.

Vir uxorem adulteram ex livore, & ultionis libidine dimittens, procul dubio peccat.

Ita docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, diſt. 35. qu. 1. art. 1. ad primum. „ „ Vir (*inquit*) ſi dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat; ſi autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandam prolis incertitudinem, non peccat „ „.

REGULA IX.

Vir uxorem adulteram dimittere tenetur, ſi pœnitentiam non egerit.

Hæc Regula nititur Canone *Sicut*, cauſa 32. qu. 1. „ „ Sicut (*inquit*) crudelis eſt, & iniquus, qui caſtam dimittit; ſic fatuus eſt, & injuſtus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus eſt, qui crimen celat uxoris „ „. Et Canone, *Si quis*, biennii pœnitentia indicitur viro, qui uxorem adulteram, pœnitentia non expiatam, ac emendatam in thalamum receperit; eademque pœna infligitur uxori, quæ virum adulterum, non pœnitentem admiſerit.

rit. Canone, *Si quis*, ex Pœnitentiali *Theodori ſumptò*; ad triennium prorogatur pœnitentia illius, qui uxorem adulteram dimittere noluerit. Et Can. *Dixit Dominus*, qui ex *S. Hieronymi* verbis in cap. 19 *S. Matthæi* contextus eſt: „ „ Sola fornicatio eſt, quæ uxoris vincit affectum; imo cum illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura: *Qui adulteram tenet, ſtultus, & impius eſt.* Ubicunque eſt igitur fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, libere uxor dimittitur „ „.

Prov. 18.

Eadem Regula confirmatur ex cap. *Si vir*, Ext. *De Adulteriis*, quod Arelatenſi Concilio tribuitur, Aurelianenſi vero in prima Collectione antiqua ab *Antonio Aug.* edita: „ „ Si vir (*inquit*) ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa; reus erit, & ejus peccati particeps „ „. Idem docet *S. Thomas* in 4. *Sententiarum*, diſt. 35. qu. 1. art. 2. ad ſextum: „ „ Uxor (*inquit*) non tantum peccat in virum; ſed etiam in ſe ipſam, & in Deum; & ideo vir non totaliter poteſt pœnam dimittere, niſi emendatio ſequatur „ „.

REGULA X.

Vir uxorem adulteram, pœnitentem, & emendatam recipere poteſt, chriſtianæque pietati conveniens eſt, ut recipiat; ſed non tenetur.

Hæc Regula nititur cap. *Si vir*, mox citato: „ „ Quod ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe recipere peccatricem „ „ Debet (inquam) debito convenientiæ, & honeſtatis, non debito conſcientiæ, & neceſſitatis, ut explicat Gloſſa, quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio, ut colligitur ex canone *Admonere*, cauſa 33. qu. 2. Itaque ſi conjux innocens hanc injuriam ſponte non condonet, liber in perpetuum a conjugali de-

debito manet, adeoque re juridice probata, non modo dimittere poteſt conſortem invitum; ſed religioſam vitam (ſi lubet) profiteri, vel ſacros Ordines ſuſcipere, ut conſtat ex can. *Agathoſa*, cauſa 27. qu. 2. ex cap. *Conſtitutus*, & cap. *Veniens*, Ext. *De Converſione Conjugatorum.* Sic *S. Paulus* cognomento *Simplex* uxorem in adulterio deprehenſam dimiſit, vitamque monaſticam ſub *S. Antonii* diſciplina profeſſus eſt, ut refertur *Hiſtoriæ Lauſiacæ* cap. 28.

Hanc Regulam confirmat *S. Th.* in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 2. „ „ Dimiſſio (*inquit*) uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam; pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præceſſit; & ideo ſi mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere „ „.

Quam ſit autem conveniens Chriſtiano reconciliatio cum conjuge poſt adulterium pœnitente, docet *S. Auguſt.* lib. 2. *De Conjugiis adulterinis*, c. 6. „ „ Quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur conjugi conjux, ſi fides adſit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel Baptiſmate ablutos, vel pœnitentia credimus eſſe ſanatos? Hæc crimina in vetere Dei Lege nullis ſacrificiis mundabantur, quæ novi Teſtamenti ſanguine ſine dubitatione mundantur; & ideo tunc omni modo prohibitum eſt ab alio contaminatam viro recipere uxorem... Nunc autem poſteaquam Chriſtus ait adulteræ: *Nec ego te damnabo, vade, deinceps noli peccare*, quis non intelligat debere ignoſcere maritum, quod videt ignoviſſe Dominum amborum, nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimine divina credit miſeratione deletum „ „. Joann. 8.

Et cap. 9. „ „ Si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis ſalus fideliter, & humiliter cogitetur, non erit turpis, neque difficilis, etiam poſt perpetrata, atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remiſſio

pec-

peccatorum; non ut poſt viri divortium adultera revocetur, ſed ut poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur. Verum ecce non fiat, nemo compellit, quia forte lex aliqua hujus ſeculi vetat ſecundum terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non eſt abolitio criminum per Sanguinem ſanctum. Suſcipiatur ergo continentia, quam nulla lex prohibet; in alia non eatur adulteria. Et quid ad nos, ſi nec ſaltem divina miſeratione mundata marito reconcilietur adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiant quaſi connubia, quæ convincuntur eſſe adulteria „„? Hujuſmodi autem reconciliatio cum adultera conjuge proprio judicio fieri poteſt, quamvis divortii ſententia ab Eccleſia lata fuerit: *Cum quilibet ad renuntiandum juri ſuo liberam habeat facultatem;* ut dicitur c. *Ex conſcientia*, Ext. *De crimine falſi.*

REGULA XI.

Vir proprio judicio uxorem adulteram dimittere non poteſt; ſed eccleſiaſtici Judicis ſententia divortium decerni debet.

Nullus enim in eadem cauſa actor eſt, & judex. Vir autem in cauſa adulterii adverſus uxorem actor eſt, ut conſtat ex cap. *Maritis.* Ext. *De Adulteriis*, quod Concilio Pariſienſi tribuitur: proprio itaque judicio illam dimittere non poteſt, ſed expectari debet Judicis eccleſiaſtici ſententia, ut ſancitum eſt can. *Seculares*, cauſa 33. q. 1. qui Carthaginenſi Concilio a *Gratiano* tribuitur, cum ſit Agathenſis Canon 25. „„ Seculares (*inquit*) qui conjugale conſortium nulla graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præſumant; ſi antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſa dixerint, & priuſquam in judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint, a Communione ſanctæ Ecclecle-

cleſiæ, & populi cætu, pro eo, quod fidem, & conjugia maculant, excludantur „„.

Et Canone *Multorum*, cauſa 35. qu. 6. *Alexander II.* Guilielmo de Monaſteriolo reſcribit: „„ Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætexentem conſanguinitatis occaſionem. Unde apoſtolica Auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes, uxorem nullatenus præſumas dimittere, donec Epiſcoporum religioſorum Concilium cauſam iſtam examinaverit „„.

Et cap. *Porro*, Extr. *De Divortiis*, Alexander III. Ambianenſi Epiſcopo ſic reſpondet: „„ De Comite Pontivi, qui B uxorem ſuam abſque judicio Eccleſiæ dimiſit; quia eam cognatam fuiſſe uxoris defunctæ proponit, prudentia tua cognoſcat, quod ſi etiam parentela eſſet publica, & notoria, abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit; quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtricte compellas; quam ſi recipere noluerit, eum, & ſuperinductam vinculo excommunicationis adſtringas „„.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 1. „„ Vir (*inquit*) poteſt dimittere uxorem dupliciter: uno modo quantum ad thorum tantum; & ſic poteſt eam dimittere, quam cito ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur, & taliter reddens nullum ſibi præjudicium facit; alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem; & hoc modo non poteſt dimitti niſi judicio Eccleſiæ, alias ſi dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, niſi poſſit ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimiſſio divortium dicitur; & ideo concedendum eſt, quod divortium non poteſt celebrari niſi judicio Eccleſiæ „„.

REGULA XII.

Mulieres adulteræ, quas mariti ad meliorem frugem converſas recipere noluerint, in monaſteriis ad perpetuam pœnitentiam agendam ſunt collocandæ.

Hanc Regulam canone *De Benedicto*, cauſa 32. qu. 2. traditam *Gregorius XI.* cap. *Gaudemus*, Ext. *De Converſione Conjugatorum*, confirmat. „ „ Mulieres vero (*inquit*) quæ relicto maritali thoro, lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint recipere propter Deum; in clauſtris cum religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant „ „.

REGULA XIII.

Par jus eſt viri, & uxoris in cauſa divortii, adeo ut uxor non minus dimittere poſſit virum adulterum, quam vir uxorem.

In divortio par jus viri, & uxoris.

Hæc Regula nititur Canone *Præcepit*, cauſa 32. qu. 5. qui ex *S. Hieronymi* Epiſtola ad *Oceanum* de morte *Fabiolæ* ſumptus eſt. „ „ Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus... Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur „ „.

Et Canone *Si quis uxorem*, eadem cauſa, & quæſt. „ „ Si quis uxorem ſuam invenerit adulteram, & poſtea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat, ideo quia cum adultera commiſtus ſit, quæ adhuc crimine ſuo non eſt purgata... Similiter ſi virum ſuum uxor invenerit adulterum, non ad imparia judicatur „ „.

Et Canone, *Chriſtiana* qui ex Epiſtola *Innocentii I.* ad *Exuperium* excerptus eſt. „ „ Chriſtiana (*inquit*) reli-

religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant; & non habent latentia peccata vindictam: Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt „ „.

Idem docet *S. Auguſt.* Serm. 392. alias 49. ex Homiliis quinquaginta. „ „ Nec eam feminam (*inquit*) quæ per repudium diſceſſit a marito, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis cauſa licet uxorem adulteram dimittere; ſed illa vivente non licet alteram ducere. Et vobis, feminæ, nec illos viros, a quibus per repudium diſceſſerunt uxores eorum, maritos habere conceditur, non licet; adulteria ſunt, non conjugia. Contemnitur Auguſtinus, timeatur vel Chriſtus. Commendo vos cuſtodiendos etiam uxoribus veſtris. Filiæ meæ ſunt, ſicut & vos filii mei eſtis. Audiant me; zelent viros ſuos, non ſibi ſervent vanam gloriam, qua ſolent a maritis impudicis Matronæ laudari, quia impudicitiam virorum ſuorum æquo animo ferunt Nolo talem patientiam habeant chriſtianæ mulieres: prorſus zelent viros ſuos, non propter carnem ſuam, ſed propter animas illorum. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego jubeo: Epiſcopus jubet, Chriſtus in me jubet... Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico, judices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem, ſed Chriſtum. In cæteris omnibus ancillæ eſtote virorum veſtrorum, ſubditæ ad obſequium. Nulla ſit in vobis protervitas, nulla ſuperbia, non contumelioſa cervix, non aliqua inobedientia; prorſus tanquam ancillæ ſervite. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos beatus Apoſtolus æquavit, dicens: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro;* ſubintulit: *Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.* Qui te extollis, audi quod ſequitur: *Similiter & vir non habet corporis ſui poteſtatem, ſed mulier.* Ubi ad hoc ventum fuerit, clamate pro re veſtra. Aurum tuum vendit maritus pro neceſſitate ſua; 1. Cor. 7. 3. & 4.

ſua; ferto femina, ferto ancilla; noli litigare, noli contradicere. Contemptus auri tui, dilectio eſt viri tui. Si villam tuam pro neceſſitate ſua vendat... ferto patienter; & ſi dubitat, tu offer: contemne omnia propter amorem viri tui. Sed caſtum opta, pro caſtitate litiga. Patienter pereat villa tua, non anima ipſius te patiente pereat. Non dico viris, ut in hac cauſa zelent uxores ſuas. Scio, quia faciunt, novi. Quis ferat uxorem adulteram? Et imperatur feminæ, ut ferat adulterum virum? O juſtitia! Quare, rogo te, Quare? Quia ego ſum vir? Vir es? In fortitudine tua probemus, quia vir es, vir es, vince libidinem „„. Quæ quidem licet a *S. Auguſt.* eo animo non dicantur, ut chriſtianæ mulieres viros ſuos in adulterium lapſos dimittant, ſed ut eos corrigere ſtudeant, & Eccleſiæ denuntient pœnitentiæ addicendos; ſupponit tamen ab uxoribus eodem jure poſſe dimitti, quo ipſi uxores adulteras dimittere poſſunt.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 4. „„ In cauſa (*inquit*) divortii vir, & uxor ad paria judicantur; ut idem ſit licitum, & illicitum uni, quod alteri. Non tamen pariter judicantur ad illa; quia cauſa divortii eſt major in uno, quam in alio; cum tamen in utroque ſit cauſa ſufficiens ad divortium: divortium enim eſt pœna adulterii, in quantum eſt contra matrimonii bona; quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter ſibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, ſicut adulterium alterius; & hæc cauſa in utroque ſufficit ad divortium; ſed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri; & ideo major cauſa divortii eſt in uxore, quam in viro; & ſic ad æqualia, ſed non ex æquali cauſa obligantur; nec tamen injuſte, quia in utroque eſt cauſa ſufficiens ad hanc pœnam „„.

REGULA XIV.

Uxor a viro dimiſſa propter adulterium, ad eum redire tenetur, ſi revocata fuerit.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 6. ad tertium. „„ Illud (*inquit*) quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium; unde cum divortium ſit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem; unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, ſi fuerit revocata; niſi de licentia ejus votum continentiæ emiſerit „„. Hinc Regula juris 61. in ſexto: „ Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum „.

REGULA XV.

Vir cogi non poteſt ad recipiendam uxorem adulteram, quamvis ipſe adulterium poſt divortii ſententiam ab eccleſiaſtico jure latam commiſerit.

Ita docet *S. Thomas* ibidem in reſponſione ad 4. „„ Propter adulterium, *inquit*, quod vir prius innocens poſt divortium committit, ſecundum rigorem juris non debet cogi ad recipiendam uxorem adulteram: prius tamen, ſecundum æquitatem juris Judex ex officio ſuo debet eum monere, ut caveat periculo animæ ejus, & ſcandalo aliorum, quamvis uxor non poſſit reconciliationem petere „„.

REGULA XVI.

Vir occulti adulterii reus divortium ab uxore, cujus publicum adulterium eſt, ſine peccato petere non poteſt; & dimiſſam, judicis licet eccleſiaſtici ſententia, recipere tenetur, ac maritali affectu tractare.

Ita docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in reſp. ad 5. „„ Si adulterium viri ſit occultum, *inquit*, per hoc non aufertur jus excipiendi contra accuſationem viri uxori adulteræ, quamvis deſit ei probatio; & ideo peccat vir divortium petens; & ſi poſt

ſententiam de divortio uxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque „ „.

Idem docet *S. Antoninus* 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. „„ Si vir, *inquit*, eſt adulteratus occulte, uxor manifeſte, non poteſt vir ſine peccato uxorem dimittere; quia uxori non deficit excipiendi jus, ſed probatio. Si tamen vir egiſſet pœnitentiam, & uxor nollet agere, ſed perſeveraret in adulterio, poſſet ſine peccato accuſare, & dimittere „ „.

REGULA XVII.

Divortium peti, decerni, ac fieri poteſt ob lapſum alterius conjugum in hæreſim, vel apoſtaſiam.

Hæreſis, vel apoſtaſia cauſa eſt legitima divortii.

Hæc Regula nititur cap. *De illa*, quod *Urbani III.* & cap. *Quanto*, quod *Innoc. III.* reſponſum eſt, Ext. *De Divortiis*. Et can. *Idololatria* ſupra citato, ſeu verbis *S. Auguſt.* lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, c. 16. „„ Idololatria, *inquit*, quam ſequuntur infideles, & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt. Dominus autem permiſit cauſa fornicationis uxorem dimitti. *Et infra*: Si aliquem cogat uxor ſacrificare idolis, qui talem dimittit, cauſa fornicationis dimittit, non tantum illius, ſed & ſuæ; illius, quia fornicatur; ſuæ, ne fornicetur „ „.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 1. in reſponſ. ad 3. „„ Quia *inquit*, infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiam eſt contra matrimonii bonum, quod eſt proles educanda ad cultum Dei, etiam ipſa facit divortium: ſed tamen aliter, quam corporalis fornicatio, quia propter unum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur „ „.

REGULA XVIII.

Juſta divortii cauſa eſt, ſi conjugum alter alterum inſtigat ad mortale peccatum, nec admonitus deſiſtit.

Ju-

Juſta enim divortii cauſa eſt, ſi conjugum unus alterum *ad infidelitatis maleficium traxerit, ſeu* Fidei illius *religionem corrumpere velit*; (inquit *Alexander III.* c. *Quæſivit*, Ext. *De Divortiis.*) At religio non ſolum in fidei ſinceritate, ſed in morum fidei reſpondentium integritate poſita eſt; nec omnimode fideles ſunt, qui Deum ſe noſſe oretenus confitentur, factis autem negant. Igitur juſta pariter divortii cauſa eſt, ſi conjugum alter alterum inſtigat ad mortale peccatum, nec admonitus deſiſtit. Pervicax inſtigatio ad mortale peccatum, juſta eſt divortii cauſa.

Id confirmat *S. Antoninus*, 3. p. tit. 1. cap 21. §. 7. divortium faciendum eſſe aſſerens: „„ Quando unus conjugum trahit alterum ad crimen: ita quod licet non cogatur peccare, tamen propter periculum ſuæ fragilitatis, ne conjugalis ſocietas ipſum pertrahat ad peccatum, teneatur ad illud; *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; &c.* Si enim cum periculo corporis non tenetur manere, multo minus cum periculo animæ; & ſicut non tenetur propter periculum infidelitatis cohabitare cum infideli; ita nec propter periculum aliorum criminum, licet ad nullum poſſit cogi. Et licet iſtud ſit gravius quam alia, tamen minimum periculum mortalis peccati præponderat maximo periculo corporis; licet in hoc ſit diſſimile, quod invito aufertur vita corporis, non animæ „„. Matth. 5.

REGULA XIX.

Ob unius conjugum crimina, ex quibus alteri nullum probabiliter imminet animæ, corporiſve periculum, divortium fieri non poteſt.

Hæc Regula nititur cap. *Quæſivit*, mox indicato, cujus hæc ſunt verba: „ Reſpondemus, quod „ mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui, ab eo „ ſeparari non debet „. Eamque confirmat *S. Antoninus*,

REGULA XX.

Sævitia conjugis juſta divortii cauſa eſt; necnon furor ita vehemens, ut conjux alteri cohabitando vitæ diſcrimen ſubeat.

Sævitia conjugis, juſta eſt divortii cauſa.

Hæc Regula nititur cap. *Literas*, Ext. *De Reſtitutione ſpoliatorum*, quod *Innocent. III.* reſponſum eſt: „ „ Si tanta ſit, *inquit*, viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolum non debet illi reſtitui, ſed ab eo potius amoveri „ „.

REGULA XXI.

Si divortii ſententiam per errorem latam compertum fuerit, conjux, qui illam obtinuit, reconciliari tenetur conjugi, & affectu conjugali cohabitare.

Ita decernit *Alexander III.* cap. *Lator*, Ext. *De Sententia, & re judicata*; cujus hæc ſunt verba: „ „ Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit, eos per judicium Eccleſiæ non fuiſſe legitime ſeparatos, Eccleſiamque deceptam, ipſos faciatis ſicut virum, & uxorem in ſimul permanere „ „.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. *Sentent.* diſt. 35. qu. 1. art. 5. in reſponſione ad 3. ubi de uxore a viro adultero per judicis eccleſiaſtici ſententiam ſeperata „ „ Poteſt, *inquit*, continentiam vovere, viro invito, niſi videatur Eccleſiam deceptam fuiſſe per falſos teſtes ſententiando de divortio; quia in tali caſu, etiamſi votum Profeſſionis emiſiſſet, reſtitueretur viro, & teneretur debitum reddere, ſed non liceret ei exigere „ „.

CA-

CAPUT VII.

De ſecundis nuptiis.

Secundas nuptias damnarunt olim Montaniſtæ, & Novatiani hæretici, quorum error his Apoſtoli verbis 1 ad *Corinth.* 7. refellitur: *Dico autem non nuptis, & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant.* Et 1. ad *Timoth.* 5. De Viduis junioribus loquens: *Volo ergo*, inquit, *juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia.* Secundæ nuptiæ ab hæreticis damnatæ.

Secundas etiam, imo & ulteriores nuptias Chriſtianis indulgeri teſtantur SS. Patres, *Chryſoſtomus* Homil. 19. & 20. in Epiſt. S. Pauli ad Epheſios, *Epiphanius* Hæreſibus 48. & 59. *Theodoretus* lib. 5. *Hæreticorum Fabularum*, cap. 26. *Hieronymus* Epiſt. ad *Geruchiam*, & in Apologia ad *Pammachium* pro libris adverſus Jovinianum; *Ambroſius* lib. de Viduis, *Auguſtinus* lib. *De Bono Viduitatis*, cap. 11. & 12. aliique Patres iſtos ſecuti. Et ſacra Synodus Nicæna, Oecumenica prima inter *Catholicæ*, & *apoſtolicæ Eccleſiæ Dogmata*, quæ ſcriptis profiteri debent Cathari, ſive Novatiani ad Eccleſiam redeuntes, can. 8. in primo loco numerat; *Bigamis communicare.* Quamquam omnes, qui ad ſecundas & ulteriores nuptias convolabant, quædam olim Eccleſiæ pœnitentiæ publicæ addixerint, ut conſtat ex Conc. Neocæſarienſi, can. 3. ex Laodiceno can. 1. & ex *S. Baſilio* Epiſt. ad *Amphilochium* can. 4. Quæ diſciplina non ideo inſtituta, & uſurpata fuit, quod ſecundæ & ulteriores nuptiæ malæ cenſerentur, ſed ut frœnum injiceretur incontinentiæ, quæ ad ſecundas, & ulteriores nuptias ut plurimum impellit. Hinc ſecundum matrimonium non eſſe bonum Patres quidam dixere: „„ Non quia ſit illicitum, ſed quia caret illo honore ſignificationis, qui eſt in primis nuptiis, ut ſit una unius, ſicut eſt in Chriſto, & Eccleſia; *ſpectaruntque* cauſam, quæ aliquando ſolet ad ſecundas nuptias incitare, Secundæ nuptiæ chriſtianis indulgentur. Pœnitentiæ publicæ olim ſubjecti; qui ad ſecundas nuptias convolabant. Qua de cauſa.

ſcilicet concupiſcentiam „„; (inquit *S. Thom. in 4. Sentent.* diſt. 42. qu. 3. art. 1. in reſponſione ad primum, & ſecundum.)

Hanc ob cauſam Bigamos ab Ordinibus arcet Eccleſia, quia licet ſecundum matrimonium ſit verum Sacramentum, a primi tamen myſtica ſignificatione deficit, cum non ſit una unius, ſicut eſt in matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ. Et ratione etiam hujus defectus benedictio ſecundis nuptiis ſubtrahitur. Hinc Neocæſarienſe Conc. ut refertur can. *De bis, quæ frequenter*, cauſa 31. qu. 1. prohibuit, ne Presbyteri convivio ſecundarum nuptiarum interſint. „„ Homines *enim* Divinis dediti non ſolum ab illicitis, ſed etiam ab illis, quæ habent aliquam turpitudinis ſpeciem arcentur; & ideo etiam arcentur a ſecundis nuptiis, quæ carent honeſtate, quæ erat in primis „„; *inquit S. Thomas* loco mox indicato, in reſp. ad tertium.

Presbyteris prohibitum ne convivio ſecundarum nuptiarum, intereſſent.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Sacerdos ſecundas nuptias benedicens, ubi præſertim mulier ſecundo nubit, ipſo jure ab officio, & beneficio eſt ſuſpenſus.

Pœna Sacerdotis ſecundas nuptias benedicentis.

Ita decrevit *Alexander III.* c. *Capellanum*, Ext. *De ſecundis Nuptiis*, benedictionem ſecundis nuptiis impertiri prohibet etiam *Urbanus III.* cap. *Vir autem*, *ſub* eodem titulo: *Cum*, inquit, *alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.* Idem vetant Synodus Lingonenſis anno 1404. & Pariſienſis anno 1557. Quarumdam tamen Eccleſiarum ritu ſecundæ nuptiæ benedicuntur, cum vir ſecundam uxorem virginem ducit, ut notant Gloſ. canonis *Vir autem*, & *S. Carol.* in inſtructionibus de Sacramento matrimonii. „„ Caveat, *inquit*, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat; ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas

cundas nuptias tranſeat. Si vero ea conſuetudo uſquam eſt, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea utendum eſt. Sed Viduæ nuptias non benedicat, etiam ſi ejus vir nunquam duxerit „ „.

REGULA II.

Vidua intra annum luctus ad ſecundas nuptias convolans nulla notatur infamia.

Hanc quidem pœnam leges civiles Viduis intra annum luctus nubentibus irrogarunt *L.* 1. *C. de ſecundis Nuptiis. Nov.* 22. cap. 40. Sed illi legum aſperitati indulgentia eccleſiaſtica prævaluit ex Apoſtoli mente, ut docet *Urbanus III.* c. *Super illa*, Ext. *De ſecundis Nuptiis*, ſcribens: *Cum Apoſtolus dicat: Mulier viro ſuo mortuo ſoluta eſt a lege viri ſui; in Domino nubat, cui voluerit. Per licentiam, & auctoritatem Apoſtoli ejus infamia aboletur.* Idem confirmat *Innoc. III.* c. *Cum ſecundum*, ſub eodem titulo: „ „ Non debet, *inquit*, legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quia licet poſt viri obitum intra tempus luctus ſcilicet unius anni ſpatium nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate; cum in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari „ „. Rom. 7.

Nec tantum pœna infamiæ, ſed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra Viduas intra annum luctus nubentes legibus civilibus decretæ hodie ſublatæ ſunt, & antiquatæ; nec eſt deterior conditio Viduæ intra annum, & poſt annum nubentis.

REGULA III.

Graviter peccant, qui publicis ludibriis, *Charivary* vulgo nuncupatis, ſecundo nubentibus inſultant.

Hic enim ludus turpis, inſolens, noxius, bonis moribus contrarius, nuptiis ſecundis detrahit, & Sacramentum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus honoravit, & honorari præcipit, vertere videtur

tur in deriſum. Quapropter excommunicationem, & mulctam in illius ludi actores, & complices decreverunt Conc. Andegavenſe anno 1448. tit. *De Ludis prohibitis*, Synodi Lingonenſes anno 1421. & 1455. & Synodi Trecenſes, necnon ſtatuta Remenſis Eccleſiæ, apud L. *Bochellum*, lib. 3. *Decretorum Eccleſiæ gallicanæ*; tit. 6. *De ſecundis Nuptiis.*

Conc. provinciale Narbonenſe anno 1609. c. 22. „ „ Prohibeant, *inquit*, Epiſcopi ludos, qui imprudenter in contemptum ſecundarum nuptiarum a permultis fieri ſolent Carivarios vulgo appellatos; contumaces, & inobedientes pœna excommunicationis coerceant „ „.

CAPUT VIII.

De comparatione Matrimonii cum Virginum, & continentium ſtatu.

Hæretici ſunt, qui ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, aut cœlibatus propugnant.

Statum virginitatis, & cœlibatus non eſſe anteponendum ſtatui matrimonii, nec majoris eſſe apud Deum meriti Virgines, aut Viduas, quæ continentiam perpetuam Deo voviſſent, quam conjugatas, hæreſis eſt olim a *Joviniano* propugnata, a *S. Hieron.* libris duobus, a *S. Ambroſio* Epiſt. 42. & *S. Auguſt.* lib. de *S. Virginitate* confutata; a *Siricio* romano Pontifice, univerſaque Eccleſia damnata, ut ex illius Epiſt. ad Mediolanenſem Eccleſiam, & ex *S. Ambroſ.* Synodique Mediolanenſis gratulatoria ad eumdem Pontificem Epiſtola compertum eſt. *Jovinuani* errorem a *Bucero*, *Brentio*, *Calvino*, aliiſque peſtibus ſuſcitatum, ſacra Synodus Tridentina confixit ſeſſ. 24. *de Matrimonio*, can. 10. cujus hæc ſunt verba: „ Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui Virginitatis, vel Cœlibatus; & non „ eſſe melius, ac beatius manere in Virginitate, aut „ Cœlibatu, quam in matrimonio; anathema ſit „. Statum ſcilicet Virginitatis, Viduarum, conjugumque ſtatui diſertis verbis anteponit Apoſt. 1. ad *Corinth.* cap.

cap. 7. *Qui jungit matrimonio virginem ſuam*, inquit, *bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Et rurſus: *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt; ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Et paulo poſt de Vidua loquens, ait: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium: puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Hanc doctrinam Apoſtolis, & per eos Eccleſiæ Chriſtus tradidit, *Matth.* 19. cum ait: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.*

De myſticis illis Eunuchis loquitur *Iſaias*, cap. 56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Cum dicit: *Dabo eis locum multo meliorem*, oſtendit & conjugatis dari, ſed multo inferiorem; (inquit *S. Auguſt.* lib. *de S. Virginitate*, cap. 24.) Nomen æternum ſe eis daturum promittit. Æternum hoc nomen, quidquid illud eſt, gloriam quamdam propriam, excellentemque ſignificat, quæ non erit communis cum multis, quamvis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis. Nam ideo fortaſſis, & nomen dictum eſt, quod eos, quibus datur, diſtinguit a cæteris. Virgines, & cœlibes, mares ac feminæ, Dominum cogitant uberius, ſperant felicius, illi ſerviunt inſtantius, amant ardentius, illi placent attentius: afferent ad Nuptias Agni Canticum novum, quod cantabunt in citharis ſuis, quod nemo præter ipſos cantare poterit. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit, in ſaltus, & prata, ubi gramina ſunt gaudia; non gaudia hujus ſeculi vana, inſaniæ mendaces, nec gaudia, qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed a cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudia Virginum Chriſti. Virginitas Chriſti.

„ ſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chri-
„ ſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia
„ propria Virginum Chriſti, non ſunt eadem non Vir-
„ ginum, quamvis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed
„ nullis talia „. Chriſtum in eo quiſque ſequitur, in quo
„ imitatur; non in quantum ille Filius Dei eſt unus,
„ per quem facta ſunt omnia; ſed in quantum filius
„ hominis, quæ oportebat, in ſe præbuit imitanda;
„ & multa in illo ad imitandum omnibus proponun-
„ tur; virginitas autem carnis non omnibus; non
„ enim habent, quid faciant, ut virgines ſint. Se-
„ quantur itaque Agnum cæteri Fideles, qui virgini-
„ tatem corporis amiſerunt, non quocunque ille ie-
„ rit, ſed quouſque ipſi potuerint. Poſſunt autem
„ ubique, præter cum in decore virginitatis incedit.

Viduitatis bonum conjugio præſtantius.

Viduitatis bonum quod ſpectat, illud conjugio eſſe præſtantius probat idem S. Doctor lib. *De Bono Viduitatis*, ex quo hæc excerpta eſt ſententia: „ Et bonum
„ eſt pudicitia conjugalis, ſed melius bonum eſt con-
„ tinentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni ſub-
„ miſſione honoratur; non illud bonum melioris hu-
„ jus laude damnatur „. Idipſum probat *S. Ambroſius* lib. *de Viduis*.

His adde præclarum S. Epiphanii teſtimonium in Expoſitione catholicæ Fidei adverſus hæreſes, cap. 21. „ „ Fundamentum (*inquit*) ac velut crepido quæ-dam in Eccleſia virginitas eſt, quæ a pleriſque colitur, & obſervatur, & in illuſtri quadam gloria ac prædicatione verſatur. Virginitatem ſolitaria vita proxime ſequitur; quam in pleriſque ſexus utriuſque Monachis videmus. Secundum hanc continentia ad idem pietatis curriculum fundata eſt, ac ſtabilita. Deinde Viduitas cum diligenti, attentaque cautione, & caſta, ſinceraque vitæ ratione conjuncta. Poſt gradus illos, & ordines ſuum quoque locum obtinent honeſtæ Nuptiæ, quæ magno in honore ſunt; præſertim ſingulares, & minime repetitæ, quæ præceptorum obſervationi ſtudent „ „.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Viduis ſuadendum eſt, ut in ſtatu Viduitatis maneant; a ſecundis tamen nuptiis non ſunt prohibendæ.

Vidualis caſtitas ſuadenda, nec imponenda.

Vidualis enim caſtitatis, ſicut & virginalis, conſilii eſt, non præcepti, ut poſt Apoſtolum docet *S. Ambroſ.* lib. *de Viduis*, cap. 11. Dicimus, inquit, nec ſumptibus agere Viduas, quæ donare conſueverint, ut evangelicæ Viduæ probat exemplum, quæ in gazophylacium plus omnibus miſit; nec ſubſidio, a quibus læpe in periculis maximis defenſæ copiæ ſunt virorum, ut *Judith & Debbora* egregia facinora demonſtrant; maritalia iis quoque officia, vel a generis, vel a proximis facile ſolere reparari, ut ex hiſtoria *Ruth* compertum eſt, ubi *Noemi* vidua apud piam nurum, & ſolatium mœroris, & ſubſidium pauperta-tis invenit; & exemplo ſocrus Simonis, cui *Petrus* ipſe, & *Andreas* impetrarunt a Domino ſanitatem. Promptior ergo in Viduas divina miſericordia; & ideo cum ſuppetere non videatur cauſa nubendi, ſtudium abeſſe debet. „ Quod tamen *inquit S. Ambroſius*, pro conſilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potius Viduam, quam ligantes; neque enim prohibemus ſecundas nuptias, ſed non ſuademus. Alia eſt enim infirmitatis contemplatio, alia gratia caſtitatis. Licet ergo nubere, ſed pulcrius eſt abſtinere„. Vidualis itaque caſtitatis ſtatus *non ponitur, ſed præponitur.* Id enim diſcriminis eſt præceptum inter, & conſilium. „ Præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur. Ubi præceptum eſt, ibi lex eſt; ubi conſilium ibi gratia eſt. Præceptum, ut ad naturam revocet: conſilium, ut ad gratiam provocet... En tibi diſtantia præcepti, atque conſilii, ſi illum recorderis, cui in Evangelio ante præſcribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falſum teſtimonium dicat; præceptum etenim ibi eſt, ubi eſt poena peccati: at vero

Diſcrimen inter præceptum, & conſilium.

cum

cum ſe præcepta legis memoraſſet impleſſe, conſilium eidem datur, ut vendat omnia, & ſequatur Dominum; hæc enim non pro præcepto imperantur, ſed pro conſilio deferuntur. Duplex namque forma mandati eſt; una præceptiva, altera voluntaria. Unde & Dominus in alia dicit: *Non occides*, ubi præcipit; in alia: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia tua.* Ergo hic liber eſt a præcepto, cui defertur arbitrium „„. Præceptum ita Viduis non datur eo in ſtatu manendi; conſilium datur. Diſcrimen iſtud præcepti, atque conſilii *S. Auguſt.* confirmat lib. *de ſancta Virginitate*, c. 30. „„ Tollite, *inquit*, hoſtias quiſque ſuas, & introite in atria Domini, non ex neceſſitate, poteſtatem habentes veſtræ voluntatis. Neque enim ſicut: *Non mœchaberis, non occides*, ita dici poteſt: *Non nubes.* Illa exiguntur, iſta offeruntur. Si fiunt iſta, laudantur, niſi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem ſi quid amplius erogaveritis, reddet vobis „„. Merito itaque *S. Ambroſius* lib. *de Viduis*, c. 11. rurſus ſcribit: „„ Menſura oneris pro menſura debet eſſe geſtantis, alioquin impoſiti oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas eſt; nam & infantium fauces ſtrangulat eſca robuſtior. Et ideo ſicut multitudo vectorum non paucorum viribus æſtimatur; nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præſcribitur, ſed unicuique quantum oneris ſubire cupiat, relaxatur, manente mercedis cumulo in virtutis augmento; ita etiam feminis non laqueus injiciendus, non ſupra vires abſtinentiæ gravioris vectura ſubeunda eſt; ſed relinquendum, ut unaquæque ſe pendat, non auctoritate aliqua coacta præcepti, ſed incrementi gratia provocata „„.

Deut. 5. Matth. 5. Matth. 19. 21.

Rationes quibus Viduæ a ſecundis nuptiis deterreri poſſunt.

Plurimæ ſunt autem rationes, quibus a ſecundis nuptiis deterreri poſſint viduæ, præſertim illæ, quæ filias habent jam pene nubiles, aut filios ex priori marito ſuſceptos. Primo indecentia; unde *S. Ambroſius* lib. *de Viduis*, cap. 10. „„ Cur, *inquit*, maternæ parantur nuptiæ inter nuptias filiorum, & plerum-

tumque poſt nuptias? Cur, adulta filia diſcit prius ſponſum matris, quam ſuum erubeſcere. Quid ſibi vult nova nupta poſt generos? Quam indecorum eſt juniores habere liberos, quam nepotes „ „?

Secundo, liberorum amor; unde idem *Ambroſius*, c. 15. „ „ Cur beredes quæris extraneos, cum habeas tuos? Non filios deſideras, quos habes; ſed ſervitutem, quam non habes... Moleſta pietas, ut amare liberos metuas, adſpicere liberos erubeſcas; atque inde oriatur cauſa diſcordiæ, unde ſolet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis non fratres futuros tuorum, ſed adverſarios filiorum. Quid eſt ergo generare alios liberos, niſi ſpoliare, quos habes, liberos; quibus pariter auferuntur, & pietatis officia, & compendia facultatum „ „?

Eamdem rationem urget *S. Hieron.* Epiſt. 10. ad *Furiam*, de Viduitate ſervanda. „ „ Solent, *inquit*, adoleſcentulæ viduæ, quarum nullæ abierunt retro poſt ſatanam, cum luxuriatæ fuerint in Chriſto nubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit; majorum hæreditas diſſipatur; ſervus contumelioſe locutus eſt, imperium ancilla neglexit. Quis procedet ad publicum; quis reſpondebit pro agrorum tributis, pavulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit? Et hanc, proh nefas! cauſam opponunt matrimonii, quæ vel ſola debuit nuptias impedire. Superducit mater filiis non nutritium, ſed hoſtem; non parentem, ſed tyrannum Inflammata libidine, obliviſcitur uteri ſui; & inter parvulos ſuas miſerias neſcientes, lugens dudum nova nupta componitur. Quid obtendis matrimonium? Quid ſuperbiam ſervulorum? Confitere turpitudinem. Nulla idcirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat. Aut ſi certe libido non ſtimulat, quæ tanta inſania eſt, in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, ut augeantur divitiæ; & propter rem vilem, atque perituram pudicitia, quæ pretioſa, & æterna eſt, polluatur? Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem? Rem

incertam certo præfers pudori. Scribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, ut poſt paululum teſtamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas; & quod te morituram facere volet, ipſe victurus faciet; aut ſi venerit, ut ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aſpicere oculis, quos genuiſti. Clam porriges cibos, invidebit mortuo, & niſi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod ſi de priore uxore ſobolem habens, domum te introduxerit; etiamſi clementiſſima fueris, omnes Comœdi, Mimographi, & omnes Rhetorum loci in novercam ſæviſſimam declamabunt. Si privignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis ut malefica. Si non dederis cibos, crudelis; ſi dederis, venefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni ſecundæ nuptiæ, ut hæc mala valeant compenſare „ „.

Viduarum chriſtianarum officia.

Tertio deterrendæ ſunt viduæ a ſecundis nuptiis ſanctarum mulierum exemplo; ſed maxime vidualis ſtatus excellentia, in quo beatiorem eſſe perſeverantiam, non tantum ſuo conſilio, ſed etiam Dei ſpiritu, Apoſtolus definivit. Legantur *S. Ambroſ.* lib. *de Viduis*, cap. 19. *S. Hieron.* Ep. laudata, & *S. Auguſt.* lib. *de Viduitatis bono.*

REGULA II.

Non ſola caſtitas corporis, ſed magna, & uberrima diſciplina virtutis Viduam chriſtianam comendare debet.

Viduarum chriſtianarum officia.

Hanc Regulam tradit S Paulus 1. ad *Timoth.* cap. 5. *Si qua Vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim acceptum eſt coram Deo. Quæ autem vere vidua eſt, ac deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint... Vidua eligatur... Quæ fuerit*

rit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Vides (inquit *S. Ambroſ.* lib. *De Viduis* cap. 2.) quam multas virtutum comprehenderit diſciplinas; primum pietatis officium; ſecundum hoſpitalitatis ſtudium, & humilitatis obſequium; tertium miſericordiæ miniſterium, liberalitatiſque ſubſidium; ad ſummam omnis executionem boni operis flagitavit.

Viduarum exemplar *Anna Prophetiſſa*, quæ *vixerat* Luc. 2. 37. *cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor; quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, ac die.* Vides qualia vidua prædicetur, *cui diverſorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio;* (inquit *S. Ambroſius* cap. 4.) Orandi ſtudium Orationes. diligentius viduis in Scriptura ſacra commendatum. „„ Hinc Dominus cum ſemper ad orandum, & Lucæ 18. non deficiendum nos hortaretur, viduam commemoravit, quæ licet iniquum, & impium judicem, ac Dei, & hominum contemptorem ad audiendam caulam ſuam aſſidue interpellando convertit. Quam ergo præ cæteris viduæ debent vacare orationibus, ſatis hinc intelligi poteſt, quod omnibus ad ſuſcipiendum orandi ſtudium de viduis propoſitum eſt exhortationis exemplum „„, (ut obſervat *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. *ad Probam.*)

Orationi comes adjungi debet temperantia, jeju- Temperantia, & jeniumque. Temperantia virtus eſt feminarum. „ Eſto junia. „igitur vidua temperans: caſta primum a vino, ut „caſta poſſis eſſe ab adulterio „; (*inquit S. Ambroſius* cap. 7. lib. *de Viduis.*) Hinc S. Hieronymus, *Furiam* nobilem viduam inſtituens: „„ Quidquid facit ſeminarium voluptatum, *inquit*, venenum puta. Parcus cibus, & venter ſemper eſuriens triduanis jejuniis præfertur. Et multo melius eſt quotidie parum, quam raro ſatis ſumere. Quando comedis, cogita, quod ſtatim tibi orandum, illico & legendum

ſit. De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum; illum penſum Domino tuo redde „„ Et *S. Auguſt.* Epiſt. mox indicata: „„ Pertinet ad vidualem curam, deliciæ ſi affluant, ne apponas cor, in eis putreſcendo moriatur, quod ſurſum debet eſſe, ut vivat... Debes præ amore veræ vitæ, etiam deſolatam te putare in hoc ſeculo, in quantalibet ejus felicitate verſeris. *Et rurſus*: Deliciæ ſpiritales deliciis carnalibus in S. caſtitate ſuccedant, lectio, oratio, pſalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, ſpes futuri ſeculi, & cor ſurſum: atque in his omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo ſine ulla dubitatione omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſcriptura teſte, deſcendit. Nam quando pro deliciis nuptarum, quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in ſolatium uſus aſſumitur, quid ego dicam, quæ ſequantur mala, cum breviter Apoſtolus dixerit: Viventem mortuam eſſe viduam, quæ in deliciis vivit „„?

Eleemoſyna. Eleemoſyna jejunio, & orationi a vidua chriſtiana jungi debet. Hinc *S. Auguſt.* lib. *de Bono Viduitatis*, c. 21. „„ In vobis, *inquit*, amor divitiarum ſimul frigeſcat cum amore nuptiarum; & pius uſus rerum, quas poſſidetis, ad ſpirituales delicias conferatur, ut liberalitas veſtra magis ferveat adjuvandis egenis, quam ditandis avaris. In theſaurum quippe cœleſtem non mittuntur dona cupidorum, ſed eleemoſynæ pauperum, quæ in immenſum modum orationes adjuvant viduarum „„. Viduæ locupletes uberes eleemoſynas erogent; quibus angusta res eſt, laborent ut ſibi, filiis, pauperibuſque neceſſaria comparent. „„ Bona & illa plane laborioſa ſtipendia caſtitatis, quæ de ſuo opere, quotidianoque penſo conferet vidua, nocturnis pariter, ac diurnis jugi exercens labore penſa temporibus, & pudicitiæ quæſtuoſæ pervigili opere mercedem congregans; ut intemeratum defuncti conjugis cubile cuſtodiat, alere dulces liberos poſſit, miniſtrare pau-

peri-

peribus. Hæc eſt præferenda divitibus; hæc eſt, quæ Chriſti judicium non timebit „„; (inquit *S. Ambroſius* lib. *de Viduis*, cap 5,) Dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum eſt: *Vidua hæc plus omnibus miſit.* In quo moraliter Dominus inſtituit univerſos, ne quis a collatione miniſterii paupertatis pudore revocetur; nec ſibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam pauperes. „„ Uberior eſt enim nummus e parvo, quam theſaurus e maximo; quia non quantum detur, ſed quantum reſideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quam quæ nihil ſibi reliquit... Denique nulla plus tribuit, quam illa, quæ de filiorum alimentis pavit Prophetam. Et ideo quia nulla plus contulit, nulla plus meruit „„. Luc. 21.

REGULA III.

Viduæ chriſtianæ bonæ famæ curam gerere debent, non liberiori converſatione pravis ſuſpicionibus, & ignominioſis rumoribus occaſionem præbere.

Ita *Furiam* inſtituit *S. Hieronym.* Epiſt. 10. „„ Juvenum fuge conſortia. Comatulos comptos, atque laicivos domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur ut noxius. Fidicinas, & pſaltrias, & illiuſmodi chorum diaboli, quaſi mortifera Syrenarum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli in publicum ſubinde procedere, & viduarum circumferri libertate. Peſſimæ conſuetudinis eſt, cum fragilis ſexus & imbecilla ætas ſuo arbitrio abutitur, & putat licere quodlibet. Omnia quidem licent, ſed non omnia expediunt... Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur. Sanctarum virginum, & viduarum ſocietatem appete. Et, ſi ſermocinandi cum viris incubuerit neceſſitas, arbitros ne devites, tantaque confabulandi fiducia ſit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubeſcas „„. Et Epiſtola ad *Salvinam*, De ſervanda Viduitate. „„ Tenera res, *inquit*, in feminis fama pudicitiæ eſt, quaſi flos pulcherrimus, cito ad le-

levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur; maxime ubi & ætas conſentit ad vitam, & maritalis deeſt auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris eſt. Quid facit vidua inter familiæ multitudinem, inter miniſtrorum greges? Quos nolo contemnat, ut famulos, ſed ut viros erubeſcat, &c. Habeto tecum viduarum, & virginum choros, habeto tui ſexus ſolatia „ „.

Eamdem Regulam confirmat *S. Auguſtinus*, lib. *de Bono Viduitatis*, cap. 22. „ „ In omnibus ſane ſpiritualibus deliciis, *inquit*, quibus fruuntur innuptæ, ſancta earum converſatio tanta etiam debet eſſe, ne forte cum mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam. Nec audiendi ſunt, ſive viri ſancti, ſive feminæ quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam ſit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam viam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non impudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei. quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita ſanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit; quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra; & utique etiam, quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat
2. Cor. 8. utilitatem. Unde non fruſtra Apoſtolus: *Providemus*, inquit *bona, non ſolum coram Deo, verum etiam*
1. Cor. 10. *coram hominibus.* Item dicit: *Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi*
Philip. 4. *fiant.* In quadam etiam exhortatione dicit: *De cætero, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque ſancta, quæcunque juſta, quæcunque caſta, quæcunque amabilia, quæcunque bona fama, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc*

cogi-

cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Cernis quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere: *Quæcunque bonæ famæ*; duobuſque verbis cuncta concluſerit, ubi ait: *Si qua virtus, ſi qua laus.* Ad virtutem namque pertinent, quæ antea memoravit bona; fama vero ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus... Sed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis, & laudis, unum propter ſe ipſum ſapientiſſime retinebat, alterum propter alios miſericordiſſime providebat „ „.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, ET MORALIS SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI Concilii Tridentini

LIBER TERTIUS.

DE PECCATIS, ET VIRTUTIBUS.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PECCATIS.

Elicta quis intelligit? (inquit Propheta) Difficilis ſane peccatorum tractatio, & explicatio; & tamen eccleſiaſticis viris maxime neceſſaria, cum Sacramentorum, quorum miniſtri ſunt, ac diſpenſatores, quædam ad remiſſionem peccatorum per ſe ſint inſtituta, ſcilicet Baptiſmus, pœnitentia, extrema Unctio; & Legi Dei, cujus ſunt interpretes, æternæque hominum ſaluti, cujus adjutores ſunt, ac procuratores, hæc monſtra capitaliter adverſentur. Cum vero Sacerdotibus omnibus neceſſaria ſit accurata peccatorum cognitio; tum maxime rectoribus animarum, & conſcientiarum moderatoribus, qui in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ frequentes ſunt; quod miniſterium exercere, ut par eſt, nequeunt, niſi crimina noverint, quorum judices in ſacro Tribunali ſedent, Chriſti nomine, ac auctoritate, niſi morborum naturam, & qualitates perſpectas ha-

habeant, quos ex divinæ medicinæ Regulis, Christique præscripto curare debent. In iis præsertim explicandis Theologia moralis versatur, cujus institutum sequemur, sepositis scholasticis Quæstionibus. Nonnulla tamen, quæ Dogma spectant, & quæ Sacerdotibus ignorare non licet, de originali peccato, de peccati causa, effectibus, pœnis, de venialis a mortali peccato discrimine, breviter delibabimus, sine quibus peccati definitio, & divisio plene intelligi non possit.

CAPUT PRIMUM.

De Peccati definitione, & divisione.

ARTICULUS PRIMUS.

Peccati divisio in originale, & actuale; & originalis definitio, ac propagatio explicatur.

Quid peccatum, & quotuplex.

Peccatum est Dei offensa, sive injuria Deo irrogata. Aliud est originale, aliud actuale. Originale dicimus, quod per originem contrahitur; actuale, quod actu proprio, ac propria voluntate committitur. Hæc notio nominum, sed res ipsa diligentius, & accuratius explicanda est.

Definitio peccati originalis.

Peccatum originale est privatio justitiæ originalis, per communem originem, seu propagationem in omnes homines, ab uno homine, scilicet Adamo totius humani generis capite, ac primo parente derivata.

Dicitur *Privatio*, quod ipsi cum actuali peccato commune est; peccatum enim naturam, essentiam subsistentem non esse, sed boni privationem, constans est Patrum doctrina *SS. Dionysii*, lib. *de divinis Nominibus*, cap. 4. *Athanasii Oratione* contra gentes, *Basilii* Hom. 9. *Gregorii Nazianz.* Orat. 40. *Ambrosii* lib. *de Fuga seculi*, cap. 4. *Augustini* lib. 7. *Confessionum*, cap. 12. ubi ait: „„ Quæcunque sunt, bona sunt: malumque illud, quod quærebam, unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bo-

num eſſet. *Et c. 16.* Quæſivi quid eſſet iniquitas, & non inveni ſubſtantiam; ſed a ſumma ſubſtantia te Deo detortæ in infimam voluntatis perverſitatem ,,,,. Ac paſſim contra Manichæos docet, nullam eſſe mali naturam. Iſtud catholicæ Fidei dogma eſſe *S. Leo* tradit Epiſtola alias 93. nunc 15. ad *Turribium* Aſturicenſem Epiſcopum, c. 6. ,,,, Fides vera, quæ eſt catholica, *inquit*, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: quia Deus, qui univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum facit ,, ,,. In hoc igitur peccatum originale cum omni genere peccatorum convenit, quod ſit privatio.

Dicitur *Privatio juſtitiæ originalis*. quo veluti caractere differt a cæteris peccatis. Erat autem juſtitia originalis eximium quoddam donum, quod gratiam, virtuteſque complectebatur omnes; & quod primo homini ſtatim in ipſa origine a Deo infuſum, mentem ejus Deo, vires inferiores animæ rationi, corpus animæ ſubjiciebat, ita ut anima nullis perturbationibus repugnantibus Deo obediret, nullaque in membris adverſus legem mentis concupiſcentiæ lex inſurgeret. Donum illud, velut effectus cauſam, ſequebatur impaſſibilitas corporis, & immortalitas. Donum illud ſupernaturale, quo primus homo in ſemetipſo rectus dicebatur, ob præclarum facultatum ejus ordinem inter ſe, & ad Deum, non ſibi uni, ſed univerſo hominum generi Adamus acceperat, ita decernente Deo, qui in eo velut hominum cæterorum ab ipſo propagandorum primo parente, & capite, poſterorum omnium voluntate conſtituit; adeo ut ſi in gratia perſeveraſſet, juſtitiam eamdem, ejuſque appendices, largiente Deo, omnes homines cum anima ipſa in prima ſui origine accepiſſent. Verum in peccatum prolapſus, præclaro illo dono, cœleſtique indumento a latronibus, Angelis ſcilicet noctis, ac tenebrarum expoliatus, plagiſque graviſſimis, ignorantia ſcilicet veri, difficultate boni operandi, ex

volun-

voluntatis infirmitate, & perduelli adverſus legem mentis concupiſcentia conſurgente, ac inſuper moriendi neceſſitate, affectus, ac vulneratus in via ſemivivus relictus eſt. Juſtitiam porro originalem non ſibi ſolum, ſed poſteris omnibus amiſit, profligavit. *In illo* enim omnes *peccaverunt*, quia *omnes ille unus fuerunt*, ut loquitur *S. Auguſt.* In Adamo quippe, ut omnium hominum primo parente, & capite natura illa inſita erat, in qua eos gignere poterat, quamvis nondum agerent vitas proprias. Lib. 2. De peccatorum meritis, c. 10. lib. 3. c. 7. lib 2. De nuptiis, & concup. c. 5. & alibi.

Quam dicimus juſtitiæ originalis privationem, *S. Auguſt.* ſæpe vocat *Concupiſcentiæ reatum.* Non enim concupiſcentia ipſa originale peccatum eſt, quia manet in baptizatis ad agonem, cum tamen nihil ſit damnationis iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, ſed reatus concupiſcentiæ. Concupiſcentiæ enim *Manet actus, tranſit reatus*; cum per Baptiſmum reatus ille, ſeu labes originalis, quæ nos reos efficit, Deique inimicos, dimittatur, ac deleatur.

II. Privationem illam juſtitiæ originalis, peccatum illud originale, per communem originem, ſeu propagationem in omnes homines ab uno homine, ſcilicet Adamo, derivari, & transfundi, dogma Fidei eſt, a ſummis Pontificibus *Innocent. I.* & *Zoſimo*, a Synodis Dioſpolitana, Africanis, Arauſicana II. & Tridentina definitum, ſeſſ. 5. canon. 2. & 4. quorum hæc ſunt verba. Peccatum originale in omnes transfundi, dogma fidei eſt.

„ „ Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam a Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiam nobis perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, anathema ſit: cum contradicat Apoſtolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* „ „. Rom. 5.

„ „ Si

„ „ Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiare ad vitam æternam conſequendam... Anathema ſit „ „.

III. Non *Imitatione* porro, ſed *propagatione* in omnes homines transfundi labem illam originalis peccati, dogma pariter fidei eſt. Et certe Apoſtolus c. 5. Ep. ad *Romanos*, mox indicato antitheſim inſtituens inter Chriſtum, & Adamum, ſic per primum hominem invectum peccatum aſſerit, ſicut per Chriſtum collata juſtitia eſt. *Igitur*, inquit, *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, Ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Juſtitiam autem a Chriſto imitatione ſola acceptam non eſſe, manifeſtum eſt; cum & veteres Sancti, qui Chriſtum præceſſerunt, ideoque non potuerunt eum imitari, juſtitiam tamen ſuam ipſi acceptam referant; & parvuli, qui Chriſtum cognoſcere, adeoque imitari non poſſunt, per ipſum tamen juſtificentur. Itaque nec per primum hominem peccatum in cæteros aditum habuit imitatione ſola; ſed ſicut Chriſtus occulta gratiæ ſuæ inſpiratione juſtos nos efficit, ita & Adamus occulta naturæ depravatione, corruptela, tabe, nos conſtituit peccatores.

Sed & aliis Scripturæ locis nititur Eccleſiæ catholicæ fides de peccato originali, ſcilicet Davidis oraculo, Pſal 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea.* S. Hieron. vertit, *in iniquitate*, ſecundum vim hebraicæ vocis. Nec vero iniquitatum, in quibus conceptus eſt, nomine, parentum peccata intellexit David; cum ex ſancto conjugio, non ex adulterio, aut fornicatione ſuerit progenitus. Fulcitur dogma catholicum

&

& Jo. Baptiſtæ Chriſtum indigitantis oraculo (Joan. 1.) *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Peccatum a S. Præcurſore expreſſum, commune mundo, id eſt, hominibus omnibus, peccatum eſt; ad quod præcipue tollendum, & remittendum Filius Dei carnem aſſumpſit. Idem confirmatur ex Ep. 2. S. Pauli ad *Cor.* cap. 5. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Ex hoc enim Apoſtoli ratiocinio certiſſime colligitur, omnes, & ſingulos homines, etiam ipſos infantes, mortuos eſſe morte peccati; ſiquidem Chriſtus, qui pro mortuis duntaxat, id eſt, pro peccatoribus mortuus eſt, pro parvulis etiam eſt mortuus. Item ex Epiſtolæ ad *Epheſios* c. 2. *Eramus*, inquit Apoſtolus, *natura filii iræ, ſicut & cæteri.* Id eſt, a prima naturæ noſtræ origine, ſive ex nativitate, non ex conſuetudine, & imitatione, iræ Dei, ac vindictæ obnoxii eramus. Iræ porro, ac vindictæ Dei obnoxius nemo eſt, niſi ob peccatum; naſcuntur igitur omnes homines cum peccato. Hæc loca Eccleſia catholica ubique diffuſa ita ſemper intellexit, ut ex Patrum omnium conſentientibus teſtimoniis compertum eſt, quibus etiam originale peccatum *S. Auguſt.* probavit in libris adverſus Pelagianos editis. Plurima de hoc fidei Dogmate ex doctrina Patrum ſuppeditabit diſſertatio noſtra *De peccato originali contra Pelagianos*, quæ prima eſt in Panoplia adverſus hæreſes ſeculi 5. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ* ejuſdem ſeculi p. 2.

Rationes peccati originalis in omnes homines tranſfuſionem probantes.

IV. Idem confirmant rationes graviſſimæ, quibus Pelagianum errorem *S. Auguſt.* impugnavit, eliſit. Prima ſumitur ex forma Baptiſmi, & ſacris ritibus Eccleſiæ in eo jam ab antiquo uſurpatis ante Pelagianorum ortum. Cur enim in remiſſionem peccatorum confertur, ſemperque collatus eſt Baptiſmus etiam infantibus, ſi nullo peccato ſunt obſtricti? Quorſum exorciſmi, & exſufflationes, & abrenuntiatio

vitæ. Sic reſpondet *S. Auguſt.* lib. *6. contra Julianum*, cap. 24.

VII. Fruſtra vero quis objiceret, ſine voluntate nullum eſſe poſſe peccatum; nullum ergo eſſe in parvulis, qui propriæ voluntatis, liberique arbitrii uſum non habent. In promptu enim reſponſio eſt, ſine voluntate propria nullum eſſe peccatum propriæ actionis; ſine voluntate aliena nullum eſſe peccatum originis. Peccatum itaque originale non eſt ſine voluntate primi hominis, qua ſeminatum eſt, ut & in illo eſſet, & in omnes tranſiret, ut loquitur *S. Auguſt.* lib. 2. *De Nupt. & Concupiſcentia*, cap. 28. Nam „ Fuit „ Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo „ omnes perierunt „: inquit idem Pater lib. 1. *Operis imperfecti contra Julianum*, cap. 46. Quæ *S. Ambroſii* verba ſunt, ut ibidem monet. Sicut ergo Iſrael erat in lumbis Abraham patris ſui, quando eſt decimatus, id eſt, quando decimas dedit Melchiſedech de præcipuis. & ideo etiam in illo decimatus fuit, ſive decimas dedit, ut ratiocinatur Apoſtolus ad *Hebræos* cap. 7. ita in lumbis Adam fuerunt omnes, qui ex illo fuerant per concupiſcentiam carnis oriundi, adeoque Adamo peccante, & ipſi ejus voluntate peccaverunt. Hinc *S. Auguſt.* lib. 1. *Retractationum* cap. 13. ait: „„ Et illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non abſurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodammodo hæreditarium „„.

Explicatur, qua ratione fieri poſſit, ut parentes baptizati peccatum originale tranſfundat in filios.

VIII. Verum, inquies, qua ratione fieri poteſt, ut parentes baptizati peccatum originale, quod ipſis dimiſſum eſt, transfundant in filios? Illud enim transfundere non poſſunt, quod non habent.

Reſp. Etſi id humana ratione comprehendi non poſſit, non minus verum eſſe, nec minus credendum; cum a Deo, qui ſumma veritas eſt, nec fallere poteſt, aut falli, ſit in Scriptura ſacra, & Traditione revelatum. Nam & in ipſa natura multa Deus occultare voluit, quorum rationem aſſequi non poteſt humana

mana mens. Utcunque tamen id explicari poteſt obviis exemplis. Si enim palea, quæ tanta diligentia ſeparatur a tritico, manet in fructu, qui de purgato tritico naſcitur, ſi de olea naſcitur oleaſter; ſi præputium, quod per circumciſionem aufertur, manet in eis, quos generant circumciſi homines; ſi ex Chriſtianis non Chriſtiani generantur; quid mirum, ſi peccatum, quod mundatur per Baptiſmum, in eos transfundatur, quos gignunt baptizati, vi quadam tabifica concupiſcentiæ? „ „ Renovati namque parentes, non ex primitiis novitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter gignunt; & filii ex parentum reliqua vetuſtate toti vetuſti, & in peccati carne propagati, damnatione veteri homini debitum Sacramento ſpiritualis regenerationis, & renovationis evadunt „ „; (*inquit S. Auguſt.* lib. 2. *de Peccatorum Meritis, & Remiſſione*, cap. 27.) Qui & prolatis mox exemplis traductionem originalis peccati a parentibus, quibus in Baptiſmo dimiſſum eſt, explicat lib. 3. cap. 8. & lib 6. *Contra Julianum*, cap. 6. & 7. Ex concupiſcentia, inquam, carnis „ „ Gignitur peccator adhuc actu nullus, & ortu novus, ſed reatu vetus; homo a Creatore, captivus a deceptore, indigens Redemptore. Ex hac concupiſcentia, quod naſcitur, utique mundo, non Deo naſcitur! Deo autem naſcitur, cum ex aqua, & Spiritu ſancto renaſcitur; hujus concupiſcentiæ reatum regeneratio ſola dimittit, quem generatio trahit „ „? (*inquit idem Doctor* lib. 1. *de Nuptiis, & Concupiſcentia* cap. 19.)

IX. Anima quidem pura, & innocens a Deo creatur, & creando corpori infunditur; ſed ut primum infuſa eſt, in eo tanquam in vitiato vaſe corrumpitur; ſicut ſi flos in loco fœtido feratur, quamtumvis natura ſua pulcher ſit, & elegans, vitium quoddam atque labem inde contrahit. Et ſicut anima, ſi corpori vulnerato, vel flammis circumdato, & ardenti conjungeretur, mox doleret; ita cum infundatur corpori, in quo peccati quoddam germen eſt, quia ab Ada-

mo propagatum fuit, & fiat pars hominis ex Adamo progeniti, in quo ut in capite, ut in radice, ut in fonte vitiata natura eſt, peccati labem ſtatim contrahit. Quamvis igitur concupiſcentia in baptizatis remanens non ſit peccatum, quia reatus ejus Baptiſmo remiſſus eſt, germen tamen eſt peccati, & per ipſam peccatum originale traducitur. Unde *S. Auguſt.* lib. 5. *Contra Julianum*, cap. 18. ait: „ „ Qualitas affectionalis mali de ſubſtantia ad ſubſtantiam non emigrando tranſit, ſed quodam operante contagio, id eſt, concupiſcentiæ affectu, ſicut de parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur „ „. Non enim continuo ſanatur in Baptiſmo concupiſcentiæ carnis infirmitas, ſicut continuo reatus ejus aboletur.

Chriſtus ſine peccato conceptus.

X. Cum peccatum originale in omnes homines derivari ab Adamo catholica Fide credamus, Chriſtum, qui *Sanctus Sanctorum* eſt, *impollutus*, *ſegregatus a peccatoribus*, exceptum, eadem fide credimus; quia ſine concupiſcentia conceptus eſt, non ex virili ſemine, ſed de Spiritu ſancto. Unde *S. Auguſt.* lib. 1. *de Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 24. ſcribit: „ „ Ex hac concupiſcentia carnis, tanquam filia peccati, & quando illi ad turpia conſentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcunque naſcitur proles, originali eſt obligata peccato, niſi in illo renaſcatur, quem ſine iſta concupiſcentia Virgo concepit. Propterea quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus „ „. Et cap. 12. ejuſdem libri de Chriſti ſecundum carnem conceptum diſputans: „ „ Solus, *inquit*, ibi nuptialis concubitus non fuit; quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnis pudenda concupiſcentia, quæ accidit ex peccato; ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati; ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati: quandoquidem ſola, quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati „ „.

XI. Ex-

XI. Excipitur etiam B. Dei Mater Virgo Maria, non quidem a lege, & debito contrahendi originalis peccati, quia & parentis utriuſque commixtione genita, & a Chriſto redempta eſt; adeoque peccati originalis labe contaminanda erat, niſi ejus animam uberiori gratia præventam, munitam, ornatam corpori Deus infudiſſet; ſed excipitur a peccati originalis adhæſione; id eſt, ſpectata communi hominum ex Adamo per ſexus utriuſque commixtione propagatorum ſorte, contrahere vitium originale debuit; ſed illud revera non contraxit, Chriſti Redemptoris gratia ſervante. Unde hæc verba cœleſtis Sponſi in Canticis illi accommodat Eccleſia: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Et certe cum B. Virgo peccatum actuale nullum omnino commiſerit, etiam veniale, ut tenet Eccleſiæ fides in Tridentina Synodo ſeſſ. 6. can. 23. expreſſa, utique docet *S. Auguſt.* lib. *de Natura, & Gratia*, c. 36. Pelagii dictum approbans, aſſerentis: „„ Neceſſe eſſe pietati confiteri Domini, ac Salvatoris noſtri matrem ſine peccato; *ac ſubjungens*, de S. Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem „„. Cum, inquam, B. Virgo nullo peccato actuali, etiam veniali, fuerit contaminata; recte colligitur illam ab originali quoque peccati labe fuiſſe exemptam. Ex originalis enim peccati macula ſemel contracta conſequens eſt peccatum actuale, ut docet *S. Auguſt.* lib. 5. *Contra Julianum*, c. 15. de Chriſto ſic loquens: „„ Profecto peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu „„. Cum itaque Virgo Deipara peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, ut credit Eccleſia; ſequitur, illam peccatum non habuiſſe infantilis ætatis exortu, & originali macula penitus caruiſſe.

B. Virgo Maria immunis ab originali peccato ſecundum piam maximæ partis fidelium opinionem, cui favet Eccleſia.

Cant. 4.

Immaculata B. Virginis Conceptio fidei ſummam non ſpectat.

Id quidem ad fidem non ſpectat, variæque ſunt ea de re Theologorum catholicorum opiniones; ſed in eam propenſior eſt Eccleſia, quæ Dei matrem ſine peccato conceptam aſſerit. Unde diem Conceptionis ejuſdem B. Virgini Sacrum publico, & ſolemni ritu ubique celebrandum conſtituit ſexto Idus Decembris, cui *Sixtus IV.* Miſſam, & Officium canonicum proprium decrevit, iiſdem attributis indulgentiis, quas *Urbanus IV.* inſtituto abs ſe ſolemni Feſto Corporis Chriſti, & ejus Officio eccleſiaſtico conceſſerat. Quod ex illius conſtitutione conſtat edita anno 1576 qua univerſos Chriſti Fideles invitat, ut *De ipſius immaculata Virginis mira Conceptione Deo gratias, & laudes referant.* Cum vero poſtea vehemens ea de re orta eſſet contentio, ac mutuis altercationibus turbata pax, & tranquillitas videretur, quibuſdam temere prædicantibus, aut ſcribentibus, omnes illos, qui tenerent, aut aſſererent, glorioſam, & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos: Idem Pontifex huic diſſidio interceſſit anno 1483. edita Conſtitione altera, quæ incipit, *Grave nimis*, qua hujuſmodi aſſertiones ut *falſas, erroneas, & a veritate penitus alienas* damnat; & prædicatores verbi Dei, & quoſcunque alios, qui hæc prædicare, vel affirmare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurſuros declarat, a qua ab alio, quam a romano Pontifice, niſi in mortis articulo nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Simili etiam pœnæ, ac cenſuræ ſubjicit eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet „„ Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum ſit a romana Eccleſia, & apoſtolica Sede deciſum „„. Utramque *Sixti IV.* Conſtitutionem confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 5. piæ opinioni de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione nihilominus favens: „„ Declarat tamen, *inquit*, hæc ipſa S. Synodus, non eſſe

In quæſtione de B. Virginis Conceptione neutri opinioni nota hæreſis, aut peccati mortalis inurenda.

Cenſuræ ac pœnæ in contrafacientes.

ſuæ

ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat „„. Statutum *Sixti IV.* renovavit, & confirmavit pariter *S. Pius V.* anno 1570. edita Conſtitutione, quæ incipit, *Super ſpeculam*, qua mandat inſuper: „„ Quatenus nemo cujuſcunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando; vel de hac ipſa quæſtione, cujuſvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumat. Qui contra fecerit, ſuſpenſionis pœnam a Divinis ipſo facto abſque nova declaratione incurrat, ſi modo fuerit in Sacris conſtitutus, & quocunque præterea gradu, ſive dignitate, vel adminiſtratione fungatur, illis omnibus ſit ipſo jure privatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo facto ſit obnoxius, ſuper quibus niſi a romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari, ſive abſolvi non poſſit „„. Cæterum graviter illos perſtringit *S. Pius V.* qui „„ Cum de glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac ſi de illis Dogmatibus eſſet, quæ corde credere ad juſtitiam, ore confiteri ad ſalutem, neceſſarium eſt. Quibus illud Prophetæ convenire videtur: *Dicunt, ait Dominus, cum ego non ſim locutus* „„. Addit ſanctiſſimus Pontifex: „„ Cum S. R. E. omnium Eccleſiarum Magiſtra, & Doctrix diſciplinæ de ea re hucuſque non definierit, nemo abſque temeritate præjudicare, vel alterius partis ſententiam damnare poteſt „„. Quamobrem liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controverſiæ quamlibet partem. Ezech. 13. 7.

tem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse judicaverit, salvis Decessorum suorum Decretis a sacrosancta Synodo Tridentina confirmatis. *Sixti IV.* & *S. Pii V.* Decessorum suorum Constitutiones de Conceptione B. Mariæ Virginis *Paulus V.* anno 1566. edito Diplomate, quod incipit: *Regis Pacifici*, approbavit, confirmavit, innovavit; ac præter supradictarum Constitutionum pœnas respective ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus, eo ipso, absque alia declaratione privatum existere statuit, ac decrevit, qui pontificias illas Constitutiones violaverit, necnon perpetuæ inhabilitatis ad concionandum, & publice docendum pœnas incurrere, a quibus solus Pontifex absolvere, seu dispensare possit.

Gregorius XV. Anno Christi 1622. die 24 Maji decrevit, ac præcepit, ut imposterum, donec articulus hujusmodi a S. Sede apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, nullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, alioquin obnoxium fore Censuris, & pœnis in Constitutionibus Decessorum suorum expressis. Alteram tamen opinionem se propterea non reprobare, nec ullum ei præjudicium inferre velle declaravit. Ulterius sub eisdem Censuris, & pœnis mandavit, ut negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Prohibuit pariter, ne in sermonibus etiam privatis, & colloquiis, scriptisque, aliquis audeat asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, iis tamen exceptis, quibus id a Sede apostolica fuerit concessum. Omnibus denique, & singulis personis

nis eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam cujuſvis ordinis, & inſtituti Regularibus mandavit, ac præcepit, ut in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine utantur, ſub iiſdem cenſuris, & pœnis.

Alexander VII. Conſtitutione edita anno 1661. Conſtitutiones, & Decreta anteceſſorum ſuorum, & præcipue „ „ Sixti IV. Pauli V. & Gregorii XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus ſancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe, necnon & in favorem Feſti, & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam illam ſententiam exhibiti „ „; innovat, & ſub pœnis, & cenſuris in eiſdem conſtitutionibus contentis obſervari mandat, & inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, & Decreta „ „ ita pergent interpretari, ut favores per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur; vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, auſi fuerint „ „, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus *Sixti IV.* contentas, concionandi, & publice docendi facultate, necnon voce activa, & paſſiva in quibuſvis electionibus ipſo facto privat. Contrariam tamen opinionem, videlicet, glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, tenentes, *Hæreſis aut peccati mortalis, aut impietatis* damnari vetat ſub pœnis in *Sixti IV.* aliorumque Pontificum Conſtitutionibus, ſuaque ita expreſſis, & inflictis; cum a romana Eccleſia, & apoſtolica Sede quæſtio illa nondum finita fuerit. Nihil

in favorem piæ opinionis de Conceptione immaculata Virginis Deiparæ ex S. Petri Cathedra magnificentius, ac luculentius pronuntiatum eſt iis, quæ hujus Conſtitutionis initio, quæ incipit, *Solicitudo omnium Eccleſiarum*, Alexander VII. habet: „„ Vetus eſt, *inquit*, Chriſti Fidelium erga ejus B. matrem Virginem Mariam pietas, ſentientium ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præſervatam immunem, atque in hoc ſenſu Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujuſmodi cultus poſt editas a felicis recordationis Sixto IV. P. Prædeceſſore noſtro in ejus commendationem apoſtolicas Conſtitutiones, quas ſacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus romanis Pontificibus, monaſteria religioſorum Ordinum, & confraternitates, ac indulgentias, ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur „„.

Hominem per originale peccatum, etiam in naturalibus vulneratum veritas fidei eſt.

XII. Homo per peccatum originis non ſolum ſpoliatus eſt gratuitis, ſed etiam in naturalibus vulneratus, ut contra Pelagianos, & Semipelagianos definivit Eccleſia in Conc. Arauſicano 2. can. 1. „„ Si quis, *inquit*, per offenſam prævaricationis Adæ non totum, *id eſt*, ſecundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum; ſed animi libertate illæſa durante, corpus tantummodo concupiſcentiæ dicit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adverſatur ſcripturis „„.

Idem fidei dogma confirmat S. Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap 1. ubi declarat: „„ Ad juſtificationis doctrinam probe, & ſincere intelligendam, oportere, ut unuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quod

cum

cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi, & ut Apoſtolus inquit, natura filii iræ, uſque adeo ſervi erant peccati, & ſub poteſtate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ; ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent, tametſi liberum arbitrium minime in eis extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum „„. Ephes. 2. 2.

Idem ſignificat parabola, a Chriſto propoſita, hominis deſcendentis ab Jeruſalem in Jericho, qui *incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abjerunt, ſemivivo relicto.* Spoliatus eſt dono juſtitiæ originalis, & ejus appendicibus per peccatum, & quatuor vulnera graviſſima excepit, ſcil. ignorantiam in mente, malitiam in voluntate, infirmitatem, & concupiſcentiam in appetitu ſentiente. Ignorantia, prava diſpoſitio eſt in mente, qua falſa pro veris facile approbat. Malitia, propenſio eſt depravatæ voluntatis ad malum; *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Infirmitas, eſt difficultas vitandi peccatum, & boni agendi, etiam illius, quod viribus naturæ integræ proportionatum fuiſſet. Concupiſcentia eſt inordinatio ſentientis appetitus, qua repugnat legi mentis. Hæc vulnera duobus verbis exprimit S. *Auguſt.* ignorantiæ ſcil. atque difficultatis. Nam difficultas malitiam, infirmitatem, & concupiſcentiam complectitur: „„ Sunt revera, *inquit*, omni peccanti animæ duo illa pœnalia, ignorantia, & difficultas; ex ignorantia dehoneſtat error; ex difficultate cruciatus affligit; ſed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente, atque torquente dolore carnalis vinculi non poſſe a libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati„„. Et lib. 22 de civ. Dei, cap. 22. „„ Nam quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium, *inquit*, originem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot, & tantis malis plena teſtatur.

Vulnera per primi hominis peccatum naturæ inflicta. Luc. 10. Gen. 8. 21. Lib. 3. de liber. arb. cap. 18. & lib. de Dono perſeverantiæ c. 12. & l. 2. Retract. cap. 9.

Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe rerum vanarum, atque noxiarum, & in hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, inſana gaudia? ... Quid eſt, quod cum labore meminimus, ſine labore obliviſcimur; cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus; cum labore ſtrenui, ſine labore inertes ſumus? Nonne hinc apparet velut pondere ſuo proclivis, & prona ſit vitioſa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat „„? Nonne vero lex illa, quam in membris noſtris ſentimus repugnantem legi mentis noſtræ, & ita captivantem nos in lege peccati, ut vere dicamus cum Apoſtolo; *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum, id facio*, grave vulnus eſt naturæ lapſæ, a quo ſanari, & liberari per Chriſti gratiam quotidie poſtulamus, cum Apoſtolo dicentes: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Hinc *S. Fulgentius* lib. de Incarnatione, & gratia Chriſti ait: „„ Ille primus homo, & in ipſo humanum genus, ſpoliatus fuit veſtimento fidei, carnaliumque concupiſcentiarum vulneribus ſauciatus „„.

Rom. 7. 15.

Infantibus cum origin. peccato decedentibus naturalem beatitudinem tribuere, hæreticum eſt.

XIII. Parvulos cum originali peccato decedentes, non ſuſcepto ſcilicet Baptiſmo, non ſolum cœleſti regno, ſed beatitudine quavis naturali in perpetuum privatos, æternumque miſeros, & damnatos eſſe, & in infernum detrudi, Fides docet. Conc. ſcil. Lugdunenſe 2. ſub *Greg. X.* & Florentinum ſub *Eugenio IV.* definiunt: „„Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas „„. Vitam æternam, & ſecundam quamdam felicitatem, extra regnum cœlorum, in medio quodam loco, Pelagiani parvulis ſine Baptiſmo decedentibus promittebant, & a Deo retribui pertinaciter aſſerebant, quem errorem & africana Concilia,

&

& *Innocent. I.* Pontif. max. damnarunt, & S. Auguſt. paſſim confutavit, præſertim vero lib. 1. de Peccatorum meritis, & Remiſſione, cap. 28. „ „ Nec eſt ullus, *inquit*, ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto. Hinc & ipſe Dominus volens auferre de cordibus male credentium iſtam neſcio quam medietatem, quam conantur quidem parvulis non baptizati nubere, ut quaſi merito innocentiæ ſint in vita æterna, ſed quia non ſunt baptizati, non ſint cum Chriſto in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obſtruenda ſententiam, ubi ait: *Qui mecum non eſt, adverſus me eſt* „ „. Matth. 12. Et Serm. 294. alias 14. de verbis Apoſtoli, duas partes tantum facturum eſſe Dominum obſervat, cum venturus eſt, & judicaturus vivos, & mortuos, dexteram, & ſiniſtram; ſiniſtris dicturum: *Ite maledicti in ignem æternum*, dexteris: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*; nullum eſſe relictum medium locum, ubi poni queant infantes; qui non erunt in dextera, in ſiniſtra fore: *Ergo, qui non in regno, procul dubio in ignem æternum.* Matth. 25.

Epiſtola denique 217. alias 107. ad Vitalem, inter duodecim ſententias, quas *ad catholicam Fidem pertinere* docet, octavam his verbis ſtatuit: „ „ Scimus etiam parvulos ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Propter quod, & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur* „ „. In damnatione quidem omnium leviſſima, & mitiſſima erunt, qui cum ſolo originali peccato decedunt; ut *S. Auguſt.* docet; ſed miſeros tamen, æternumque damnatos, ſub diaboli poteſtate, in ejus domo, & atrio perpetuo manſuros fides docet. Unde nullatenus tole- Mar. 16. Lib. 3. contra Julian. c. 11. lib. de peccat. Merit. &

rari

Remiſſ. ca- pit. 16. Enchir. c. 93.

rari poteſt quorumdam Theologorum error, qui ſcribere auſi ſunt, pueros ſine Baptiſmo decedentes meliorem in naturalibus vitam in perpetuas æternitates ducturos, quam ullus unquam mortalium duxerit. Hic enim error & a Conc. generalibus Lugdunenſi 2. & Florentino damnatus eſt, & jam olim ab univerſali Concilio totius Africæ, Sedis apoſtolicæ auctoritate, & totius Eccleſiæ catholicæ conſenſu roborato, confixus his verbis: „ „ Si quis dicit, ideo

Joan. 14.

dixiſſe Dominum: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ut intelligatur, quia in regno cœlorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui ſine Baptiſmo ex hac vita migrarunt, ſine quo in regnum cœlorum, quod eſt vita æterna, intrare non poſſunt, anathema ſit. Nam

Joan. 3.

cum Dominus dicat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non introibit in regnum cœlorum*, quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli, qui cohæres eſſe non meruit Chriſti „ „?

De peccato originali hæc ſcire, ut neceſſe eſt, ita ſufficiet Clericis, qui in Seminariis inſtituuntur, & Rectoribus animarum, cæteriſque Sacerdotibus.

ARTICULUS II.

Quid ſit peccatum actuale.

Actualis peccati definitio.

Peccatum actuale eſt *Voluntas retinendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Ita definit *S. Auguſt.* lib. *De duabus Animabus contra Manichæos*, cap. 11. & lib. 1. *Retractationum*, cap. 5. Sive.

Peccatum eſt, factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.

Lex vero *æterna eſt Ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.*

Naturalis ordo in eo poſitus eſt, ut ſicut anima corpori, ita ipſius animæ ratio cæteris ejus partibus præponatur, Deoque obtemperet: „ „ Ut homo ſubdat ſibi, quod habet commune beſtiis; ſubdat Deo, quod habet commune cum Angelis. *Pro modulo itaque*

quæ infirmitatis noſtræ, ſecundum naturalem legem, qua naturalis ordo ſervatur, juſte vivimus. ſi vivamus ex fide non ficta, quæ per dilectionem operatur; habentes in conſcientia bona ſpem repoſitam in cœlis immortalitatis, & incorruptionis, & ipſius perficiendæ, uſque ad quamdam ineffabiliter ſuaviſſimam ſaturitatem, quam in iſta peregrinatione oportet eſuriri, ac ſitiri, quamdiu per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Quapropter hominis actio ſerviens fidei ſervienti Deo refrænat omnes mortales delectationes, & eas coercet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius quam refrænat. Eſt autem illicitum, quod lex illa prohibet, qua naturalis ordo ſervatur „ „. Ita *S. Auguſt.* lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 27. & 28.

Peccatum definitur *Factum, dictum, vel concupitum*, id eſt, actus humanus, deliberatus, quo fit, vel dicitur, vel concupiſcitur aliquid; quibus verbis peccati materia deſignatur, quæ vel opus externum eſt, aut verba, aut interni animi motus. Additur *contra legem æternam*; quibus verbis forma, ut ita loquar, ſeu potius deformitas peccati, quæ averſio a Deo eſt, & defectio ab illius lege deſignatur.

Rurſus definiri poteſt peccatum *Perverſa Dei imitatio.* Quæ definitio colligitur ex *S. Auguſt.* lib. 2. *Confeſſionum*, c. 6. ita Deum alloquente: „ „ Perverſe te imitantur omnes, qui longe ſe a te faciunt, & extollunt ſe adverſum te. Sed etiam ſic te imitando, indicant, Creatorem te eſſe omnis naturæ; & ideo non eſſe, quod a te omni modo recedatur „ „. Id egregie explicat ibidem: „ „ Nam & ſuperbia, *inquit*, celſitudinem imitatur, cum tu ſis unus ſuper omnia Deus excelſus. Et ambitio quid niſi honores quærit, & gloriam, cum tu ſis præ cunctis honorandus unus, & glorioſus in æternum? Et ſævitia poteſtatem timeri vult; quis autem timendus niſi unus Deus, cujus poteſtati eripi, aut ſubtrahi poteſt?

Quam-

Quando, aut ubi, aut quo, vel a quo poteſt? Et blanditiæ laſcivientium amari volunt; ſed neque blandius eſt aliquid tua charitate, nec amatur quidquam ſalubrius, quam illa præ cunctis formoſa, & luminoſa veritas tua. Et curioſitas affectare videtur ſtudium ſcientiæ; cum tu omnia ſumme noveris. Ignorantia quoque ipſa, atque ſtultitia ſimplicitatis, & innocentiæ nomine tegitur; quia te ſimplicius quidquam non reperitur. Quod autem innocentius, quia opera tua malis inimica ſint? Et ignavia quaſi quietem appetit; quæ vero quies certa præter Dominum? Luxuria ſatietatem, atque abundantiam ſe cupit vocari; tu autem es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis ſuavitatis. Effuſio liberalitatis oſtendit umbram; ſed bonorum omnium largitor affluentiſſimus tu es. Avaritia multa poſſidere vult; & tu poſſides omnia. Invidentia de excellentia litigat; quid te excellentius? Ira vindictam quærit; te juſtius quis vindicat? Timor inſolita, & repentina exhorreſcit, rebus, quæ amantur adverſantia, dum præcavet ſecuritati; tibi enim quid inſolitum, quid repentinum? Aut quis a te ſeparat, quod diligis? aut ubi, niſi apud te, firma ſecuritas? Triſtitia rebus amiſſis contabeſcit, quibus ſe oblectabat cupiditas; quia ita ſibi nollet, ſicut tibi auferri nihil poteſt. Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura, & liquida non invenit, niſi cum redit ad te „ „.

ARTICULUS III.

Deum non eſſe auctorem peccati, dogma Fidei eſt.

De cauſa peccati.

EX peccati definitione liquet, Deum peccati non eſſe auctorem, ſiquidem juſtitiæ, & æternæ legi, quæ Deus eſt, adverſatur, & averſio eſt, atque defectio ab ultimo fine: Deus autem voluntates hominum a ſe non avertit, cum ad ſeipſum omnia convertat, & ordinet. Scripturæ ſacræ teſtimoniis hæc veritas nititur; ſcilicet Deut. 32. *Dei perfecta ſunt opera*,

&

& omnes via ejus judicia: Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus, & rectus. Pſalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 11. *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Odio autem habet Deus peccatum, (Sap. 14.) *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Non eſt igitur auctor peccati. Eccl. 15. *Non dixeris: Per Deum abeſt; quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanavit.. Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi;* id eſt, nemini vitam prorogavit ea intentione, ut peccet. Habac. 5. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Ad Rom. 9. *Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Jacob. 1. *Nemo cum tentatur, dicat: Quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.* Hinc *S. Auguſt.* lib. *de Spiritu, & Litera*, cap. 31. obſervat, nuſquam legi in ſanctis Scripturis: „ Non eſt voluntas niſi a Deo. Et recte, *inquit*, non ſcriptum eſt, quia verum non eſt; alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo. Quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit defectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem „. Et lib. 5. *De Civit. Dei.*, cap. 9. „ Sicut, *inquit*, omnium naturarum Creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt „.

Item lib. 2. *De libero Arbitrio*, cap. 20. „ Omne bonum ex Deo; nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectivus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide, quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius, in noſtra eſt poſitus poteſtate „.

Et Tract. 1. in *Joannem*, ad illa verba: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ait: „ Peccatum quidem non per ipſum factum eſt; & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cum peccant „.

Idem

Idem confirmat *S. Proſper* in reſponſione ad Objectiones vicentianas, cap. 10. „ Deteſtanda, *inquit*, & abominanda opinio, quæ Deum cujuſquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem. .. Non ergo calus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium Prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit. aut impulit „.

Et *S. Fulgentius*, lib. 1. *Ad Monimum*, cap. 6. „ Sicut, *inquit*, peccatum in Deo non eſt, ita peccatum ex eo non eſt. Quod autem ex eo non eſt, opus ejus utique non eſt. Quod autem nunquam eſt in opere ejus, nunquam fuit in Prædeſtinatione ejus. *Et cap.* 13. Quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam. Quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam... Iniquos condemnabit pro impietate, vel injuſtitia, quam in eis ipſe non fecit „.

Quamobrem Conc. Arauſicanum 2. can. 25. & Valentinum can. 3. errorem illorum deteſtantur, illoſque anathemate feriunt, qui dixerint, Deum aliquos ad malum prædeſtinare. Concilium denique Tridentinum ſeſſione 6. can. 6. dogma catholicum, cujus in explicatione verſamur, luculenter confirmat verbis: „ Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita & bona Deum operari; non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe; adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit „.

Explicantur Scripturæ ſacræ loci difficiles.

Ex hoc Canone colligitur explicatio locorum illorum Scripturæ ſacræ 2. Regum 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Et cap. 24. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, & Judam, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Iſrael, & Judam.* Et Joan. 13. Chriſtus Judæ proditori dixit: *Quod facis, fac citius.* Hæc enim peccata non proprie, & per ſe operatum eſſe Deum, Scriptura ſignificat, ſed ſolum permiſiſſe. Verbum *Præcepit*, priori loco juſſionem, ac mandatum proprie dictum non ſignificat, ſed opportunitatem loci, fugæ, calamitatiſque

Davi-

Davidis, a Deo procuratam; quorum occaſione *Semei* proprio vitio depravatus, Regi maledicere auſus eſt. Significat deinde ordinationem maledicentiæ, & injuriæ Semei in Regis caſtigationem, & pœnam, quia Deus mala iniqui illius hominis voluntate uſus eſt ad humiliandum Davidem, quamvis malam illam voluntatem non fecerit. Significat denique Deum permiſiſſe, ut Semei malediceret Davidi, non vero id operatum eſſe; dediſſe ei poteſtatem, non pravam voluntatem. Atque ita etiam *S. Auguſt.* intelligendus eſt, lib. *De Gratia, & libero Arbitrio*, cap. 20. „ „ Quomodo, *inquit*, dixerit Dominus huic homini maledicere David, & quis ſapiens, & intelligit? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; ſed quod ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum judicio ſuo juſto, & occulto inclinavit, ideo dictum eſt: *Dixit ei Dominus*; nam ſi jubenti obtemperaſſet Deo, laudandus potius, quam puniendus eſſet, ſicut ex hoc peccato poſtea novimus eſſe punitum „ „. Præterea, Deus voluntatem Semei inclinavit ad ſubſtantiam actionis, non ad ejus pravitatem, motum voluntatis ejus operatus eſt, non malitiam; ſicut natura cauſa eſt oculi, non cæcitatis; & anima, facultaſque motrix cauſa eſt motus tibiæ, atque inceſſus, non claudicationis. Ad aliquid inclinavit, quod per ſe malum non erat, ſed quo mala ejus voluntas abuſa eſt ad peccatum externo opere complendum; & id permiſit Deus ad probandum, & exercendum Davidem. „ „ Nec cauſa tacita (*inquit S. Auguſt.*) cur ei Dominus iſto modo dixerit maledicere David, hoc eſt, cor ejus malum in hoc peccatum miſerit, vel dimiſerit: *Ut videat*, inquit, *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi mala pro maledicto ejus in die iſto.* Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem, atque adjumentum bonorum. Sic uſus eſt Juda tradente Chriſtum, ſic uſus eſt Judæis crucifigentibus Chriſtum. *Et infr.* c. 21. Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis

tis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſte aliquid velle non novit „ „ Hoc ſenſu dicitur Pſ. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolos facerent in ſervos ejus.* Et ad Rom. 1. *Propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.. Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.. Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Et 2. ad Theſſ. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* His enim locis Apoſtolus ſignificat, Deum permittere, ut homines impii, & mali in graviora ſubinde peccata ruant, gratiam illis ſubtrahendo ſuam, juſtoque judicio ordinare, ut peccata ſubſequentia pœnæ ſint præcedentium; cum tamen nec illorum, nec iſtorum auctor ſit. „ „ His, & talibus teſtimoniis divinorum eloquiorum, (*inquit S. Auguſt.*) manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper tamen juſto. Fixum enim debet eſſe, & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in literis veritatis a Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſte iſta paterentur.. Si autem potens eſt ſive per Angelos vel bonos vel malos, ſive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem; quid mirum eſt, ſi per Spiritum ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus eſt, ut ipſa corda eſſent ex malis bona „ „.

Deus peccata permittit, non operatur.

Idem

Idem eſt alterius loci ſenſus, Deum ſcilicet adverſus populum Iſrael indignatione commotum, permiſiſſe, ut David incitaretur a ſatana ad numerandum populum, ut dicitur 1. *Paral.* cap. 21. *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael; & concitavit David, ut numeraret Iſrael.*

Non abſimilis eſt ſenſus tertii loci, quod enim Chriſtus ait Judæ proditori: *Quod facis, fac citius;* Joan. 13. 27. „ „ *vox* non jubentis eſt, ſed ſinentis; nec trepidi, ſed parati; qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit ſe, & moram non facere traditori; & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem; ut facinus, quod a perſequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret „ „; (inquit *S. Leo* Sermone 7. *De Paſſione Domini.*)

Permiſſive quoque accipiendum eſt, quod dicitur 3. Regum 22. *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab.* Et Ezech. 14. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et Iſ. 63. *Quare errare nos feciſti, Domine de viis tuis?* Ut enim ait *S. Auguſt.* lib. *De Spiritu, & Litera*, cap. 31. „ „ Cum voluntas mala poteſtatem accipit implere, quod intenditur, ex judicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas; punit enim etiam iſto modo, nec ideo injuſte, quia occulte „ „. Sicut ergo venator, qui canem currendi, & mordendi cupidum tenet ligatum, ſi viſa fera ſolvat, recte dicitur immiſiſſe in feram, quia permiſit, ut illam inſequeretur: ita Deus dicitur decipere Pſeudoprophetas, & Spiritum mendacii in ore eorum dare, & facere, ut errent peccatores a viis ejus; quia permittit, ut diabolus illos decipiat, & a recto tramite abducat; quem tamen ligatum tenere, & impedire poteſt, ne noceat. „ „ Nec *enim intelligendum eſt* ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum aliquem cogi; ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum „ „; (*inquit S. Auguſt.* lib. 1. *Ad Bonifacium*, cap. 18.)

Id confirmat *S. Thomas*, quæſt. 3. *De malo* art. 1. „„ Deus (*inquit*) dicitur tradere aliquos in r. probum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo, vel movendo, ſed potius deſerendo, vel non impediendo. Sicut ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa caſus illius „„. Quamvis revera cauſa non eſſet, ſi manum illi porrigere non teneretur, ſed juſtam cauſam haberet ſubtrahendi manum, & caſum illius permittendi.

Quomodo Deus peccatores excæcet, & induret.

Quamquam vero Deus excæcet oculos, & obduret cor peccatoris, ut dicitur Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Et ad Rom. 9. *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*: Non propterea peccati auctor eſt, quia „„ Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; at potius, ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur „„, *inquit, S. Auguſtinus* Epiſt. 194. alias 105. ad *Sixtum*.

Id præclare omnino *S. Thomas* explicat 1. 2. quæſt. 89. art. 3. „„ Excæcatio, *inquit*, & obduratio duo important. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi a divino lumine. Et quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, & cor hominis non emolliatur ad recte vivendum. Et quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis. Eſt autem conſiderandum, quod Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum, ſecundum illud Joan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſicut Sol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum, aliter tamen, & aliter. Nam Sol agit illuminando per neceſſitatem naturæ, Deus autem agit voluntarie per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem, licet quantum eſt de ſe, omnia corpora illuminet; ſi quod tamen impedimentum in-

ve-

veniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum, ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ; ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt Sol, non enim ſuo judicio agit, ut lumen interius non immittat, ſed cauſa ejus eſt ſolum ille, qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolum ille, qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis „„. Sic autem ſumpta excæcatio, & obduratio pœna eſt, non culpa.

Denique cum Deus dicitur *Creans malum* (Iſa. 45.) Et, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; (Amos 3.) non peccatum, ſed pœnam feciſſe intelligendus eſt, ut explicant *S. Auguſtinus* lib. *contra Addimantum*, cap. 26. *S. Gregorius* lib. 3. *Moralium*, cap. 6. *& S. Thomas* 1. part. quæſt. 49. art. 2. Idem eſt ſenſus horum verborum Domini. David comminantis 2. Reg. 12. *Suſcitabo ſuper te malum de domo tua*, &c. Eodem etiam ſenſu Iſaiæ 13. dicitur, Deum ſuſcitaſſe Medos contra Babylonem, ipſiſque mandaſſe, ut illam diſperderent, ac vaſtarent.

Hunc articulum abſolvat præclara *S. Auguſt.* Sententia 14. lib. *De civitate Dei*, cap. 13. „ Ut natura „ ſit, ex eo habet, quod a Deo facta eſt; ut autem „ ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc, quod de nihilo fa„ cta eſt „. Cui conſonat *S. Fulgentius* lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 3. „„ Ideo naturæ a Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt; ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt; ad defectum eas ducit conditio originis; ad profectum vero provehit potentia Creatoris „„.

Neminem moveat locus ille *S. Auguſt.* lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 13. „ Hoc bonum, quod eſt re„ quirere Deum, non erat, qui faceret, non erat uſ„ que ad unum, ſed in eo genere hominum, quod „præ-

Quo ſenſu aliquos ad interitum prædeſtinatos S. Au-

Justin. dixit. „ prædeſtinatum eſt ad interitum „. Nihil enim aliud *S. Auguſt.* ſignificat, cum ad interitum quoſdam prædeſtinatos affirmat; „„ Niſi ad interitum ſupplicii, non delicti; neque ad malum, quod injuſte admittunt, ſed ad cruciatum, quem juſtiſſime patientur, nec ad peccatum, quo primæ reſurrectionis beneficium amittunt, ſed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas divina bene retribuit „„. Ita hanc *S. Auguſt.* locutionem explicat *S. Fulgentius* lib. 1. ad *Monimum*, cap. 5.

ARTICULUS IV.

Explicatur diviſio peccati actualis in mortale, & veniale.

Definitio peccati mortalis.

Peccatum actuale aliud *Mortale*, aliud *Veniale* eſt. Id inter utrumque diſcriminis intercedit, quod mortale ſit *Averſio a Deo tanquam ab ultimo fine, & converſio ad creaturam*; ſive, *Adhæſio creaturæ tanquam ultimo fini*. Quod tunc fit, cum homo creaturis fruitur, quibus uti duntaxat debet. „„ Frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam. Uti *vero eſt*, quod in uſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt. Res illæ, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt. Iſtis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere poſſimus. *Nos igitur, qui fruimur, & utimur inter utraſque conſtituti*, ſi eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti. *Sylv. Deo fruendum eſt, utendum creaturis.* Quomodo ergo ſi eſſemus peregrini, qui beate vivere, niſi in patria non poſſemus, eaque peregrinatione uſque miſeri, & miſeriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus eſſet, vel terreſtribus, vel marinis vehiculis, quibus utendum eſſet, ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus;

Quid fruitio
Quid uſus.

Solo Deo fruendum, Creaturis utendum.

mus; quod ſi amænitates itineris, & ipſa geſtatio vehiculorum nos delectaret, & converſi ad fruendum his, quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, & perverſa ſuavitate implicati, alienaremur a patria, cujus ſuavitas faceret beatos. Sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino, ſi redire in patriam volumus, ubi beati eſſe poſſimus, utendum eſt hoc mundo, non fruendum, ut inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur; hoc eſt, ut de corporalibus, temporalibuſque rebus æterna, & ſpiritualia capiamus „ „. Ita *S. Auguſt.* lib. *de Doctrina chriſtiana*, cap. 3. & 4.

Definitio peccati venialis.

Veniale autem peccatum eſt *Inordinatus ad creaturam affectus, ſervato ordine ultimi finis*, quod tunc fit, cum homo ita comparatus eſt, ut creaturam Deo præponere nolit, & a Deo velut ab ultimo fine averti, atque in re temporali velut in ultimo fine quieſcere, Dei amicitiam violare, & legem ejus tranſgredi in re gravi, divinamque amicitiam ſolvente, ſeu charitatem extinguente.

Peccati venialis a mortali multiplex diſcrimen.

Peccatum igitur mortale penitus evertit ordinem hominis ad Deum ut ad finem ultimum, ſeu conjunctionem illius cum Deo, ut ultimo fine, quæ fit per charitatem; peccatum autem veniale hunc ordinem non evertit, adeoque charitatem non extinguit, ſed minuit duntaxat ejus fervorem; & ordine ad finem ultimum ſervato, perturbat ordinem eorum, quibus ad fidem obtinendam utendum eſt Plus ſcilicet rebus creatis afficitur, quam par ſit, in illiſque nimium hæret. Extra viam non aberrat, nec a via penitus deflectit, ſed in ipſa via per aliquas ambages, & circuitus tendens a finis conſecutione retardatur. Hinc peccatum mortale contra legem eſſe, veniale *Præter legem*, ait *S. Thomas*; non quod veniale non ſit etiam divina lege prohibitum; ſed quod non ita repugnet legi, ut ordinem, ac finem ejus evertat, ſcilicet charitatem; quia tamen in aliquo recedit ab ordine legis, præter legem eſſe dicitur. Cum autem Deus vita ſit animæ, ipſique per chari-

tatem conjungatur, ſecundum illud 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in illo.* Mortale peccatum, quod hominem penitus a Deo ſeparat, & charitatem extinguit, dicitur *Mors animæ*; non autem veniale. Hinc S. *Auguſt.* lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 6. „ Peccatum eſt, *inquit*, cum vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam debet; ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit; quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur „.

Diſcrimen alterum inter mortale, & veniale peccatum eſt, quod peccatum mortale ſit irreparabile habita ratione ſtatus, in quo conſtituit peccatorem, cum in eo penitus extinguat vitæ ſpiritualis principium: ſicut mors dicitur malum irreparabile, quia nullum in natura principium eſt, quo mortuus ad vitam revocari valeat, quamvis Deus mortuos ſuſcitare poſſit. Veniale autem peccatum reparabile eſt; quia principium interius vitæ ſpiritualis, ſcilicet charitas, manet in homine juſto venialiter peccante, qua peccatum illud curari, ac deleri poteſt. Unde vel in hoc ſeculo, vel in futuro, nimirum in purgatorio dimittitur: mortale vero nuſquam in futuro, ſi in hoc ſeculo dimiſſum non fuerit.

Tertium diſcrimen eſt, quod peccatum mortale hominem pœnæ æternæ, quæ *Secunda mors* in ſcripturis vocatur, obnoxium faciat: veniale vero pœnæ duntaxat temporali.

ARTICULUS V.

Veniale peccatum a mortali ſuapte natura, non ex ſola relatione ad miſericordiam Dei illud facile condonantis, diſtingui oſtenditur.

Intrinſecum venialis, mortaliſque peccati diſcrimen ex Scriptura ſacra, & Traditione demonſtratur; nam

nam *Matthæi* cap. 7. quædam peccata comparantur *feſtucæ*, quædam *trabi*; & cap. 22. quædam *culici*, quædam *camelo*; & 1. ad *Cor.* 3. quædam *ligno*, *fœno*, *ſtipulæ*, quæ facile abſumuntur, ut ſignificetur illa facile remitti, quia ſuper fundamentum ſuperſtruuntur; id eſt, charitate, quæ ſpiritualis ædificii fundamentum eſt, manente in anima, committuntur. Unde Apoſtolus ibidem ait, eorum auctorem ſalvum fore: *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*; cum e contrario de illis, qui graviora committunt, ibidem dicat. *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Et ad Gal. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Præterea, Juſti ipſi quotidie peccant, nec tamen in peccata mortalia quotidie labuntur, cum nihilominus juſti, ſancti, mundi, immaculati in ſacra Scriptura dicantur. Juſtos ipſos quotidie peccare, conſtat ex ſequentibus teſtimoniis. Prov. 24. *Septies cadet juſtus, & reſurget.* Eccl. 7. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi 3. 2. *In multis offendimus omnes.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quod autem juſti nihilominus permaneant, ſequentia teſtimonia perſpicue probant *Gen.* 6. *Noe vir juſtus, atque perfectus fuit.* Job. 1. *Erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Pſalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Dan. 6. *Coram eo juſtitia inventa eſt in me.* Lucæ 1. de Zacharia, & Eliſabeth: *Erant juſti ambo ante Deum* Joan. 13. de Apoſtolis: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Mundi autem, juſti, & immaculati dici non poſſunt, qui mortalibus peccatis animam ſuam iniquinant; de quibus dicitur Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt*; Ezech. 14. *Qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo*; & ad Titum 1. *Inquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia.* Procul ergo hæretici, qui omnia Fidelium, ac Juſtorum peccata venialia eſſe propugnant, non ſuapte natura, ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur.

Juſti quotidie peccant.

Lutherus & Calvinus.

Eorum error SS. Patrum teſtimoniis etiam refellitur. Ex multis *Hieronymum*, *Ambroſium*, *Auguſt. Cæſarium Arelatenſem* ſeligo.

S. Hieron. in cap. 2. Jeremiæ: „ „ Qui levi peccatorum ſorde maculatus eſt, levioribus purgatur monitis. Porro peccata graviora, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herba horit dilui poſſunt, ſed gravioribus tormentis indigent „ „.

S. Ambroſius lib. 2. *de Pœnitentia*, cap. 10. *Quotidiani nos debet pœnitere peccati*; *ſed hæc* (quotidiana ſcilicet pœnitentia) *delictorum leviorum*: *Illa graviorum*; (quæ ſcilicet publice agitur.) Et enar. in Pſalm. 43. explicans hunc verſum: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, ait: „ „ Eſt etiam illud, ut non ſit multitudo in commutationibus gravium peccatorum, ſecundum quod ſcriptum eſt, quia *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia in judicium; quoſdam autem & ſubſequuntur.* Quæ gravia ſunt, atque manifeſta, præcedunt, & quia ulla dubitatione merguntur; quæ autem leviora ſunt, bonis operibus ſæpe relevantur... Ubi autem iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione revocatur „ „.

1. ad Timoth. 5. 24.

Non omne peccatum crimen eſt.

S. Auguſt. in *Enchiridio*, cap. 64. „ „ Intereſt (*inquit*) quantum peccent. Neque enim, quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen eſt etiam omne peccatum. Itaque Sanctorum hominum vitam inveniri poſſe dicimus ſine crimine; peccatum autem ſi dixerimus, quia non habemus, nos ſeducimus „ „. *Et cap.* 70. „ „ Sane cavendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea ſemper liceat impune committere... De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana

Deus non eſt ita emendus quodammodo eleemoſynis, ut ſemper liceat impune peccare.

Fi-

Fidelium oratio ſatisfacit... Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata „„.

Idem Ser. 3. in Pſ. 118 „„ Quoniam (*inquit*) tentatio eſt vita humana ſuper terram; etiamſi a criminibus longe ſimus, non tamen deeſt, ubi deſideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus; quando adverſus majora vigilantibus, quædam incautis minuta ſubrepunt; quæ ſi adverſus nos colligantur, etſi non ſingula ſuis molibus corruunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc, etiam hi, qui ambulant in viis Domini, dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra*: quoniam ad vias Domini ipſa oratio pertinet, quamvis non ad ea peccata pertineant „„. Quædam incautis minuta ſubrepunt.

Et Ser. 351, alias 50. inter Hom. 49. quotidianam pœnitentiam agendam eſſe docet ob leviora illa, quotidianaque peccata, qualia ſunt, habere inter ſe judicia, & lites de ſecularibus rebus quod Apoſtolus *delictum* eſſe dicit, quamvis ferendum, ſi ad infidelium tribunalia non deferantur; conjugii uſus voluptatis ſolius cauſa, non generandæ prolis; quem tamen Apoſtolus, ut peccatum eſſe demonſtraret, ſed infirmitati conceſſum, *Secundum veniam* permitti, *non ſecundum imperium* fieri ait; & alia hujuſmodi, de quibus idem *S. Auguſt.* ſubjungit: „„ Quam multa ſunt alia peccata, ſive in loquendo de vanis rebus, & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent; ſive in vanis cachinnationibus, cum ſcriptum ſit: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam, ſapiens autem vix tacite ridebit*; ſive in ipſis eſcis, quæ ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ præparantur, avidior, atque immoderatior appetitus, ſæpe exceſſivum modum poſtridiana cruditate conteſtans; ſive in vendendis, & emendis rebus caritatis, & vilitatis vota perverſa. Piget cuncta colligere, quæ quiſque in ſe ipſo certius comprehendit, ſi divinarum Scripturarum ſpeculum non negligenter attendat. Quæ quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, ſicut homicidium, & adulterium; tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies Quæ leviora, quotidianaque peccata. 1. Cor. 6. 1. Cor. 3. Eccli. 21.

bies quo plura ſunt, necant, aut noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ deſiccentur „„.

Plura peccata venialia ſimul ſumpta mortem animæ non inferunt.

Omnia ſimul congregata necare, aut animæ decorem ita exterminare, ut illam a cœleſtis Sponſi caſtis amplexibus ſeparent, *S. Auguſt.* ait, non quod plura peccata venialia mortem animæ per ſe inferant, aut in ea gratiam, & charitatem, in quibus poſita eſt ejus pulcritudo, exterminent; ſed quod ad mortale peccatum diſponant, cum eorum frequentatione cupiditas augeatur, charitas minuatur, & refrigeſcat; animus violationi legis Dei in minoribus rebus aſſueſcens ſenſim propenſionem contrahat ad lapſum etiam in majoribus; & divinæ gratiæ ad graves tentationes vincendas neceſſariis auxiliis, in pœnam venialium peccatorum, quæ vitare negligit, interdum privetur. Hinc illud Eccl 19. *Qui ſpernit modica, paullatim decidet.* Hinc *S. Greg.* lib. 10. *Moralium*, cap. 9. „„ Ex vanitate (*inquit*) ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia deflectimus, ut uſu cuncta levigante, nequaquam poſt committere etiam graviora timeamus. Nam dum moderari lingua otioſa verba negligit, more inolitæ remiſſionis capta, audax, ad noxia prorumpit... Si enim curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus „„.

Atque juxta hunc ſenſum intelligenda ſunt ſimilia *S. Auguſt.* loca, ſcilicet Tract. 13. in Joannem. „„ Evigilate (*inquit*) cum dies eſt; Chriſtus eſt dies. In dilectione, & miſericordia ejus, qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus, & grandibus peccatis, qualia ſunt facinora, homicidia, furta, adulteria, propter illa, quæ minuta videntur eſſe peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus conceſſis, facit veritatem confeſſionis, & venit ad lucem in operibus bonis; quoniam minuta plura peccata, ſi negligantur, occidunt. Minutæ ſunt guttæ, quæ flumina implent; minuta ſunt grana arenæ,

ſed

ſed ſi multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit ſentina neglecta, quod facit fluctus irruens; paulatim per ſentinam intrat, ſed diu intrando, & non exhauriendo mergit navim. Quid eſt autem exhaurire, niſi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoſcendo „„?

Quæ ſint mortalia, quæ minuta, & venialia peccata.

Ita etiam intelligendus eſt *S. Cæſarius* Arelatenſis Epiſcopus Hom. 7. alias *S. Auguſt.* adſcripta, & inter ſermones illius *De Sanctis* 41. ubi mortalium, & venialium peccatorum diſtinctionem confirmat, & quænam illa ſint exemplis oſtendit. „„ Quamvis (*inquit*) Apoſtolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne deſperationem facere videamur, breviter dicimus, quæ ſint illa: Sacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ſuperbia, invidia, avaritia, & ſi longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas, ſi aſſidua ſit, in eorum numero computatur. Quicunque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognoverit, niſi digne ſe emendaverit, ſi habuerit ſpatium, longo tempore pœnitentiam egerit; & largas eleemoſynas erogaverit, & a peccatis ipſis abſtinuerit; illo tranſitorio igne, de quo ait Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine ullo remedio cruciabit „„.

„„ Quæ autem ſint minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longum eſt, ut omnia replicentur, opus eſt, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo, aut in potu plus accipit, quam neceſſe ſit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur, quam expedit. Quoties pauperem importune petentem exaſperat. Quoties cum corpore ſit ſanus, aliis jejunantibus prandere voluerit, aut ſomno deditus tardius ad Eccleſiam ſurgit. Quoties excepto deſiderio filiorum, uxorem ſuam cognoverit. Quoties in carcere clauſos, & in vinculis poſitos tardius requiſierit. Quoties infirmos tardius viſitaverit. Si diſcordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem,

rem, aut filium, aut ſervum exaſperaverit, quam oportet; ſi amplius fuerit blanditus quam expedit. Si cuicunque majori perſonæ aut ex voluntate, aut ex neceſſitate adulari voluerit. Si pauperibus eſurientibus cibum non dederit, aut nimium delicioſa, aut ſumptuoſa ſibi convivia præparaverit. Si ſe in Eccleſia, aut extra Eccleſiam, fabulis otioſis, de quibus in die judicii ratio reddenda eſt, occupaverit. Si dum incaute juramus, & cum hoc per aliquam neceſſitatem implere non poterimus, utique perjuramus. Et cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus, cum
1. Cor. 6. 10. ſcriptum ſit: *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Et cum aliquid ſuſpicamur temere, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, ſine
Nullus Sanctorum a peccatis venialibus immunis. ulla dubitatione delinquimus. Hæc enim & his ſimilia ad minuta peccata pertinere non dubium eſt, quæ, ſicut jam dixi, enumerari vix poſſunt, & a quibus non ſolum populus chriſtianus, ſed etiam nullus Sanctorum immunis eſſe potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponſi cœleſtis aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant; de quo ſcriptum eſt: *Aptavit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.* Et ideo continuis orationibus, &
Eph. 5. frequentibus jejuniis, & largioribus eleemoſynis, & præcipue per indulgentiam eorum, qui in nos peccant aſſidue redimantur, ne forte ſimul collecta cumulum faciant, & demergant animam „ „.

Baii damnatus error. Denique. *Nullum eſſe peccatum ex natura veniale, ſed omne peccatum mereri mortem æternam*: Vigeſimus eſt inter Art. *Michaelis Baji a S. Pio V. & Greg. XIII.* damnatos.

Huic nihilominus aſſertioni favere quiſpiam objiciet *S. Baſilium* in Regulis brevioribus, ad interrog. 213. ſcribentem: „ Primo ſcire illud convenit, differentiam hanc majorum, & minorum peccato„ rum nuſquam in novo Teſtamento reperiri „.

Fa-

Favere videtur & illud *S. Auguſt.* lib. 2. *de Peccatorum meritis, & Remiſſione*, cap. 3. ſcribentis: „ „ Quis cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret, manente illa ſententia, quod quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, niſi poſt Paulum ſequeretur. Superexaltat autem miſericordia judicium „ „ ? *Item illud ejuſdem S. Doctoris lib. 9. Confeſſionum, cap.* 13. „ Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam „.

SS. Baſilii & Auguſt. teſtimonia contra venialis a mortali peccato diſcrimen explicantur.

Verum facilis ad hæc teſtimonia reſponſio. Ad primum enim reſpondetur, mentem *S. Baſil.* hanc eſſe, quod non reperitur differentia majorum, & minorum peccatorum in eo poſita, quod minora contemni debeant, aut lubenter committi, graviora duntaxat caveri; non autem quod nullum prorſus inter illa diſcrimen reperiatur. Id conſtat ex interrogatione, cui reſpondet, his verbis concepta: „ „ Quomodo agi par eſt cum iis, qui cum majora peccata declinent, minora perinde, ac ſi nihil referret, committunt? *Quo ſenſu ad interrogationem* 4. *dixerat*, nihil omnino tanquam minutum contemni debere. *Et in Pſal.* 61. Dum exigui ſunt momenti, & eadem in pauco numero, quæ admittimus peccata, leviter, ac ſenſim aliquo ulque movemur. Mox ubi plura acceſſerint, gravioraque peccata, juxta proportionem coaleſcentis peccati intendi ſolet animæ agitatio „ „.

Ad primum *S. Auguſt.* locum reſpondetur, illum ita ſcripſiſſe, non quod exiſtimaret peccatum veniale pœnam æternam mereri, ſed quod nemo certo ſciat, an peccati alicujus lethalis non ſit reus, quod peccata venialia ſenſim ad mortale diſponant. Nam *S. Auguſt.* laudatam Apoſtoli Jacobi ſententiam: *Quicunque totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus*, de peccato mortali duntaxat intellexiſſe, quo a charitate excidit homo, conſtat ex Ep. illius 167. alias 29. ad *S. Hieronymum* ſcripta. Neceſſe tamen eſt, ut ſuperexaltet miſericordia judi-

Jacobi 2.

cium,

cium, quia regnum cœlorum adipiſci non poſſimus, niſi Chriſti ſanguine a peccatis etiam venialibus emundati. Quam miſericordiam juſtus miſericordiæ, & pietatis operibus quodammodo debitam ſibi fecit. Et integrum *S. Auguſt.* locum. „„ Acute ſibi videntur dicere, quaſi noſtrum hoc ullus ignoret; quod ſi nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod humanæ eſſet impoſſibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla ſeparanda, vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos perfecte in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridice dici voluit. *Non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens.* Tales itaque nos Dominus futuros prævidens, quædam ſalubria remedia contra reatum, & vincula peccatorum etiam poſt Baptiſmum dare, ac valere dignatus eſt, opera ſcilicet miſericordiæ, cum ait: *Dimitte, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret „„? &c.

Deus non præcipit homini, quod impoſſibile eſt humanæ voluntati.

Pſ. 142.

Matth. 6.

Reſpondetur ſecundo, *S. Auguſt.* cum ait: *Quis eum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret?* &c. non loqui de juſtis tantum, qui ſolis peccatis venialibus obſtricti ſunt, ſed de omnibus omnino hominibus, quatenus in graviora peccata ruere poſſunt præcipites, niſi gratiæ divinæ præſidio ſervarentur. Quæ niſi ex divinæ miſericordiæ inexhauſtis fontibus ubertim manaret, nemo cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret; quia tentationibus, quæ non ſolum ad venialia, ſed etiam ad lethalia peccata alliciunt, & abripiunt, facile vinceretur. Eam eſſe *S. Auguſt.* mentem, evidens eſt ex errore, quem ſibi proponit eo in libro oppugnandum. „„ Sunt enim quidam (*inquit*) tantum præſumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum, nec adjuvandos nos divinitus opinentur, ſemel ipſi naturæ noſtræ conceſſo liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit conſequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt,

ne

ne in tentatione vincamur, vel cum fallit, & præoccupat neſcientes, vel cum premit, atque urget infirmos. Quam ſit autem noxium, & ſaluti noſtræ, quæ in Chriſto eſt, pernicioſum, atque contrarium, ipſique religioni, qua imbuti ſumus, & pietati, qua Deum colimus, quam vehementer adverſum, ut pro tali accipiendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipſa oratione dominica: *Ne nos inferas in tentationem*, fruſtra poſitum exiſtimemus, verbis explicare non poſſumus „„. Id itaque probandum ſibi ſumpſit contra Pelagianos hoc in libro *S. Auguſt.* nullum in hoc ſeculo vivere, aut vixiſſe, aut victurum eſſe ſine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei, & hominum homine Jeſu Chriſto; (Deiparam Virginem cum ipſo pariter excipimus,) & hujus quæſtionis ſolutionem de hominis vita ſine ulla ſubreptione peccati, propter quotidianas etiam orationes noſtras maxime neceſſariam eſſe notat. Unde fit, ut, cum ait interrogando: *Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret?* &c. non ſpectet juſtorum duntaxat ſtatum, quatenus peccatis venialibus obnoxii ſunt; ſed omnium hominum, quatenus tentationum periculis ſunt expoſiti, quibus concuti poſſunt, & abripi in peccatum lethale.

Ad alterum *S. Auguſt.* locum reſpondetur, his verbis non ſignificari, quod vitæ laudabilis homines pœnas æternas mereantur propter venialia peccata, quæ committunt, ſed quod acerbis, & prolixis purgatorii pœnis plerumque digni ſint, quas re ipſa experirentur, niſi Deus propter Chriſtum eas remitteret, vel temperaret. Unde ipſi Sancti divina miſericordia maxime indigent, præſertim cum plurima, quæ hominum judicio levia cenſentur, Dei judicio graviora ſint. Unde pro omnibus Fidelibus defunctis, etiam illis, qui laudabiliter vixerunt, orandum eſt, ut Deus illis ignoſcat, & ut ſuam erga illos miſericordiam magis, quam judicium, exerceat. Id occaſione matris ſuæ piiſſimæ Monicæ dictum a *S. Auguſt.*, cujus ſenſum aperit loci ſeries „„ Fundo tibi (*inquit*) Deus

ſumpſit, non cogitat de præcepto implendo, reus eſt omiſſionis. Si enim actus, ex quo ſequitur peccatum, ſit illicitus: „„ Non totaliter aliquis excuſatur a peccato ſequenti, quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum aliquis dans operam rei illicitæ incidit in ſequens peccatum. Diminuitur autem peccatum ſequens, ſicut & diminuitur ratio voluntarii „„. *Unde S. Auguſt.* lib. 20. *Contra Fauſtum*, cap. 44. *dicit, quod Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit.* Ita *S. Thomas* 2. 2. qu. 150. art. 4. Ex quo ſequitur, illum peccare, qui rationis uſu ſua culpa deſtitutus, aut facit, quod non licet, aut non facit, quod debet; ſi id præviderit, aut prævidere debuerit.

ARTICULUS VII.

Peccata quædam ſpiritualia ſunt, alia carnalia.

Peccatum ratione objecti, a quo ſpeciem, & diſtinctionem habet, dividitur in ſpirituale, & carnale. Peccata ſpiritualia ſunt illa, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali; carnalia, quæ conſummantur in delectatione carnali. Superbia, v. g. peccatum ſpirituale eſt, qua nimirum propria excellentia homo delectatur; gula vero, quæ conſummatur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ conſummatur in delectatione venereorum, carnalia peccata ſunt. Septem capitalium vitiorum quinque ſpiritualia eſſe, ſcilicet ſuperbiam, avaritiam, invidiam, iram, accediam; duo carnalia, ſcilicet luxuriam, & gulam, *S. Greg.* docet lib. 31. *Moralium*, cap. 17. In Scriptura ſacra fundamentum habet iſta peccatorum divilio, dicente Apoſt. 2. ad Corinth. 7. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Carnis enim inquinamentum eſt peccatum, quod carnali voluptate conſummatur; inquinamentum vero ſpiritus eſt peccatum, cujus conſummatio ſine ſenſuum voluptate conſiſtit.

Alio

Alio modo peccata carnalia dicuntur generali quadam ratione, quæ ab homine carnali, ſive ſecundum carnem vivente perpetrantur, quamvis in carnis voluptate non conſummentur. Vivit autem homo ſecundum carnem, cum vivit ſecundum ſeipſum, quia Scriptura hominem nomine carnis appellat; & vivendo ſecundum ſeipſum peccat, cui ſecundum Deum vivendum eſt. Homo enim ita a Deo factus eſt rectus: „ „ Ut non ſecundum ſeipſum, ſed ſecundum eum, a quo factus eſt, viveret; id eſt, illius potius, quam ſuam faceret voluntatem; non autem ita vivere, quemadmodum eſt factus, ut viveret, hoc eſt mendacium. Beatus quippe vult eſſe, etiam non ſic vivendo, ut poſſit eſſe; quid eſt iſta voluntate mendacius?.. Ergo mendacium eſt, quod cum fiat, ut bene ſit nobis, hinc potius male eſt nobis; vel cum fiat, ut melius ſit nobis, hinc potius pejus eſt nobis. Unde hoc, niſi quia de Deo poteſt bene eſſe homini, quem delinquendo deſerit; non de ſeipſo, ſecundum quem vivendo delinquit „ „? Verba ſunt *S. Auguſt.* lib. 14. *De Civ. Dei*, cap. 4. Hoc ſenſu vitia carnis dicuntur, quæ recenſet Apoſt. ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis; quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et ad Rom. 8. *Non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt... Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis... Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus; ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Peccati carnalis multiplex acceptio.

De Deo bene poteſt eſſe homini non de ſeipſo.

Alio ſenſu paulo minus communi dicuntur peccata carnis, quæ circa res corporeas, & externas verſantur. Sic avaritiam inter peccata carnalia recenſet Apoſt. ad Epheſ. 5. 3. *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis; ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurilitas, quæ ad rem non pertinet.*

Strictiori tandem acceptione peccatum carnis luxuria dicitur, vel quia in delectatione carnis omnium maxima conſummatur, vel quia in hujuſmodi peccato ita ſervit anima corpori, ut nihil aliud homini tunc cogitare liceat, cum in fœdam illam voluptatem immerſus eſt.

ARTICULUS VIII.

Peccatum aliud eſt in Deum, aliud in ſeipſum, aliud in proximum.

Cum enim peccatum omne ſit defectio ab ordine, triplex autem ordo in homine eſſe debeat, ſcilicet ordo ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum, recte dividitur peccatum ex parte eorum, in quos peccatur, in peccata contra Deum, contra nos ipſos, & contra proximum.

Peccata in Deum. Quamquam vero omnia peccata generalia quadam ratione ſint contra Deum, quia ſunt tranſgreſſiones legis æternæ; illa tamen peccata proprie dicuntur contra Deum, quæ directe, & immediate contra divinam illius Majeſtatem pugnant, aut defectiones ſunt ab ordine illo humana ratione ſuperiori, quo homo ſpeciatim in Deum ordinatur; ſive quæ prævaricationes ſunt divinæ legis in his, quæ debentur ſoli Deo. Hujus generis ſunt idololatria, hæreſis, deſperatio, vel præſumptio de miſericordia divina, odium Dei, blaſphemia, ſacrilegium, impœnitentia; & generatim quæcunque theologicis Virtutibus, religioni, & pœnitentiæ, quæ juſtitia quædam eſt hominis ad Deum, reſarciens injuriam ejus irrogatam Majeſtati, repugnant.

Pec-

Peccata contra nos ipſos ſunt ea, quibus violatur ordo rationis, quem quiſque ſervare debet erga ſe ipſum, ut ebrietas, fornicatio, prodigentia. Peccata in nos ipſos.

Peccata in proximum ſunt ea, quibus violatur ordo rationis erga cæteros homines ſervandus, ſive ſuperiores nobis ſint, ſive æquales, ſive inferiores, ſive nobis conjuncti, ſive alieni, ſive domeſtici, ſive extranei; ut furtum, homicidium, perduellio, inobedientia, contumelia, calumnia, detractio, & quæcunque verbis, aut factis alteri fit injuria. Peccata in proximum.

Triplicem illum ordinem hominis, ad Deum ſcilicet, ad ſeipſum, & ad proximum hac ſententia complexus eſt Apoſt. ad Titum 2. 11. 12. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo.* Hinc *S. Fulgent.* lib. 1. *De Remiſſione peccatorum*, cap. 28. hunc locum explicans, ait: „„ Sobrietatem cuſtodiat, quiſquis mores ſuos, vitamque componit. Et ille juſte vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum poteſt, adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam pie vivit, qui perverſum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quiſquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum vivat ſobrius in ſemetipſo, juſtitiam ſervet proximo, pius perſeveret in Deo „„.

Et *S. Bernardus*, declamatione in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*, §. 38. ait: „ Exhibeatur erga „ ſobrietas nobis, juſtitia proximo, pietas Deo. Pie„ tas enim cultus Dei eſt „.

Hanc peccati diviſionem tradit *Ven. Beda*, lib. 1. in Epiſt. ad Cor. cap. 6. „„ Duo ſunt (*inquit*) genera peccatorum; aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem. *Et infra*: Peccatur in Deum etiam corrumpendo templum ejus, quod eſt in nobis „„.

ARTICULUS IX.

Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis eſt.

Peccata cordis.

Peccatum ſecundum diverſos gradus, intra eamdem ſpeciem, dividitur in peccatum cordis, oris, & operis: quia inchoatio peccati eſt in corde: *Quæ enim procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem* (inquit Chriſtus Matth. 15. 18. 19.) Secundus itaque gradus peccati eſt in ore, ſecundum quod homo facile prorumpit ad manifeſtandum conceptum cordis. Tertius gradus eſt in conſummatione operis. Sic iracundus ex appetitu vindictæ primum quidem perturbatur in corde; ſecundo, in verba contumelioſa prorumpit; tertio, ad facta injurioſa procedit. Idemque in luxuria, & aliis peccatis perſpicuum eſt.

Oris.

Operis.

Hæc diviſio peccati colligitur ex Pſ. 23. 3. 4. *Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.*

S. etiam *Hier.* in cap. 43. *Ezech.* tria generalia delicta diſtinguit, quibus humanum ſubjacet genus; *Aut enim cogitatione, aut ſermone, aut opere peccamus.* Et hæc tria delictorum genera ſignificari dicit hirco, vitulo, & ariete, quos offerri pro peccato lex jubet. „„ Cogitatio, *inquit*, refertur ad arietem, quæ prima eſt omnium peccatorum, & ex qua duo alia peccata naſcuntur. Hœdus autem, ſive hircus ad eloquium, ſive ſermonem, qui ſemper de excelſioribus diſputat; opera vitulo deputantur, quoniam vomeri, & labori, & terrenis operibus mancipatus eſt „„.

Tres gradus peccati; ſuggeſtio, dele-

Peccatum cordis tribus gradibus perficitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. „„ Sicut enim in illo manifeſto conjugio duorum hominum, qui primi facti

facti ſunt, non manducavit ſerpens de arbore vetita, ſed tantummodo manducandum perſuaſit; mulier autem non manducavit ſola, ſed viro ſuo dedit, & ſimul manducaverunt; quamvis cum ſerpente ſola locuta, & ab eo ſola ſeducta ſit; ita & in hoc quod etiam in homine uno geritur, & dignoſcitur, occulto quodam, ſecretoque conjugio, carnalis, (vel ut ita dicam) qui in corporis ſenſus intenditur, ſenſualis animæ motus, qui nobis, pecoribuſque communis eſt, ſecluſus a ratione ſapientiæ... Cum ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus, & corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate verſatur, carnalis ille ſenſus, vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi ſe, id eſt, tanquam bono quodam privato & proprio, non tanquam publico, atque communi, quod eſt incommutabile bonum, tunc velut ſerpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ conſentire, de ligno prohibito manducare eſt. Sed iſte conſenſus, ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris vero auctoritate conſilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato: ſic habendum exiſtimo velut cibum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſione male utendi rebus, quæ per ſenſus corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur; intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum. Neque enim poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni accedat, & ſerviat „„. Verba ſunt S. *Auguſt.* lib. 12. *de Trin.* cap. 12. ſenſus.

Et lib. 1. *De ſermone Domini in monte*, cap. 12. „„ Tria ſunt quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione. Suggeſtio ſive per memoriam fit, ſive per corporis ſenſus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel guſtamus,

vel tangimus. Quo ſi frui delectaverit, delectatio illicita refrænanda eſt. Velut cum jejunamus, & viſis cibis paulatim appetitus aſſurgit, non fit niſi delectatione; ſed huic tamen non conſentimus, & eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde noſtro, etiamſi facto non innoteſcat hominibus. Ita ergo ſunt iſti gradus, quaſi a ſerpente ſuggeſtio fiat, id eſt lubrico, & volubili, hoc eſt temporali corporum motu... In appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio; in ratione vero tanquam in viro conſenſio; quibus peractis, tanquam de Paradiſo, hoc eſt, de beatiſſima luce juſtitiæ in mortem homo expellitur; juſtiſſime omnino. Non enim cogit, qui ſuadet... Verumtamen delectatio ante conſuetudinem, vel nulla eſt, vel tam tenuis, ut prope nulla ſit; cui conſentire magnum peccatum eſt, cum illicita eſt. Cum autem quisque conſenſerit, committit peccatum in corde; ſi autem etiam in factum proceſſerit, videtur ſatiari, & extingui cupiditas; ſed poſtea cum ſuggeſtio repetitur, major accenditur delectatio; quæ tamen adhuc multo minor eſt, quam illa, quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum eſt... Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione; ita ipſius peccati tres ſunt differentiæ, in corde, in facto, in conſuetudine, tanquam tres mortes; una quaſi in domo; id eſt, cum in corde conſentitur libidini; altera jam prolata quaſi extra portam, cum in factum procedit aſſenſio; tertia, cum vi conſuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum reſuſcitaſſe, quiſquis Evangelium legit, agnoſcit. Et fortaſſe conſiderat, quas differentias habeat ipſa vox reſuſcitantis, cum alibi dicit:

Matth 9. 25. Luc. 7. 14. Jo. 11. *Puella ſurge*: Alibi: *Juvenis tibi dico, ſurge*: Alibi *Infremuit ſpiritu, & flevit, & rurſus fremuit, & poſt deinde voce magna clamavit, Lazare veni foras*.

Et

Et Serm. 98. alias 44. *De Verbis Domini*, cap. 5. „ Ista tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mortua filia Archisynagogi intus erat in domo; nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulcro; parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum jam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat, ut & sepultum suscitaret, & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo, qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio, quis commotus est aliqua concupiscentia. Dicit enim ipse Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Nondum accessit corpore, consensit in corde. Mortuum intus habet, nondum extulit. Et fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tanquam Domino dicente; *Surge*; condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem, atque justitiam. Surgit mortuus in domo, revivilcit cor in cogitationis secreto... Alii post consensum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Nunquid jam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne & illi juveni dictum est: *Tibi dico, Surge*? Nonne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo, & qui jam fecerit, si forte commonitus, & commotus verbo veritatis, ad Christi vocem resurgit, vivus redditur, potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo, quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum; irascuntur, cum reprehenduntur... Tales consuetudine maligna pressi, tanquam sepulti sunt. Sed quid dicam, Fratres? ita sepulti, ut de Lazaro dictum est; jam putet. Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis dura con-

Tres mortui a Christo suscitati tria peccatorum genera significant.

Matth. 5.

conſuetudinis, qua premitur anima, nec ſurgere, nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem: *Quatriduanus eſt*. Revera ad iſtam conſuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progreſſu pervenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertia factum, quarta conſuetudo „ „. Lege & *S. Greg.* lib. 4. *Moralium*, cap. 25.

ARTICULUS X.

Peccata quædam ſunt ex ignorantia, & quædam ex cupiditate, ſive infirmitate, alia ex malitia.

Peccatum ratione cauſarum interiorum dividitur in peccata ex ignorantia, ex cupiditate, ſive infirmitate, & ex malitia. Ignorantia namque eſt cauſa peccati ex parte rationis; cupiditas ex parte appetitus ſenitentis; malitia ex parte voluntatis.

Ignorantiæ notio.

I. *Ignorantia eſt privatio ſcientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos.* Ratio porro ſecundum duplicem ſcientiam actuum humanorum directrix eſt, ſcilicet ſecundum ſcientiam univerſalem, & ſecundum ſcientiam particularem. Peccatum igitur eſſe poteſt, vel ex ignorantia alicujus univerſalis principii, quod eſt quædam regula rationis; vel ex ignorantia ſingularis circumſtantiæ. Cæterum non quælibet ignorantia peccati eſt cauſa peccati, ſed illa duntaxat, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi quis ita ſit affectus, ut a parricidio non prohiberetur, etiam ſi cognoſceret hominem, quem interficit, eſſe patrem, ignorantia patris non eſt illi cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum, & ideo non peccat propter ignorantiam, ſed peccat ignorans; (inquit *S. Thomas* 1. 2. qu. 76. art. 1.)

Ignorantia multiplex.

Ignorantia multiplex eſt; vel enim ſpectari poteſt ex parte mentis; vel ex parte objecti, vel ex parte hominis ignorantis, vel ex parte voluntatis actui pravo conſentientis.

Ex parte mentis, quam afficit, dividitur a Theologis in ignorantiam negativam, privativam, & pravæ diſpoſitionis.

Ignorantia negativa eſt ſimplex ſcientiæ negatio, ſive neſcientia rerum, quas ſcire aliquis non poteſt, nec debet. Sic pueri, & amentes ignari dicuntur. Sic etiam ignarus aliquo ſenſu dici poteſt, quicunque neſcit ea, quæ ad ſtatum ſuum non pertinent. Et hæc quidem minus propria eſt ignorantiæ acceptio.

Ignorantia privativa eſt privatio ſcientiæ rerum illarum, quas aliquis ſcire poteſt, & debet, ſine quarum videlicet notitia debitum actum recte exercere non poteſt; (ut loquitur *S. Thom.*)

Ignorantia pravæ diſpoſitionis eſt habitus, vel diſpoſitio ſcientiæ contraria; cum videlicet homo falſis principiis, & falſis opinionibus imbutus eſt.

Ignorantia ex parte objecti, quod ignoratur, alia eſt facti, alia juris.

Ignorantia facti eſt reſpectu alicujus particularis contingentis circa materiam, vel circumſtantiam actus, quæ facile poteſt ignorari. Talis fuit ignorantia Jacob Liam pro Rachele cognoſcentis. (*Gen.* 29. 23 24.)

Ignorantia juris eſt privatio ſcientiæ rerum illarum, quæ lege, vel legitima conſuetudine vim legis obtinente ſunt conſtitutæ.

Alia eſt juris divini, alia juris humani. Ignorantia juris divini, alia eſt juris divini naturalis, alia juris divini poſitivi. Ignorantia juris humani, alia eſt juris eccleſiaſtici, alia civilis.

Ex parte hominis, dividitur ignorantia in eam, quæ vincibilis, & in eam quæ invincibilis eſt.

Ignorantia vincibilis eſt ea, quæ humano ſtudio, & diligentia vinci poteſt. Talis eſt ignorantia rerum, quas homo ſcire tenetur, ſive quia neceſſaria ſunt abſolute ad ſalutem æternam conſequendam, ſive ad officium, ad quod eum divina providentia vocavit, incorrupte & integre gerendum, & tamen illas diſcere non curat.

Igno-

Ignorantia invincibilis eſt ea, quæ nulla induſtria, nulla diligentia ſuperari poteſt. Hanc proinde nulla negligentia, nulla malitia voluntariam reddit. Talis eſt ignorantia Myſteriorum fidei in iis, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, quos Theologi vocant infideles negative. *Quomodo* enim *credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* (inquit Apoſt. ad Rom. 10. 14.) De quibus ait Chriſtus Jo. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*; magnum illud ſcilicet peccatum infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata; (ut *S. Auguſt.* loquitur.)

Ex parte voluntatis, ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem, & conſequentem.

Ignorantia antecedens illa eſt, quæ licet non ſit volita, cauſa tamen eſt volendi aliquid, quod alias nollet homo, qui ex hujuſmodi ignorantia agit; verbi gr. cum ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam ſcire minime tenebatur, & inde aliquid agit, quod cognita illa circumſtantia non ageret; ut cum aliquis diligentia adhibita, neſciens aliquem tranſire per viam, vibrat ſagittam, qua interficit tranſeuntem. Quod fit ex illa ignorantia, penitus involuntarium eſt.

Ignorantia concomitans eſt ea, quæ ita conjuncta eſt conſenſui voluntatis, ut, etiamſi abeſſet, nihilominus voluntas operi pravo conſentiret, ut cum aliquis odio ſic accenſus eſt in hoſtem, ut illum occidere velit, atque ignorans occidit, cervum ſe occidere putans. Quod fit ex ignorantia concomitante, non eſt involuntarium, cum illud non repugnat voluntati alias ad illud agendum propenſæ; ſed eſt non voluntarium; quia non poteſt eſſe actum volitum, quod ignoratum eſt.

Ignorantia conſequens eſt ea, quæ judicium rationis, & motum voluntatis ſequitur, adeoque eſt voluntaria.

Duplicis hæc generis; quædam directe, quædam indirecte volita eſt.

Directe volita eſt illa, in quam fertur voluntas, & quam ultro amplectitur; ſicut cum aliquis vult ignorare, quæ ſalutem æternam ſpectant, ut liberius peccet, nullilque conſcientiæ ſtimulis a peccato deterreatur, vel ut ignorantiæ ſuffragio peccatum excuſet, ſecundum illud Job 21 13. 14. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in punctо ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ verba *S. Greg.* ſic explicat lib. 15. *Moralium*, cap. 25. „ „ Hæc verbis dicere, vel ſtulti minime præſumunt; ſed tamen perverſi omnes Deo, recede, non verbis, ſed moribus, dicunt... Qui ei ad ſe aditum præbere recuſant, eumque parvis actibus impugnant; etiamſi verbis laudare videantur. Dicunt etiam: *Scientiam viarum nolumus;* eo ipſo quo ejus ſcientiam apprehendere contemnunt. Sunt namque nonnulli, qui ex eo quod veritas dicit: *Servus, qui non cognovit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit paucis; & ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens juxta eam, vapulabit multis*: Nolunt ſcire, quod faciant, & quaſi minus ſe vapulaturos exiſtimant, ſi neſciant, quod operari debuerunt. Sed aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Neſcit namque, qui apprehendere vult, & non valet. Qui autem, ut neſciat, aurem a voce veritatis avertit iſte non neſciens, ſed contemptor addicitur „ „. De hujuſmodi ignorantiæ reis dicitur in eodem cap. 24. Job. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.* De his dicitur Pſalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Hæc etiam ignorantia dicitur affectata. Luc. 12.

Ignorantia indirecte volita eſt illa, quæ licet non ſit in ſe volita, ratione tamen negligentiæ in illis rebus edilcendis, & conſiderandis, quas edilcere, & conſiderare homo poteſt, & debet, voluntaria cenſetur. Hæc ignorantia dicitur etiam craſſa, & ſupina, ſive ignorantia malæ electionis, vel ex animi perturbatione, vel ex habitu proveniens; ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acqui-

quirere. Hujus generis eſt ignorantia univerſalium juris naturæ principiorum, & præceptorum Decalogi, quæ ex illis facile colliguntur; & ignorantia Symboli Apoſtolorum, ac præcipuorum Myſteriorum fidei, Orationiſque dominicæ in chriſtianis hominibus. De his *S. Thomas*, 1. 2. qu. 6. art. 8.

Plurima ignorantiæ peccata.

Plurima eſſe ignorantiæ peccata, conſtat ex ſacris literis, in quibus ſacrificia pro peccatis ex ignorantia commiſſis præſcribuntur, vel pœnitentia exigitur. *Lev.* 4. 2. & 13. & cap. 5. 17. *Num.* 15. 22. Pſ. 24. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Eccl. 23. 3. *Ne accreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent.* Act. 3. 17. *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri... Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* 1. ad Tim. 1. 13. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Peccatum ex cupiditate.

II. Peccatum ex cupiditate, ſive animi perturbatione, illud eſt, ad quod voluntas inclinatur, & allicitur a concupiſcentia, mentis conſiderationem diſtrahente, vel impediente, juxta illud Dan. 13. 56. *Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum.* Et Jac. 1. 14. 15. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Iſtius generis peccatum dicitur etiam *ex infirmitate*, quia perturbationes ſive cupiditates, animæ ægritudines merito nuncupantur. Hinc illud Davidis Pſ. 6. *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.* Talia fuere Davidis, & S. Petri peccata; talia ſunt quæcunque ex metu, ira, concupiſcentia, vel alia animi perturbatione committuntur.

Quotuplex cupiditas.

Animi autem perturbatio, ſive cupiditas, vel antecedens eſt, vel conſequens. Antecedens illa eſt, quæ judicium rationis, & motum voluntatis antevertit, eamque trahit, vel inclinat ad conſenſum. Conſequens illa eſt, quæ motum voluntatis ſequitur;

ſicut

ſicut libido, vel ira ſponte excitatæ, ut quis aliena muliere fruatur, vel ut inimicum ulciſcatur. Paſſio antecedens libertatem minuit; rationem enim perturbat: ratio perturbata ſingulas operis circumſtantias minus accurate cognoſcere, & expendere poteſt; quod tamen ad perfectam libertatem eſt neceſſarium. Paſſio conſequens auget voluntarium, aut certe ſignum eſt voluntatis vehementioris, & ad peccatum propenſioris. Nemo autem exiſtimet, concupiſcentiam reddere peccatum, quod ex illa ortum habet, prorſus involuntarium; quia ſcribit Apoſt. ad Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus autem adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur; ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Vel enim poſtrema illa verba referenda non ſunt ad externum actum, quaſi concupiſcentia ſit cauſa, quod fiat contra voluntatem; ſed referenda ſunt ad primum concupiſcentiæ motum: vellet enim homo juſtus motus illos non experiri, & tamen velit, nolit, eos patitur. Quo ſenſu ab eodem Apoſtolo dictum eſt ad Rom. 7. 15. *Quod odi malum, illud facio.* Vel referri poſſunt ad voluntatem, quæ paſſionis impetum præcedit. Plerumque enim facit homo paſſione incitatus, & abſtractus, quod antea ſe minime facturum propoſuerat, & quod reſtincta, vel defervelcente cupiditate agere nollet. Sic explicat *S. Thom.* 1. 2. q. 77. art. 7. ad 1. Quamobrem totis viribus eniti debemus, ut *Non regnet peccatum in mortali noſtro corpore ad obediendum deſideriis ejus.* „ Et ſi ſunt deſideria, non eis obedietur, ne iniquitas dominetur (*inquit S. Auguſt. Ser.* 30. *alias* 12. *De Verbis Apoſtoli.*) Non, quod volo, ago, carnalis dicit, non legem, ſed ſe accuſans. Nam lex ſpiritualis non habet culpam: carnalis venumdatus incurrit in culpam. Non agit, quod vult, cum vult non poteſt, quia, quando poterat, nolûit. Per malum velle perdidit bonum poſſe; & captivus jam loquitur, & dicit: *Non quod volo, ago...* Tu non vis, ut concupiſcentia illa, quæ reſiſtit menti tuæ, omnino non

Cupiditas reſiſtendum.

ſit in te? Mali voti homo es, ſi tali adverſario non vis carere. Ego fateor tibi, quidquid in me rebellat adverſus mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, quidquid in me tale eſt, omnino interficere volo. Etſi ei forte adjuvante Domino non conſentio; nolo habere, cum quo litigem. Multo eſt mihi optabilius inimicum non habere, quam vincere. Neque enim illud ipſum, quod caro concupiſcit adverſus ſpiritum, non eſt meum; aut vero ex contraria natura compactus ſum. Et illud meum eſt, & quod ei non conſentio, meum eſt. Pars aliquantum libera reſiſtit reliquiis ſervitutis. Totum ſanum ſit, volo, quia totus ſum ego. Nolo, ut a me caro mea, tanquam extranea in æternum ſeparetur, ſed ut mecum tota ſanetur... Mentis, & carnis unus eſt artifex. Ipſe, quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit: carnem animæ ſubdidit, animam ſibi. Si ſemper illa ſtaret ſub Domino ſuo, ſemper & iſta obediret dominæ ſuæ. Noli ergo mirari, ſi ea quæ deſeruit Superiorem, pœnas patitur per inferiorem. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc enim*, inquit, *invicem adverſantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis.* Inde & iſte: *Non, quod volo, ago.* Concupiſcit enim caro adverſus ſpiritum, & nolo concupiſcat: pro magno habeo, ſi non conſentiam, opto tamen, ut caream. Ergo *Non, quod volo, ago.* Volo enim ut concupiſcat caro adverſus ſpiritum, & non poſſum. Quid mihi hic calumniaris? Ingrate medico, qui calumniaris infirmo? Sine, ut medicum rogem: *Redime me a calumniis hominum, & cuſtodibo legem tuam.* Cuſtodibo per redemptionem tuam, non per poteſtatem meam. Ideo mihi ſanitatem, quam nondum habeo non arrogo, quia medicum rogo. Tu autem naturæ defenſor, vel potius oppugnator, dum quaſi de natura ſana laudas Creatorem, excludis a languida Salvatorem. Qui creavit, ſanat; ruentem per ſeipſam, levat per ſeipſum. Ipſa fides eſt, ipſa veritas, hoc eſt chriſtianæ fidei fundamentum.

Pſ. 118.

tum. Unus, & unus: unus homo, per quem ruina, alius homo, per quem ſtructura: per illum ruina, per hunc ſtructura. Cecidit, qui non manſit; erigit, qui non cecidit. Ruit ille, quia dimiſit manentem: manens ille deſcendit ad jacentem. Si ergo concupiſcit caro adverſus ſpiritum, ut in hoc ipſo non, quod vis, agas, quia vis, ut non concupiſcat, & non potes; tene ſaltem in gratia Domini voluntatem, & in ejus adjutorio perſevera, dic ei: *Greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Quid eſt: *Ne dominetur mihi omnis iniquitas?* Audi Apoſtolum: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Quid eſt: *Non regnet? Ad obediendum deſideriis ejus.* Non dixit: Noli habere deſideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, ubi caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, non habeo deſideria mala? Illud ergo fac: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus.* Etſi ſunt deſideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Non fiant membra tua arma iniquitatis, & non dominetur tibi omnis iniquitas... Cum enim non fiunt membra tua arma iniquitatis, eſt quidem iniquitas membris tuis, in deſideriis illicitis, ſed non regnat. Quomodo regnat, qui arma non habet? Pars tua, caro tua, concupiſcentia carnis tuæ languore rebellat adverſus te. Languor iſte tyrannus eſt; ſi vis te tyranni eſſe victorem, Chriſtum invoca Imperatorem „ „. Hæc *S. Auguſt.* Ex quibus patet, quis ſit ſenſus apoſtolicæ illius ſententiæ: *Quod odi malum, illud facio;* & quomodo peccata ex concupiſcentia, & animi perturbatione commiſſa, nihilominus volita ſint, quia deſideriis illicitis homo non cogitur, ſed libere obedit; & quomodo ipſa cupiditas eſt infirmitas naturæ noſtræ, adeoque peccata ex cupiditate profecta peccata ſunt infirmitatis.

Pſalm. 118.

Rom. 6.

Infirmitas illa, & difficultas operandi bonum, ſicut & ignorantia, naturæ peccatricis vulnera ſunt, per peccatum primi hominis, qui & ſcientia ſua, & ſum-

Naturæ peccatricis vulnera.

ma ad bonum agendum facilitate infeliciter abuſus eſt, hominum generi univerſo inflicta. „ „ Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque, quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens recte non facit, amittat ſcire, quid rectum ſit; & qui recte facere, cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit. Nam ſunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error; ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe a libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati „ „. Verba ſunt *S. Auguſt.* lib. 3. *De libero Arbitrio*, cap. 18.

Triplex cupiditas fons omnis peccati.

Triplicem cupiditatem, ceu triplicem omnis peccati fontem *S. Joannes* indigitat Ep. 1. cap. 2. *Omne* (inquit) *quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Ad iſta enim tria revocantur omnes animi perturbationes, omniſque inordinatus boni appetitus. Ad concupiſcentiam quidem carnis, & concupiſcentiam oculorum, paſſiones omnes appetitus concupiſcentis; ad ſuperbiam vitæ, paſſionis appetitus iraſcentis revocantur. Per carnis enim concupiſcentiam intelligitur perverſus appetitus rerum, quæ carnem delectant, ut cibi, potus, & venereorum. Per oculorum concupiſcentiam intelligitur tum curioſitas, qua concupiſcitur, quidquid aſpectu delectabile eſt, quæ in ſpectaculis, in theatris, magicis artibus, in ipſo etiam miraculorum deſiderio interdum ſe prodit; tum cupiditas ſtricte ſumpta, ſive avaritia, qua opes, aliæque res externæ inordinate appetuntur; ita tamen, ut in eis non quæratur delectatio carnis, quæ tactum afficit, ſed potius poſſeſſio, aut oculorum, ſeu cujuſcunque facultatis cognoſcentis delectatio. Ad hanc concupiſcentiam pertinet, quod de avaro dicitur Eccl. 4. 8. *Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatian-*

tur

tur oculi ejus divitiis. Et Prov. 27. *Infernus, & perditio nunquam implentur; ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.* Et Eccl. 14. *Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis; non ſatiabitur, donec conſumat arefaciens animam ſuam.* Per vitæ denique ſuperbiam intelligitur honoris, propriæque excellentiæ inordinatus appetitus. Tres illæ lanceæ ſunt, quibus diabolus hominum corda petit, ſicut Joab tribus lanceis cor Abſalon confixit. Tribus illis uſus fuit ad ſeducendam Evam, ut obſervat *Julianus Pomerius* lib. 2. *de Vita contemplativa*, cap. 19. Concupiſcentia quidem carnis, cum perſuaſit, ut de fructu vetito comederet; concupiſcentia oculorum, cum ait: *Aperientur oculi veſtri*; ſuperbia vitæ, cum dixit: *Eritis ſicut Dii.* His etiam tribus Chriſtum Dominum noſtrum aggreſſus tentator eſt. Concupiſcentia carnis, cum ait: *Dic, ut lapides iſti panes fiant*: Concupiſcentia oculorum, cum *Oſtendit ei omnia regna mundi, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*: Superbia vitæ, cum ait: *Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te.* Quæ tamen tentationes Chriſto mere extrinſecæ fuerunt, nulla intus concupiſcentia ipſum impellente, aut illiciente, quippe qui nec peccatum, neque concupiſcentiam, aut ignorantiam habuit, ejus dignitati, & Incarnationis fini repugnantes. *Tentatus* igitur fuit *per omnia abſque peccato*, ut loquitur Apoſtolus, adeoque per ſolam externam ſuggeſtionem dœmonis, non ea tentatione, quæ a carne eſt, *Quæ non poteſt eſſe ſine peccato, quia fit per delectationem, & concupiſcentiam*; (inquit) *S. Thom.* 3. q. q. 41. art. 1. ad 3.

2. Reg. 18. Gen. 3. Matth. 4. Heb. 4. 46.

De his S. *Greg.* Hom. 16. in Evangelia: „„ Quibus modis (*inquit*) primum hominem ſtravit, eiſdem modis ſecundo homini tentato ſuccubuit. Per gulam quippe tentat, cum dicit: *Dic, ut lapides iſti panes fiant*; per vanam gloriam tentat, cum dicit: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Per ſublimitatis avaritiam tentat, cum regna mundi oſtendit dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me.* Sed eiſdem

modis a ſecundo homine vincitur, quibus primum hominum ſe viciſſe gloriabatur; ut a noſtris cordibus ipſo aditu captus exeat, quo nos aditu intromiſſus tenebat „„. Hinc *Luc.* 4. 13. dicitur: *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus.* Quem locum *S. Ambroſius* expendens *lib.* 4. *in Lucam*, ait: „„ Prope omnium criminum fontes hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatam omnem tentationem Scriptura dixiſſet, niſi in his tribus eſſet omnium materia delictorum, quorum ſemina in ipſa origine ſunt cavenda. Finis ergo tentationum, finis eſt cupiditatum, quia cauſæ tentationum cauſæ cupiditatum ſunt. Cauſæ autem cupiditatum ſunt carnis oblectatio, ſpecies gloriæ, aviditas potentiæ „„.

Omnium peccatorum radix perverſus amor ſui.

Triplicis hujus cupiditatis, adeoque omnium peccatorum radix eſt perverſus amor ſui. Omne namque peccatum procedit ex inordinato appetitu alicujus temporalis boni; quod autem inordinate appetat homo temporale aliquod bonum, procedit ex hoc, quod inordinate amat ſeipſum; (inquit *S. Thomas*, 1. 2. q. 77. art. 4.) Hinc *S. Auguſt.* lib. 4. *de Civ. Dei*, cap. 28. ait: „„ Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cœleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui. *Et Enar. in Pſalm.* 64. Duas iſtas civitates faciunt duo amores: Jeruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſeculi. Interroget ergo ſe quiſque, quid amet, & inveniet, unde ſit civis; & ſi ſe invenerit civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem; ſi autem ſe invenerit civem Jeruſalem, toleret captivitatem, ſperet libertatem „„. Unde autem ſeculi amor, niſi ex perverſo amore ſui? „ Nec enim eſſent homines amatores pecuniæ, „ niſi eo ſe putarent excellentiores, quo ditiores „; (*inquit idem S. Auguſt.* lib. 11. *de Geneſi ad literam*, cap. 15.) Ubi rectum amorem a perverſo ſimiliter diſtinguens, addit: „„ Hi duo amores, quorum alter ſanctus eſt, alter immundus; alter ſocialis, alter privatus;

Duo amores, duæ civitates.

Recti & perverſi amoris diſcrimen.

tus; alter communi utilitati conſulens propter ſupernam ſocietatem, alter etiam rem communem in poteſtatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter ſubditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter ſeditioſus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicalis, alter invidus; alter hoc volens proximo, quod ſibi, alter ſubjicere proximum ſibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter ſuam; præceſſerunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & diſtinxerunt conditas in genere humano civitates duas, ſub admirabili, & ineffabili providentia Dei, cuncta, quæ creata ſunt, adminiſtrantis, & ordinantis, alteram juſtorum, alteram iniquorum. Quorum etiam quadam temporali commixtione peragitur ſeculum, donec ultimo judicio ſeparentur, & altera conjuncta Angelis bonis in Rege ſuo vitam conſequatur æternam, altera conjuncta Angelis malis in ignem cum Rege ſuo mittatur æternum „ „.

Perverſus amor ſui occidendus.

Perverſus hic amor excidendus, ut radix peccatorum evellatur. Unde Chriſtus ait: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Ratio humana dicit: „ „ Quomodo negat ſe, qui amat ſe? Sed dicit Deus homini, neget ſe, ſi amat ſe. Amando enim ſe, perdit ſe: negando ſe, invenit ſe. *Qui amat* (inquit) *animam ſuam, perdet eam...* Nemo eſt qui non ſe amet; ſed rectus amor eſt quærendus, perverſus cavendus. Quiſquis enim dimiſſo Deo amaverit ſe, Deumque dimiſerit amando ſe, non remanet nec in ſe, ſed exit a ſe. Exit exul pectoris ſui, contemnendo interiora, amando exteriora... Ergo quia contempſit Deum, ut amaret ſe, amando foris, quod non eſt ipſe, contempſit & ſe... Quid eſt ergo, nega te? Noli tu ipſe vivere in te. Quid eſt, noli tu ipſe vivere in te? Noli facere voluntatem tuam, ſed illius, qui habitat in te... Redi ad te, ſed iterum ſurſum verſus cum redieris ad te, Jo. 12 25.

noli remanere in te. Prius ab his, quæ foris ſunt, redi ad te, & deinde redde te ei, qui fecit te, & perditum quæſivit te, & fugitivum invenit te, & averſum convertit te ad ſe „„. S. Auguſtini verba ſunt. Serm. 330. alias 29. ex editis a Sirmondo.

Qui diligit Chriſtum amando, negat ſeipſum.

Et Ser. 96. alias *de Diverſis* 47. „„ Cum tales (*inquit*) ſint homines plures, quales ſunt amores, nihilque aliud curæ eſſe debeat, quomodo vivatur, niſi ut, quod amandum eſt, eligatur; quid miraris, ſi ille, qui diligit Chriſtum, & qui vult ſequi Chriſtum, amando negat ſeipſum? Si enim perit homo amando ſe, profecto invenitur negando ſe. Prima hominis perditio fuit amor ſui: ſi enim ſe non amaret, & Deum ſibi præponeret, Deo eſſe ſemper ſubditus vellet; non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem ſuam. Hoc enim eſt amare ſe, velle facere voluntatem ſuam. Præpone his voluntatem Dei; diſce amare te, non amando te. Nam ut ſciatis, vitium eſſe ſe amare, ſic

2. Tim. 3. Apoſtolus dicit: *Erunt enim homines ſeipſos amantes.* Et nunquid qui amat, ſe fidit in ſe? Incipit enim deſerto Deo amare ſe, & ad ea diligenda, quæ ſunt extra ſe, pellitur a ſe; uſque adeo, ut cum dixiſſet idem Apoſtolus: *Erunt homines ſeipſos amantes*, continuo ſubjiceret, *amatores pecuniæ.* Jam vides, quia foris es. Amare te cœpiſti; ſta in te, ſi potes. Quid is foras? Cœpiſti diligere, quod eſt extra te, perdidiſti te. Cum ergo pergit amor hominis etiam a ſe ipſo ad ea, quæ foris ſunt, incipit cum vanis evaneſcere, & vires ſuas quodammodo prodigus erogare. Exinanitur, effunditur, inops redditur, porcos paſcit; & laborans in paſtione porcorum, ali-

Luc. 15. quando recordatur, & dicit: *Quanti mercenarii patris mei panem manducant, & ego fame hic pereo?* Sed quando hoc dicit, quid narratum eſt de ipſo filio, qui omnia effudit in meretricibus, qui habere voluit in poteſtate, quæ bene illi apud patrem ſervabantur? habere illa voluit in arbitrio ſuo, factus eſt inops. Quid de illo dicitur? Et reverſus ad ſe-

met-

metipſum. Si reverſus eſt ad ſe, exierat a ſe. Quia ceciderat a ſe, & exierat a ſe, redit prius ad ſe, ut redeat in illo, unde ceciderat a ſe Sicut enim cadendo a ſe, remanſit in ſe; ſic redeundo ad ſe, non debet remanere in ſe, ne iterum exeat a ſe. Reverſus ad ſemetipſum, ut non remaneret in ſemetipſo, quid dixit? *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Ecce unde ceciderit a ſe, ceciderat a patre ſuo. Redit ad ſe, & pergit ad patrem, ubi tutiſſime ſervet ſe. Si ergo exierat a ſe, & a quo exierat, redeundo ad ſe, ut eat ad patrem, neget ſe. Quid eſt, neget ſe? Non præſumat de ſe, ſentiat ſe hominem, & reſpiciat dictum Propheticum: *Maledictus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine.* Subducat ſe ſibi, ſed non deorſum verſus. Subducat ſe ſibi, ut hæreat Deo. Quidquid boni habet, illi tribuat, a quo factus eſt, quidquid mali habet, ipſe ſibi fecit. Deus, quod in illo malum eſt, non fecit; perdat, quod fecit, qui inde defecit „ „. Jerem. 17.

Peccatum ex malitia eſt illud, quod ſola perverſitate voluntatis bonum temporale præ rationis ordine, lege Dei, charitate, adeoque præ ipſo Deo amantis, committitur; tunc enim homo, qui ſciens eligit detrimentum pati in aliquo ſpiritualium bonorum, ut potiatur temporali bono, neque ex ignorantia peccat, neque ex animi perturbatione, peccat igitur ex malitia. Iſtud peccati genus notatur Job 34. 27. *Qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Pſalm. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Prov. 2. 14. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas; qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Luc. 12. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Et ad Hebr. 10. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Locum illum Job mox lauda- Peccatum ex malitia. Peccatum tribus ma-

dis committitur.

tum expendens *S. Greg.* lib. 25. *Moralium*, cap. 11. triplex peccati genus, de quo agimus, ſic explicat. „ Peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio perpetratur, & gravius quidem infirmitate, quam ignorantia; ſed multo gravius ſtudio, quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat... Petrus vero infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concuſſit, & Deum, quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa, vel ignorantiæ eo facilius tergitur, quo non ſtudio perpetratur, Paulus, quæ ignoravit, ſciendo correxit; & Petrus motum, & quaſi areſcentem jam radicem fidei lacrymis rigando ſolidavit. Ex induſtria vero peccaverunt ii, de quibus ipſe per ſe magiſter dicebat: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Aliud eſt enim bona non facere, aliud bonorum odiſſe Doctorem; ſicut aliud eſt præcipitatione, aliud deliberatione peccare; ſæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen conſilio, & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque ſolet accidere amare bonum, ſed implere non poſſe. Ex ſtudio vero peccare, eſt bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius eſt peccatum diligere, quam perpetrare; ita nequius eſt odiſſe juſtitiam, quam non feciſſe. Sunt ergo nonnulli in Eccleſia, qui non ſolum bona non faciunt, ſed etiam perſequuntur; & quæ ipſi facere negligunt, etiam in aliis deteſtantur, horum peccatum ſcilicet non ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex ſolo ſtudio perpetratur; quia videlicet ſi vellent implere bona, nec tamen poſſent, ea, quæ in ſe negligunt, ſaltem in aliis amarent. Si enim ea ipſi vel ſolo voto appeterent, facta ab aliis non odiſſent; ſed quia bona eadem audiendo cognoſcunt, vivendo deſpiciunt, animadvertendo perſequuntur, recte dicitur: *Qui ex induſtria receſſerunt ab eo.* Unde & apte ſubjungitur:

Joan. 15.

Et

Et omnes vias ejus intelligere noluerunt. Non enim ait, infirmitate non intelligunt; ſed, intelligere noluerunt; quia ſæpe quæ facere deſpiciunt, etiam ſcire contemnunt „„.

Hujus generis fuiſſe furtum pomorum, a ſe adoleſcente cum ſodalibus perpetratum teſtatur *S. Auguſt.* lib. 2. *Confeſſionum*, cap. 4. „„ Furtum (*inquit*) facere volui, & feci, nulla compulſus egeſtate, nec penuria, ſed faſtidio juſtitiæ, & ſagina iniquitatis. Nam id furatus ſum, quod mihi abundabat, & multo melius. Nec ea re volebam frui, quam appetebam; ſed ipſo furto, & peccato... Dicat tibi nunc, ecce cor meum, quid ibi quærebat, ut eſſem gratis malus, & malitiæ meæ cauſa nulla eſſet, niſi malitia. Fœda erat, & amavi eam; amavi perire; amavi defectum meum; non illud, ad quod deficiebam; ſed defectum meum ipſum amavi. Turpis anima, & diſſiliens a firmamento tuo in exterminium, non dedecores aliquid, ſed dedecus appetens „„!

Peccatum omne ex pravo habitu, eſt peccatum ex certa malitia, ut docet *S. Thomas*, 1. 2. qu. 78. art. 2. Cum enim habitus, ſeu inveterata peccandi conſuetudo in alteram prope naturam converſa ſit, converſio, & proclivitas voluntatis ad malum eligendum ipſi quodammodo connaturalis evadit.

ARTICULUS XI.

Peccati diviſio in ſeptem Vitia capitalia.

Præter iſtas peccati diviſiones, ſolemnis eſt peccati mortalis diviſio in ſeptem vitia capitalia, quæ ſunt veluti fontes, & principia cæterorum, eorumque execranda, & Deo inimica agmina quodam modo dirigunt, ac ducunt. Septem vulgo recenſentur, ſcilicet ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. De qua diviſione legi poſſunt *S. Greg.* lib. 31. *Moralium*, c 17. & *S. Thom.* 1. 2. q. 84. art. 5. *S. Greg.* Superbiam extra numerum ponit; velut reliquorum vitiorum Reginam, inanem autem glo- Septem vitia capitalia.

gloriam vitiorum capitalium primum recenſet. Expendens enim verba illa c. 39. libri Job: *Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitus*, hæc habet: „ „ Quia ſpiritalis militis cogitatione omne vitium prius, quam ſubrepere pollit, aſpicitur, recte de equo Dei dicitur: *Procul odoratur bellum.* Perpendit etiam, quæ turba iniquitatum proruat, ſi mala ad ſe ingredi, vel pauca permittat. Unde ſequitur: *Exhortationem Ducum, & ululatum exercitus.* Tentantia quippe vitia, quæ inviſibili contra nos prælio regnanti ſuper ſe ſuperbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus ſubſequuntur. Neque enim culpæ omnes pari acceſſu cor occupant. Sed num majores, & paucæ neglectam mentem præveniunt, minores, & innumeræ ad illam ſe catervatim fundunt. Ipſa namque vitiorum Regina ſuperbia, cum devictum plene cor cœperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis Ducibus devaſtandum tradit. Quos videlicet duces exercitus ſequitur; quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius oſtendimus, ſi ipſos duces, atque exercitum ſpecialiter, ut poſſumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali ſuperbia, de qua, Eccli. 10. ſcriptura atteſtante, dicitur: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Prima autem ejus ſoboles, ſeptem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur; ſcilicet inanis gloria, invidia, ira, triſtitia, (*ſive acedia*) avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco Redemptor noſter ad ſpiritale liberationis prælium Spiritus ſeptiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum. Nam de inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & novitatum præſumptiones oriuntur. De invidia, odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, afflictio autem in proſperis naſcitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, indignatio, blaſphemiæ

pro-

proferuntur. De triſtitia, malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita naſcitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra miſericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror autem, vel deſperatio futuri generantur. Quia ergo ſeptem principalia vitia tantam de ſe vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quaſi ſubſequentis exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet ſeptem, quinque ſpiritualia, duoque carnalia ſunt: ſed unumquodque eorum tanta ſibi cognatione jungitur, ut nonniſi unum de altero proferatur. Prima namque ſuperbiæ ſoboles inanis gloria eſt, quæ dum oppreſſam mentem corruperit, mox invidiam gignit; quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit. Invidia quoque iram generat; quia quanto interno livoris vulnere animus ſauciatur, tanto etiam manſuetudo tranquillitatis amittitur; & quia quaſi dolens membrum tangitur, idcirco oppoſitæ actionis manus velut gravius preſſa ſentitur. Ex ira quoque triſtitia oritur; quia turbata mens, quo ſe inordinate concutit, eo addicendo confundit, & cum dulcedinem tranquillitatis amiſerit, nihil hanc niſi ex perturbatione ſubſequens mœror paſcit. Triſtitia quoque ad avaritiam derivatur; quia dum confuſum cor bonum lætitiæ in ſemetipſo intus amiſerit, unde conſolari debeat, foris quærit; & tanto magis exteriora bona adipiſci deſiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinſecus recurrat. Poſt hæc vero duo carnalia vitia, id eſt, ventris ingluvies, & luxuria ſuperſunt. Sed cunctis liquet, quod de ventris ingluvie, luxuria naſcitur, dum in ipſa diſtributione membrorum ventri genitalia ſubnexa videantur. Unde

dum

dum unum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti ſunt, exercitus ululare; quia prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt, ſed innumera, quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt. Inanis namque gloria devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Debes majora appetere, ut quo poteſtate videris multos excedere, eo etiam valeas & multis prodeſſe. Invidia quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: In quo illo, vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel ſuperior non es? Quanta vales, quæ illi non valent? non ergo tibi aut ſuperiores eſſe, aut æquales debent. Ira etiam devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non poſſunt, imo hæc patienter tolerare peccatum eſt, quia ſi non eis cum magna exaſperatione reſiſtitur, contra te deinceps ſine menſura cumulantur. Triſtitia quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Quid habes, unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Perpende, cum quo mœrore omnes intuendi ſunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle vertuntur. Avaritia quoque devictum animum quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Valde ſine culpa eſt, quod quædam habenda concupiſcis; quia non multiplicari appetis, ſed egere pertimeſcis; & quod male alius retinet, ipſe melius expendis Ventris quoque ingluvies devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Ad eſum Deus omnia munda condidit, & qui ſatiari cibo reſpuit, quid aliud quam muneri conceſſo contradicit? Luxuria quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum quid te ſequatur, ignoras? Acceptum tempus in deſideriis perdere non debes; quia quam citius pertranſeat, neſcis. Si enim miſceri Deus hominem in voluptate coitus pollet, in ipſo humani generis

ex-

exordio maſculum, & feminam non feciſſet. Hæc eſt ducum exhortatio, quæ dum incaute ad ſecretum cordis admittitur, familiarius iniqua perſuadet. Quam videlicet exercitus ululatus ſequitur, quia infelix anima ſemel a principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in inſaniam vertitur, ferali jam immanitate vaſtatur. Sed miles Dei, quia ſolerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur; quia mala præeuntia quid menti perſuadere valeant, dum cogitatione ſolicita reſpicit, exhortationem ducum naris ſagacitate reprehendit. Et quia longe præſciendo, ſubſequentium iniquitatum confuſionem concupiſcit, quaſi ululatum exercitus odorando cognoſcit „.

S. Gregorium ſequitur *S. Thomas*, & ſuperbiam pariter omnium vitiorum matrem, ac reginam ſtatuit, inanem autem gloriam vitium capitale, 1. 2 q. 132. art. 4.

ARTICULUS XII.

De Peccatis in Spiritum ſanctum.

In lethalium peccatorum claſſi graviſſimum quoddam criminum genus eſt, quod *Peccatum in Spiritum ſanctum* vocatur; quo oblata Dei gratia, quæ Spiritui ſancto ceu fonti bonorum tribui peculiariter ſolet, ex malitia contemptim abjicitur. De quo Chriſtus Matthæi 12. *Ideo dico vobis: Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Et Marci 3. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint: Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.*

Quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum.

Peccatum porro in Spiritum ſanctum Patres antiqui varie intellexerunt, ac expoſuerunt. Quidam intel-

tellexere blaſphemiam proprie dictam, qua quis divinæ bonitatis opera, quæ Spiritui ſancto peculiari quadam ratione tribuuntur, ex deſtinata malitia diabolo impie tribuit, ad inſtar phariſæorum. Illi namque blaſphemiam primum, id eſt, contumelioſa verba in Filium hominis dixerant, Chriſtum voracem, potatorem vini, Publicanorum amatorem appellantes: deinde vero blaſphemiam dixerunt in Spiritum ſanctum, cum divina ejus opera Principi dæmoniorum tribuere auſi ſunt; ſic explicant *SS. Athanaſius, Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius.* Alii peccatum in Spiritum ſanctum impœnitentiam uſque in finem intellexere, ut *S. Aug.* quod iſtud duntaxat peccatum non remittatur unquam, cætera vero pœnitentibus condonentur. Alii peccatum in Spiritum ſanctum eſſe dixerunt crimen omne, quod ex deſtinata malitia perpetratur, id enim ſingulari quadam ratione divinæ adverſatur bonitati, quia per contemptum abjiciuntur, ac removentur oblata miſerentis Dei munera, quæ peccati electionem impediunt, ut explicat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 14. art. 1.

Quotuplex peccatum in Spiritum ſanctum.

Sex vulgo peccata in Spiritum ſanctum recenſentur, ſcilicet præſumptio miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obſtinatio, & impœnitentia.

Peccant igitur in Spiritum ſanctum, qui divinæ miſericordiæ fiducia ad peccandum audaciores fiunt, abjecta omni juſtitiæ, timoriſque divini ratione; qui animo, ſin minus ore dicunt: *Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur:* Qui *Divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt, ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam* illos *adducit*; ſola fide in Chriſtum ſibi blandientes, æternamque felicitatem ſibi promittentes, quamvis in peccatorum ſordibus computreſcant; cum metu, ac tremore ſalutem ſuam operari, & per bona opera certam facere nullatenus curantes.

Eccl. 5. Rom. 2.

Se-

Secundo, peccant in Spiritum ſanctum, qui ſpem omnem abjiciunt, vel impetrandæ a Deo veniæ, vel ſalutis æternæ conſequendæ, ad inſtar Caini dicentis: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. 4. Ad inſtar Judæ proditoris, qui ſalutis deſperatione commotus, vitam laqueo ſibi infelix abrupit. Hi a Deo, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, cujus miſerationum non eſt numerus, qui peccatorem, quoties ex animo ingemuerit, & ad ipſum ſincere fuerit converſus, ut amantiſſimus, & indulgentiſſimus pater filium recipit: a Chriſti Sanguine pro omnibus fuſo, a divinis promiſſionibus oculos mentis avertentes, alienati a vita Dei, propter cæcitatem cordis ipſorum, ſemetipſos deſperantes in omne vitiorum genus effundunt.

Tertio, peccant in Spiritum ſanctum, qui fidei, & religionis chriſtianæ, & catholicæ veritatem, non ex ignorantia, ſed malitia ſtudioſe oppugnant: *Magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis.* 2. Petr. 2. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem:* 2 Tim. 3. *Attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium; ſubverſi, & proprio judicio condemnati.* 2. Tim. 4. Tit. 3. Talis erat Elymas magus, quem S. Paulus repletus Spiritu ſancto hunc in modum objurgavit: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?* Act. 13. Tales Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, & Joannes Wiclef, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus, Servetus, Socinus uterque, cæterique Hereſiarchæ. Sed & illi rei ſunt baſphemiæ in Spiritum ſanctum: „„ Qui contra ſacros Canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter aliquid, aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſte unum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum: quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia ſancti Canones conditi ſunt „„; (ut habet Can. *Violatores*, Damaſo Papæ adſcriptus, cauſa 25. qu. 1.)

Quarto, peccant in Spiritum ſanctum, qui fraternæ gratiæ invident, dolentque graviter de ſplendore, vel augmento virtutum, donorumque Dei, quibus proximus conſpicuus eſt. Tales erant homines illi ex Judæis ad chriſtianam religionem Apoſtolorum prædicatione converſi, qui naſcentem Evangelii gratiam omnino gentibus invidebant. Talis *Alexander* ille *ærarius*, qui multa mala intulit Apoſtolo Paulo, & ſermonibus illius valde reſtitit. Hanc fraterne charitatis invidentiam peccatum eſſe ad mortem, de quo S. Joannes ait: *Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis*; cenſet *S. Auguſt.* lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 22. „ „ Peccatum fratris ad mortem puto eſſe, (*inquit*) cum poſt agnitionem Dei per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti quiſque oppugnat fraternitatem, & adverſus ipſam gratiam, qua reconciliatus eſt Deo, invidentiæ facibus agitatur „ „. Peccatum (inquam) iſtud ad mortem eſt, cujus rei ab Eccleſiæ orationibus excluduntur, ſi in hac perverſitate finierint hanc vitam, ut explicat idem S. Doctor lib. 1. *Retractationum*, cap. 19. „ „ Peccatum autem non ad mortem eſt, ſi quiſquam non amorem a fratre alienaverit, ſed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in cruce ait: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*; nondum enim gratiæ Spiritus ſancti particeps facti ſocietatem ſanctæ fraternitatis inierant. Et S. Stephanus orat pro eis, a quibus lapidabatur, quia nondum Chriſto crediderant, neque adverſus illam communem gratiam dimicabant. Et Apoſtolus Paulus propterea, credo, non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, & ad mortem, id eſt, invidentia fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem, qui non abruperant amorem, ſed timore ſuccubuerant, orat, ut eis ignoſcatur „ „.

2. Tim. 4.

1. Joan. 5.

Luc. 23.

Act. 7.

Quinto, peccant in Spiritum ſanctum, qui obfirmato plane animo in peccatis perſeverant, nec ullis admonitionibus, ſuaſionibus, increpationibus, aut

Dei

Dei flagellis a pravo inſtituto ſe deflecti patiuntur. Talis fuit Rex *Pharao*, cujus cor induratum erat, & in malitia obſtinatum, ne populum Dei dimitteret, quamvis toties a *Moyſe* monitus, ſubinque flagellis Dei graviſſimis attritus. Tales Judæi, quorum invictam pertinaciam Protomartyr *S. Stephanus* his verbis perſtringebat: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Act. 7. Tales illi omnes, qui falſas religiones profeſſi, & ab Eccleſia catholica ſeparati, catholicos Doctores, & Prædicatores audire nolunt. Tales quicunque in criminibus ſuis obdurati, & obſtinati, ſin minus voce, animo certe, factiſque Deo dicunt: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job. 21. De hujuſmodi hominum genere ſapiens ait: *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentino ei ſuperveniet interitus; & eum ſanitas non ſequetur.* Prov. 29. Tales ſunt, qui peccata ſua non ſolum non plangunt, ſed defendunt; non ſolum non confitentur, ſed in illis impudenter gloriantur; qui potentes in iniquitate, & contemnentes cum in profundum peccatorum venerint, ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei. Rom. 2.

Sexto, peccant in Spiritum ſanctum, qui peccatorum ſuorum finem, modumque nullum faciunt, ac proponunt inſuper ſe nolle unquam pœnitentiam agere. Horum ut vita, ita & *Mors peſſima* eſt, qui extinguentes in ſeipſis Spiritum Dei, & *obdurati fallacia peccati*, ſin minus verbis, at re ipſa dicere videntur: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Hebr. 3. Horum proprie *Peccatum ad mortem eſt.* Perſeverans illa cordis impœnitentis duritia illud proprie peccatum eſt, quod „„ Non habet remiſſionem neque in hoc ſeculo, neque in futuro; quia pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſeculo, quæ valeat in futuro; ſed iſta impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quiſque in hac carne vivit, non poteſt judicari. De nullo enim deſperandum eſt, quam- Iſai. 28.

diu patientia Dei ad pœnitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur, & vivat. Paganus eſt hodie; unde ſcis utrum ſit futurus craſtino Chriſtianus? Judæus infidelis eſt hodie; quid ſi cras credat in Chriſtum? Hæreticus eſt hodie; quid ſi cras ſequatur catholicam veritatem? Schiſmaticus eſt hodie; quid ſi cras amplectatur catholicam pacem? Quid ſi iſti, quos in quocunque genere erroris notas, & tanquam deſperatiſſimos damnas, antequam finiant iſtam vitam, agant pœnitentiam, & inveniant veram vitam in futuro „ „? De nemine igitur ante tempus judicandum eſt, quia perſeverans illa duritia cordis impœnitentis non poteſt in quoquam, dum adhuc in hac vita eſt, deprehendi; (inquit *S. Auguſt.* Serm. 71. alias 11. *De verbis Domini*, cap. 13.)

CAPUT II.

De Peccatorum gravitate.

Peccatorum inæqualitas.

I. Omnia peccata eſſe paria, poſt Stoicos docuit *Jovinianus* hæreticus, a *S. Hieron.* libris duobus confutatus, de quo *S. Auguſt.* Epiſt. 167. alias 29. ad ipſum *Hieron.* data, cap. 2. „„ Hoc (*inquit*) de parilitate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare contra omnem ſenſum generis humani; quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac ſententia Stoicus erat, in aucupandis autem, & defenſandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis ſanctis dilucidiſſime convicilti. In qua tua ſuaviſſima, & præclariſſima diſputatione ſatis evidenter apparuit, non placuiſſe auctoribus noſtris, vel ipſi potius, quæ per eos locuta eſt, veritati, omnia paria eſſe peccata „„. Hinc Chriſtus Joan. 19 ſic *Pilatum* compellat: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Quæ verba *S. Auguſt.* ſic interpretatur Tract. 116. In Joannem: „„ Plus pec-

peccat ille, qui poteſtati innocentem occidendum livore tradit, quam poteſtas ipſa, ſi cum timore alterius majoris poteſtatis occidit. Et ideo non ait verax magiſter, ipſe habet peccatum, tanquam ille non haberet; ſed, *Majus peccatum habet*, ut etiam ſe habere intelligeret. Non enim propterea illud nullum eſt, quia hoc majus eſt „„. Præterea, *Peccatum ad mortem* a peccato *non ad mortem* diſtinguitur 1. *Joan.* 5. Et peccata quædam *trabi*, quædam *feſtuca* comparantur, *Luc.* 6. Et facilius remitti ſignificatur peccatum *in Filium hominis*, quam *in Spiritum ſanctum*, Matth. 12. & Matth. 11. Chriſtus ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida,.. Tyro, & Sydoni remiſſius erit in die judicii, quam vobis.* Præter illud Matth. 18. de ſervo debitore decem millium talentorum; ad quod alludens *S. Hieron.* lib. 2. *Contra Jovinianum*, cap. 16. „ Sunt peccata levia (*inquit*) ſunt gravia. Aliud eſt „ decem millia talenta debere, aliud quadrantem „. Idem colligitur ex veteri Teſtamento, Gen. 4. *Septies ultio dabitur de Cain; de Lamech autem ſeptuagies ſepties*, Jer. 7. *Pejus operati ſunt, quam patres eorum.* Thren. 4. *Major facta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Quin & illud Ezech. 9. *Iniquitas domus Iſrael magna eſt nimis valde*, ſic intelligit *S. Hieron.*, ut pro iniquitatis magnitudine ſit magnitudo ſupplicii. „„ Ex quo, *inquit*, diſcimus, non ut plerique æſtimant, & maxime Stoici, paria eſſe peccata, ſed vel magna, vel parva, & pro diverſitate, menſuraque peccantium diverſitatem eſſe judicii punientis „„. Hinc *S. Greg.* lib. 21. *Moralium* cap. 9. Peccatum a crimine diſtinguit; quia „„ Peccatum quidem animam polluit, crimen vero extinguit; & non ſolum uſque ad iniquinationem maculat, ſed uſque ad perditionem vorat „„. Idem confirmat *S. Auguſt.* Epiſt. 104. alias 254. ad *Neclarium*, ubi præter alia refellit, quod ille ex Stoicorum placito dixerat: *Omnia peccata eſſe paria.*

II. Gravitas autem peccatorum ſumitur ex objecto, fine, & circumſtantiis, ut docet *S. Thomas*, 1. 2. q. 73. art. 3. 6. & 7. Ratione objecti gravius eſt

Unum peccatum alio gravius multiplici ratione.

peccatum, quod immediate contra Deum committitur, ſicut infidelitas, blaſphemia, & alia hujuſmodi. Rurſus peccatum quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ſicut homicidium, gravius eſt peccato, quod eſt circa res exteriores, ſicut furtum; & in ordine quorumlibet horum peccatorum, unum peccatum eſt gravius altero, ſecundum quod eſt circa aliud principalius, vel minus principale. Hinc etiam gravius peccatum eſt, quod majori virtuti repugnat. Quamobrem odium Dei graviſſimum peccatorum eſt, quia directe opponitur charitati, quæ maxima virtutum eſt, ſecundum illud Apoſt. 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas; tria hæc, major autem horum eſt charitas.*

Ratione finis, gravius peccatum eſt, quod fit propter pejorem finem: *Gravius peccat* (inquit) *S. Thomas* art. 6. *cujus voluntas ex intentione finis inclinatur ad peccandum.* Sic gravius furtum eſt, quo quis rem alienam accipit, ut fornicetur, illo, quo quis rem alienam accipit, ut ſuæ inopiæ ſubveniat.

Humanorum actuſi circumſtantiæ.

Ratione circumſtantiæ gravius peccatum eſt, cui circumſtantia magis aggravans adjungitur. Sunt autem hæ actuum humanorum circumſtantiæ: quis fecerit? Quibus auxiliis, vel inſtrumentis fecerit? Quid fecerit? Ubi fecerit? Cur fecerit? Et quando fecerit? Quæ hoc verſu continentur;

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis, ſignificat conditionem, ſive ſtatum perſonæ peccantis, circa quam conſiderandum eſt, an laica ſit, vel ſacra, ſive religioſa; an matrimonio juncta, vel ſoluta; an privata, vel publica, ſive aliqua dignitate, aut munere eccleſiaſtico, vel civili ornata, &c. *Quid*, ſignificat, conditionem aliquam materiæ, vel objecti; quantitatem, v. gr., vel qualitatem. Sic in furto ſpectandum, utrum res aliena magni fuerit pretii, vel levis; utrum pauperi, vel diviti ablata fuerit. Sic in quolibet peccato conſideranda eſt dignitas perſonæ, in quam peccatur, ut de peccati gravitate judicetur. *Ubi*, ſignificat conditionem *loci*,

circa

circa quem ſpectandum eſt maxime, an ſit ſacer, vel profanus: ſic graviora peccata ſunt percuſſio, homicidium, furtum, & fornicatio in templo commiſſa, quam in proſtibulo, vel in privatis ædibus. *Quibus auxiliis*, deſignat media, & inſtrumenta, quibus aliquis ad patrandum facinus uſus eſt, velut an falſa clavi, an violata quibuſdam inſtrumentis; vel aperta ſera, an corruptis famulis, vel ancillis domum ingreſſus ſit ad furtum committendum, quod gravius peccatum eſt, quam ſi patenter, aut per murum non obſtructum ingreſſus eſſet: an manu nuda, vel armata percuſſerit; an veneno, vel gladio occiderit: an opera dæmonis, vel aliquo maleficio, an blanditiis duntaxat, & promiſſis, an vi aperta pudicitiam alienam tentaverit, aut expugnaverit. *Cur*, ſignificat finem, non illum quidem primarium, & proximum, qui dat ſpeciem actioni, ſed adjunctum, & remotum. Ejuſmodi circumſtantia eſt ebrietas, cum aliquis furatur, ut ſe inebriet: item vana gloria, cum eleemoſynam erogat oſtentationis cauſa. *Quomodo*, ſignificat conditionem pertinentem ad qualitatem actus, qualis eſt, fieri per inſidias, vel aperte; ex propoſito deliberato, vel ſubito motu; intenſe, vel remiſſe; naturaliter, vel contra naturam. *Quando*, exprimit circumſtantiam temporis, ſive temporis conditionem, & qualitatem, cujus ratio habenda ſit in morali negotio, ut dies feſtus, cum agitur de Miſſa non audita, dies jejunii, cum agitur de pluribus refectionibus; tempus pacis, aut belli, cum agitur de ſpoliatione hoſtium a militibus. Ad eamdem circumſtantiam pertinet occaſio, quæ tempus eſt rei gerendæ opportunum.

Tripliciter autem contingit aggravari peccatum ratione circumſtantiæ: Primo quatenus circumſtantia transfert actum in aliud genus peccati; ſicut peccatum fornicationis in eo poſitum eſt, quod homo accedit ad non ſuam: ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut illa, ad quam accedit, ſit alterius uxor, transfertur in aliud genus peccati, ſcilicet injuſti-

tiam, in quantum homo rem alterius uſurpat: qua ratione adulterium gravius fornicatione peccatum eſt. Secundo, circumſtantia peccatum aggravat, quando, etſi non transferat actum in aliud genus peccati, multiplicat tamen rationes peccati, ſicut ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet, gravius peccat eodem genere peccati, quam ſi det ſolum, cui non debet; ſicut etiam ægritudo gravior eſt, quæ plures partes corporis inficit. Tertio modo circumſtantia aggravat peccatum, non ſecundum ſe ſpectata, ſed alia circumſtantia præſuppoſita, ſicut accipere multum, auget peccatum, ex hypotheſi quod ſit res aliena, & contra voluntatem domini accipiatur. Ita *S. Thomas*, 1. 2. q. 73. art. 7.

CAPUT III.

De Effectibus peccati.

Macula peccati.

I. Duo ſunt effectus præcipui peccati, macula, & reatus pœnæ. Macula eſt privatio nitoris ex rerum terrenarum amore, & adhæſione, contra lumen rationis, & divinæ legis proveniens; ſicut macula corporis eſt detrimentum nitoris, ex alieni corporis contactu procedens. Habet autem anima duplicem nitorem; unum quidem ex lumine naturalis rationis, per quam in ſuis actibus dirigitur; alterum ex divino lumine ſapientiæ, & gratiæ, quibus perficitur homo, ut bene, & convenienter agat. Hujus utriuſque nitoris privatio eſt macula peccati, manens in anima, etiam poſtquam actus peccati tranſierit, donec pœnitentiæ virtute abſtergatur, eaque macula diſtincta eſt a reatu pœnæ. Unde *S. Pius V.* & *Greg. XIII.* hanc *Michaelis Baji* Propoſitionem 54. damnarunt inter alias: „ In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil remanet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam „. Hujus maculæ frequens in ſacra Scriptura fit mentio. Joſue 22. *An parum eſt vobis, quod peccaſtis in Beelphegor, & uſque*

in

in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet? Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula.* Eccl. 31. *Beatus vir, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris.* Ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.* Ex quo *S. Hieron.* colligit, quod „„ Qui peccat, & aliqua ſorde maculatus eſt, de Eccleſia non eſt, (*merito ſcilicet, quamvis de illa ſit numero*) *& quod* Sicut omne ſtudium feminarum eſt, ut quod fœdare videntur, abſtergant, ſic & animæ omni peccatorum ſorde purgandæ ſunt „„. Idem probant omnia loca Scripturæ, quæ peccata nomine immunditiæ, & ſordium, vel inquinamentorum ſignificant, ipſoſque peccatores immundos, & inquinatos appellant. Iſai. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.* Et cap. 64. *Facti ſumus, ut immundus omnes nos.* Ezech. 14. *Qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo.* Et cap. 36. *Salvabo vos ex univerſis inquinamentis veſtris.* Jer. 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Ad Tit. 1. *Inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia.* Jacob 1. *Abjicientes omnem immunditiam.* Eodem ſpectant, quæ juſtificationem impii nomine ablutionis ſignificant, ut Pſal. 50. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*, Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Zach. 13. *Erit fons patens domui David, habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Jer. 33. *Emundabo illos ab omni iniquitate ſua.* 1. ad Corinth. 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* 1. Joan. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Hujus maculæ ratione peccator Deo exoſus eſt, ſecundum illud Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Sapientiæ 14. *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.*

Quid vero mirum, ſi nitorem animæ peccatum depaſcatur, cum vitam ejus ſupernaturalem, quæ ex charitate eſt, extinguat? Hinc Dominus ait Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Hinc *S. Auguſt.* Tract. 49. in Joan. ait: „ „ Omnis, qui peccat, moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ ſine dubio quandoque ventura eſt, curant omnes, ne veniat; inde eſt, quod laborant. Laborat, ne moriatur homo moriturus, & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus. Et cum laborat, ne moriatur, ſine cauſa laborat; id enim agit, ut multum mors differatur, non ut evadatur; ſi autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum. Oh ſi poſſemus excitare homines, & cum ipſis pariter excitari, ut tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo ſub mortis periculo conſtitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid ſibi, unde viverent, reſervabant. Quis non continuo prodidit, ne percuteretur? Et poſt proditionem fortaſſe percuſſus eſt. Quis non, ut viveret, continuo perdere voluit, unde viveret, eligens vitam mendicantem, quam celerem mortem? Cui dictum eſt: Naviga, ne moriaris; & diſtulit? Cui dictum eſt; Labora, ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus; & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit: Perde, quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore ſolicitus; ſed, da pauperi, unde habes, ut vivas ſemper ſine labore ſecurus. Accuſant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt, habent; & nos invicem non accuſamus, tam pigri, tam tepidi ad capeſſendam vitam æternam, quam ſi voluerimus, habebimus; cum habuerimus, non amittemus; hanc autem mortem, quam timemus, etiamſi noluerimus, habebimus „ „.

Hinc *S. Petrus Chryſol.* Serm. 19. hæc verba Chriſti explicans, Matth. 8. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos,*

ſuos, ait: „„ Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus. Sine anima corpus non vivit; non vivit anima ſine Chriſto. Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt: diſcedente Deo, confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror; & ſit in corporis ſepulcro funus animæ jam ſepultæ „„.

Animæ ſeparatio a Deo per peccatum.

Mortem ergo animæ, ſeparationem ejus a Deo intellige. Iſai. 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum; & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Deus, quantum eſt ex ſe, omnibus per gratiam ſuam præſens eſt, ut ſol ille ſyderum princeps omnibus hominibus affulget, ſed peccatores magis diligunt tenebras, quam lucem. Non deſerit Deus, niſi deſeratur, ut juſte ſemper, pieque vivatur. Longe ergo recedimus a Deo per peccatum in regionem diſſimilitudinis, in regionem umbræ mortis. Qua de re *S. Ambroſ.* lib. *de Nabuthe* cap. 16. „„ Vos reddite munera, qui a Domino non receditis, qui eſtis in circuitu; quoniam qui eratis longe, facti eſtis prope. Qui autem prope ſibi videntur eſſe per divitias, ac potentiam, longe facti ſunt propter avaritiam. Nemo enim foris eſt, niſi quem culpa excluſerit, ut ejecit Adam de Paradiſo, & excluſit Evam. Nemo longe, niſi quem flagitia propria relegaverint. *Hinc Pſal.* 118. *dicitur: Longe a peccatoribus ſalus, quoniam juſtificationes tuas non exquiſierunt. Sed inquit S. Ambroſ.* Ipſi ſunt ſui auctores periculi, qui Domino non appropinquarunt. Ideo facti ſunt longe, quia voluntate ſua a ſalutis ſe gratia ſeparaverunt. Non refugit eos ſalus, ſed ipſi ſalutem, qui ſe elongaverunt. *Hinc rurſus Pſ.* 93. *Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet. Eſt enim* miſericordiæ divinæ (*inquit S. Ambroſius*) ut nulli cauſa ſit mortis, & omnes putet eſſe redimendos. Sed vide, ne ille repellatur, qui ſe elongat a Domino, ſicut dicit David:

Quo-

Pſal. 72. *Quoniam ecce, qui elongant ſe a te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* Quid eſt, *abs te fornicantur*? Quia turpitudinis ſuæ ludibriis te relinquunt, & a te recedunt, & a præceptis tuis devii ſunt. Denique alibi habes ſcriptum: *Adulteros autem judicat Deus*; diſperdens eos a ſe. Repuliſti ergo, hoc eſt, alienando abs te perdidiſti eos. Ergo qui ſe a Domino ſeparat, ipſe a Domino ſeparatur; & qui non cognoſcit Dominum, a Domino non cognoſcitur, & qui ignorat, ignoratur; ſicut ipſe Dominus dixit: *Diſcedite a me omnes operarii iniquitatis, neſcio vos.* Non enim ſcire dignatur injuſtitiæ miniſtros, & iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur, quia ipſe repellit „ „. Se (inquam) repellit a ſinu Patris, ab amplexibus Sponſi, a diſciplina magiſtri, cui proinde jure merito dicit Dominus: *Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum*; &: *Vos ex patre diabolo eſtis*: Ab imperio denique Regis optimi, & beneficentiſſimi, dicens in corde ſuo: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Peccator proinde ſuave Domini jugum abjiciens, in peccati ſervitutem, diabolique tyrannidem incidit, qui *Rex eſt ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Nam *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; &: *A quo quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt.* Amiſſa (inquam) libertate gloriæ filiorum Dei, fit *Servus corruptionis*; nec unum jam dominum habet, ſed tot dominos, *tot Reges, quot vitia* (inquit *S. Ambr.* Serm. 20. in Pſ. 118.

Hebr. 13.

Matth. 7.

Pſ. 49. 17.

Joan. 8.

Luc. 19. 14.

Job. 41.

Joan. 8.

2. Petr. 2.

Peccatum mortale omnes animæ divitias deprædatur.

Non ſolum animæ decorem mortale peccatum corrumpit, ſed & divitias ejus deprædatur; merita ſcilicet, ac bona opera præterita mortificat, & obliterat, ut nullam eorum rationem habeat Deus, quamdiu illa in peccato permanſerit. Id ſignificat *Jeremias* Thren. 1. ſub typo cladis Jeruſalem: *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus... Peccatum peccavit Jeruſalem; propterea inſtabilis facta eſt... Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui... Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Quem locum

S. Hieron.

S. Hieron. ſic interpretatur: „ „ Myſtice filia Sion reliquit decorem ſuum, quando anima per incuriam cogitationum, virtutum perdidit ornamentum; nec ei ſubveniebant Principes ſui, hoc eſt, rationabiles tractatus, cum quibus reſiſtere debuit inimicis perſequentibus, ſed defecto robore fortitudinis coram hoſte perſequente, propulſa eſt in foveam deceptionis... Sordes geſtat in pedibus, qui greſſum converſationis ſuæ malis polluit operibus; nec recordatur finis ſui, & temporis juſti judicii Dei. Unde depoſita vehementer, & hoſtium manibus tradita, nullum conſolatorem habet; quia tempore opportuno, cultu pietatis honorare noluit ſuum auctorem. Solus in ea dominatur inimicus, quoniam Deus verus eam deſeruit amicus. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Propter peccata populi hoſtilis exercitus devaſtat templum Domini, & omnem ornatum ejus dejicit. Repulit enim Dominus Tabernaculum ſuum, in quo habitavit inter homines; & tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudines eorum ſprevit. Sed & nos, ſi non obſervaverimus diligenter clauſtra cordis noſtri, & per aliquem ſenſuum noſtrorum hoſtis antiquus patentem invenerit introitum, ingreditur per ſuggeſtiones pravas, & illicitas concupiſcentias in ſacrarium animæ noſtræ, ubi S. Trinitas per fidem veram habitare conſuevit, & ſpoliat illud decore ſapientiæ, & ornatu virtutum; primuſque miſerabiles, & omni confuſione digniſſimi „ „. Hinc nomine peccatricis animæ, ſub typo Jeruſalem a diabolo vaſtatæ, ſubdit Propheta: *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adverſum me tempus, ut contereret electos meos.* Abſtulit Dominus magnificos plebis judaicæ in tempore captivitatis ſuæ, quando Prophetas, & Sacerdotes, quorum ope, & doctrina Judæi maxime ſuſtentati ſunt, propter malitiam eorum, & ſcelerum multitudinem apud illos habitare non permiſit, ſicut Daniel teſtatur, dicens: *Domine, non eſt in tempore hoc Princeps, nec Propheta, & Dux, ne-* Dan. 9.

neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, ut poſſimus invenire miſericordiam.„„ Sic (*inquit S. Hieron.*) & ab anima diabolica fraude decepta, poſtquam eam inimicus intus captivam a ſtatu rectæ fidei, & bonæ converſationis in converſionem erroris abduxerit, ſanctorum prædicatorum doctrinam, & exempla ab aſpectu cordis ejus per oblivionem aufert; quatenus eam ſpoliatam virtutibus facilius in terra aliena poſſideat, ne per recordationem ſani dogmatis, & melioracionem vitæ ad ſtatum priſtinum revertatur „ „.

Reatus pœnæ. II. Alter effectus peccati eſt reatus pœnæ, ſive debitum pœnæ propter peccatum admiſſum luendæ: „ Manens, donec remittatur, in occultis legibus „ Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla ſit inquitas impunita, niſi „ quam ſanguis Mediatoris expiaverit „, ut loquitur *S. Auguſt.* lib. 6. contra *Julianum Pelagianum*, cap. 19. Id certe in omnibus ex naturali inclinatione invenitur, ut unuſquiſque deprimat eum, qui contra ipſum inſurgit. Unde quidquid contra ordinem inſurgit, æquum eſt, ut ab eo ordine, & ordinis principe deprimatur. Cum autem peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideo æquum eſt, ut ab eo ordine deprimatur; quæ quidem depreſſio pœna eſt. Unde ſecundum tres ordines, quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. Primo enim ſubditur ordini propriæ rationis: Secundo, ordini exterioris hominis gubernantis, vel ſpiritualiter, vel temporaliter, politice, ſeu œconomice. Tertio ſubditur univerſali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur; dum ille, qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam; unde triplicem pœnam incurrit; unam quidem a ſeipſo, quæ eſt conſcientiæ ſtimulus; aliam ab homine; tertiam a Deo. Ita differit *S. Thomas* 1. 2. q. 87. art. 1. De ſecundo pœnæ genere hic non agimus,

mus, ſcilicet de pœnis ab homine infligendis; ſed quæſtio in præſenti de reatu pœnæ a Deo infligendæ, de qua Exodi 32. dicitur: *Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli.* Deut. 21. *Auferetur ab eis reatus ſanguinis.* Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Pſal. 31. *Multa flagella peccatoris.* Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Ad Rom. 2. *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.*

Peccator igitur, qui ſe ab ordine legis divinæ ſubduxit per culpam, in ordinem divinæ juſtitiæ revocatur per pœnam. Ut enim differit *S. Auguſt.* Epiſt. 140. alias 120. ad *Honoratum*, cap. 2. „ „ Ineſt homini anima rationalis, ſed intereſt ejuſdem rationis uſu, quoniam potius voluntatem convertat, utrum ad bona exterioris, & inferioris, an ad bona interioris, ſuperioriſque naturæ; id eſt, utrum ut fruatur corpore, & tempore, an ut fruatur divinitate, atque æternitate. In quadam quippe medietate poſita eſt, infra ſe habens corporalem creaturam, ſupra ſe autem ſui, & corporis Creatorem. Poteſt igitur anima rationalis etiam temporali, & corporali felicitate bene uti, ſi non ſe dederit creaturæ Creatore neglecto, ſed eam potius felicitatem fecerit ſervire Creatori, qui & ipſam ſuæ bonitatis abundantiſſima largitate donavit. Sicut enim bona ſunt omnia, quæ creavit Deus ab ipſa rationali creatura uſque ad infimum corpus; ita bene agit in his anima rationalis, ſi ordinem ſervet, & diſtinguendo, eligendo, pendendo ſubdat minora majoribus, corporalia ſpiritualibus, inferiora ſuperioribus, temporalia ſempiternis, ne ſuperiorum neglectu, & appetitu inferiorum, (quoniam hinc fit ipſa deterior) & ſe, & corpus ſuum mittat in pejus, ſed potius ordinata charitate ſe, & corpus ſuum convertat in melius. Cum enim ſint omnes ſubſtantiæ naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, perverſitas culpata damnatur. Nec efficit anima perverſe utens creaturis, ut ordinationem eſſu-

fugiat Creatoris; quoniam ſi illa male utitur bonis; ille bene utitur etiam malis; ac per hoc illa perverſe bonis utendo fit mala; ille ordinate etiam malis utendo permanet bonus; qui enim injuſte ſe ordinat in peccatis, juſte ordinatur in pœnis „ „.

Pœna æterna peccato mortali debita.

III. Duplex eſt reatus pœnæ, ſcilicet pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. Pœnæ æternæ reatum inducit peccatum mortale, quod irreparabiliter pervertit ordinem hominis ad Deum ut ultimum finem, & charitatem extinguit, per quam Deo inhætet. Unde Matth. 25. Chriſtus de ſententia adverſus reprobos ferenda ait: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum;* ſubditque S. Evangeliſta: *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Et Marci 3. dicitur: *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti;* id eſt, obnoxius æternæ damnationi. Hinc etiam 2. ad Theſſal. 1. dicitur de impiis, & infidelibus, qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in Sanctis ſuis.* Adde illud Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum; nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus, & ſi quis acceperit caracterem nominis ejus.*

Originis error.

Nonnulli quidem, & inter alios *Origenes*, Origeniſtæ, & alii quidam injuſtum putaverunt, ut pro peccatis quamlibet magnis, brevi ſcilicet tempore perpetratis, pœna quiſque damnetur æterna: „ „ Quaſi ullius id unquam juſtitia legis attendat, ut tanta mora temporis quiſque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admiſit. . Damnum *enim*, ignominia, auxilium, ſervitus, cum plerumque ſic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo ſimilia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum; & tamen peccata, quæ vindicantur longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo tempore perpetrantur; nec

quiſ-

quiſquam extitit, qui cenſeret tam cito nocentium finienda eſſe tormenta, quam cito factum eſt homicidium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus, non temporis longitudine, ſed iniquitatis, & impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid mora, qua occiditur, quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant, & non quod eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium? Quod eſt autem de iſta civitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de civitate illa immortali homines ſupplicio ſecundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quiſque revocetur æternam, ſecunda morte damnatus „ „. Ita differit *S. Auguſt.* lib. 21. *De Civ. Dei*, cap. 11.

Præterea: „ „ Si quibus dicitur: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*, vel univerſi, vel aliqui eorum non ſemper ibi erunt, quid cauſæ eſt, cur diabolus, & Angeli ſemper ibi futuri eſſe credantur? An forte Dei ſententia, quæ in malos, & Angelos, & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines falſa? Ita plane hoc erit; ſi non, quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines, plus valebit. Quod fieri, quia non poteſt, non argumentari adverſus Deum, ſed divino potius, dum tempus eſt, debent parere præcepto, qui ſempiterno cupiunt carere ſupplicio. Deinde quale eſt æternum ſupplicium pro igne diuturni temporis exiſtimare, & vitam æternam credere ſine fine, cum Chriſtus eodem ipſo loco, in una, eademque ſententia dixerit utrumque complexus: *Sic ibunt iſti in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam*? Si utrumque æternum, profecto, aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque ſine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata ſunt, hinc ſupplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque ſenſu, vita æterna ſine fine erit, ſupplicium æternum finem habebit, multum abſurdum eſt. Unde quia Matth. 25.

vita æterna Sanctorum ſine fine erit, ſupplicium quoque æternum, quibus erit, finem proculdubio non habebit „„ (*inquit S. Auguſt. c. 23. ejuſdem libri.*)

S. quoque *Gregorii* præclarus eſt locus de pœnarum impiis debitarum æternitate, lib. 34. *Moralium*, cap. 16. „„ Si quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia Beatorum. Per ſemetipſam namque veritas dicit: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam.* Si igitur hoc verum non eſt, quod minatus eſt, neque illud verum eſt, quod promiſit. At inquiunt, ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret; quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius reſpondemus; ſi falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui conantur adſtruere verum non eſſe, quod veritas de æterno igne minata eſt; & dum ſatagunt Deum prohibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem? At, inquiunt, ſine fine puniri non debet culpa cum fine. Juſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius reſpondemus, quod recte dicerent, ſi Judex juſtus, diſtrictuſque veniens, non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quam vivere; & ideo hi ſemper vivere cupiunt, ut nunquam deſinant peccare, cum vivunt. Ad diſtricti ergo Judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis „„.

„„ At, inquiunt: Nullus juſtus crudelitatibus paſcitur, & delinquens ſervus a juſto Domino idcirco cædi

cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo cæditur, cum non ejus Dominus cruciatibus delectatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine ſemper ardebunt? Et quia certum eſt, quod pius, atque omnipotens Deus non paſcitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miſeri, ſi non expiantur? Quibus citius reſpondemus, quod omnipotens Deus, quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur; quia autem juſtus eſt, ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur. Sed iniqui omnes æterno ſupplicio, & quidem ſua iniquitate puniuntur; & tamen ad aliquid concremantur, ſcilicet juſti omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in iſtis reſpiciant ſupplicia, quæ evaſerunt; ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores ſe eſſe cognoſcant, quanto in æternum mala puniri conſpiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt „„. Ut enim ait *S. Th.*, 1. 2. qu. 87. art. 3. ad ſecundum, pœna ipſa, quæ ſecundum leges humanas infligitur, non ſemper eſt medicinalis ei, qui punitur, ſed ſolum aliis; ſicut cum latro ſuſpenditur, non ut ipſe emendetur, ſed propter alios, ut ſaltem metu pœnæ a peccato cohibeantur, ſecundum illud Prov. 19. *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit.* Sic igitur, & æternæ pœnæ reproborum a Deo inflictæ, ſunt medicinales his, qui conſideratione pœnarum abſtinent a peccatis; ſecundum illud Pſ. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.*

Pœna damnatorum duplex.

IV. Pœna damnatorum duplex eſt, pœna damni, & pœna ſenſus. Pœna enim reſpondet peccato. In peccato autem duo ſunt, ſcilicet averſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum, & converſio ad commutabile bonum. Unde *S. Auguſt.* lib. 2. *De libero Arbitrio*, cap. 19. „„ Voluntas (*inquit*) averſa ab incommutabili, & communi bono, & converſa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cum ſuæ poteſtatis vult eſſe; ad exterius, cum aliorum propria,

vel quæcunque ad ſe non pertinent, cognoſcere ſtudet; ad inferius, cum voluptatem corporis diligit; atque ita homo ſuperbus, & curioſus, & laſcivus effectus, excipitur ab alia vita, quæ in comparatione ſuperioris vitæ mors eſt, quæ tamen regitur adminiſtratione divinæ providentiæ, quæ congruis ſedibus ordinat omnia, & pro meritis ſua cuique diſtribuit. Ita fit, ut neque illa bona, quæ a peccantibus appetuntur, ullo modo mala ſint, neque ipſa voluntas libera, quam in bonis quibuſdam mediis numerandam eſſe comperimus; ſed malum ſit averſio ejus ab incommutabili bono, & converſio ad mutabilia bona; quæ tamen averſio, atque converſio, quoniam non cogitur, ſed eſt voluntaria, digna, & juſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur „ „. *Et lib.* 2. *Confeſſionum, cap.* 20. „ Hoc enim peccabam, quod non in ipſo, ſed in „ creaturis ejus, me, atque cæteris, voluptates, ſub„ limitates, veritates quærebam. atque ita irruebam in „ dolores, confuſiones, errores „. Ratione averſionis a Deo, peccatum plectitur pœna damni, quæ ex parte objecti eſt infinita, ſiquidem amiſſio eſt infiniti boni, ſcilicet Dei. Ratione converſionis ad creaturam, plectitur pœna ſenſus. Unde Apoc. 18. dicitur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Pœnam damni exprimunt illa Chriſti judicis verba: *Diſcedite a me maledicti.* Pœnam ſenſus iſta; *in ignem æternum.* De qua & Marci 9. Chriſtus ait: *Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam; bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem; ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quod ter ibidem repetit, ſubditque: *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.* Ignem autem corporeum eſſe, nemo Chriſtianus, & Catholicus dubitaverit.

At (inquies) quomodo corporeus ignis dæmones, & animas hominum impiorum incorporeas cruciare poteſt?

Re-

Reſpondet *S. Auguſt.* lib. 21. *De Civ. Dei*, cap. 10. „„ Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi Spiritus hominum, etiam ipſi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo Spiritus dæmonum... Imo Spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, & corpore; ſed, ut dixi, miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt „„. Æternus doloris in redivivis corporibus damnatorum ſenſus, *Secunda mors* dicitur a S. *Joanne* in Apocalypſi. Etiamſi enim caro tunc talis nulla eſt, quæ ſenſum doloris perpeti poſſit, mortemque non poſſit; erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non eſt; ſicut talis erit & mors, qualis nunc non eſt. „„ Non enim nulla, ſed ſempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit e corpore; ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore; ab utraque morte communiter id habetur, ut, quod non vult anima, de ſuo corpore patiatur „„ (*inquit S. Auguſt. lib.* 21. *De Civ. Dei, cap.* 3.) *Et lib.* 13. *cap.* 2. „„ In damnatione noviſſima quamvis homo ſentire non deſinat, tamen quia ſenſus ipſe nec voluptate ſuavis, nec quiete ſalubris, ſed dolore pœnalis eſt, non immeritio mors eſt potius appellata, quam vita. Ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam eſt, qua fit cohærentium diremptio naturarum, ſive Dei, & animæ, ſive animæ, & corporis „„.

Igne corporeo torquentur dæmones & damnatorum animæ, miris, & ineffabilibus modis.

Secunda mors. Apoc. 20.

Accedunt ad ſupplicii cumulum pœnæ interiores graviſſimæ, & pariter æternæ, ſcilicet *Vermis*, *qui non*

Aliæ damnatorum pœnæ.

non moritur, (ut ait Chriſtus, *Marci* 9.) id eſt, conſcientiæ peccatricis ſtimuli miſeram animam in ſempiternum pungentes, ac diſcerpentes; æternus pavor, perturbationes animi perpetuæ, jugis criminum ſuorum conſpectus; continuum odium Dei, cujus vindices manus effugere nunquam poterit; æterna felicitatis Beatorum invidia; cognitio certa æternitatis pœnarum ſuarum, firmaque perſuaſio nuſquam illas minuendas, temperandas, levandas fore ullius boni, ulliuſve ſolatii admixtione; addictio æterna ſervituti dæmonis, qui *Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ*; animæ denique infelicis attentio ſempiterna ad hæc omnia, ſcilicet ad Deum, quem offendit, quem contempſit, quem odit, a quo punitur; ad cauſas damnationis ſuæ, quas ſibi uni imputare poteſt; ad peccata omnia, & ſingula, ad ſupplicii locum profundiſſimum, arctiſſimum, tenebroſiſſimum, igne, ac ſulphure flagrantem, fœtidiſſimum; ad pœnas interiores, & exteriores, ad horrendam dæmonum, damnatorumque hominum cæterorum ſocietatem, tormenta ſunt ipſo igne tartareo graviora. Quid dicam de pugna contrariorum deſideriorum, quibus anima deſperata æternum cruciabitur? Semper vivere deſiderabit; id enim naturale deſiderium eſt; deſtrui nihilominus optabit, ut miſeriæ ipſius finem habeant; ſed inane erit deſiderium. Deum deſiderabit naturali quadam propenſione: Deum odio habebit perverſa voluntate. Pœnitebit illam peccatorum, quæ damnationis ejus cauſæ ſunt; amabit nihilominus peccata, obfirmata in malo voluntate, & converſionis incapace. „ „ Væ oppoſitis voluntatibus (*inquit S. Bernardus*) ſolam ſuæ profecto averſionis referentibus pœnam! Quid tam pœnale, quam ſemper velle, quod nunquam erit? Quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic neceſſitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet jam ſicut nonniſi perverſe, ita nonniſi miſere moveatur? In æternum non obtinebit, quod vult & quod non vult in æternum nihilominus ſuſtinebit „ „.

Contrariæ damnatorum voluntates.

Lib. 5. De Conſid cap. 12

Do-

Dogma autem fidei eſt: „ Illorum animas, qui „ in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen „ diſparibus puniendas „; ut Concil. Florentinum docet, ac declarat in definitione fidei.

V. Pœnæ temporalis reatum, vel in hac vita, vel in altera luendæ, inducit peccatum veniale, quod non pervertit ordinem ad ultimum finem, ſcilicet ad Deum, ſed ordinem duntaxat eorum, quæ ad finem referuntur; ut cum homo nimis ad aliquam rem temporalem afficitur, non tamen pro ea Deum offendere vellet, aliquid contra præceptum ejus faciendo (inquit *S. Th*, 1. 2. q. 87. art. 5.) Si nimirum fundamentum Chriſtus eſt, id eſt: „ Si primum locum „ in corde Chriſtus obtinuit, ſecularia vero ſic amantur, ut non Chriſto proponantur, ſed eis Domi„ nus Chriſtus „: Etiamſi ſuper divinum illud fundamentum homo ſuperædificet, *Lignum*, *fœnum*, *ſtipulam*, id eſt, peccata leviora: *Detrimentum patietur*: *ipſe autem ſalvus erit*, *ſic tamen quaſi per ignem*. (inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 3.) Quem locum ſic explicat *S. Auguſt.* Serm. 362. alias *De Diverſis* 111. & lib. 21. *De Civitate Dei*, c. 26. ubi hæc habet; „„ Quiſquis ſic habet in corde Chriſtum, ut ei terrena, & temporalia, nec ea, quæ licita ſunt, atque conceſſa, præponat, fundamentum habet Chriſtum; ſi autem præponit, & ſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt tamen in eo fundamentum Chriſtus, cui talia præponuntur „„. Et paulo poſt ſubdit: Eſſe quoſdam, qui ſuper hoc fundamentum ſuperædificant ligna, fœnum, ſtipulam, id eſt, leviora peccata, & qui terrenas „ Neceſſitudines ſic amant „ carnaliter, ut tamen eas Chriſto Domino non præ„ ponant, malintque ipſis carere, quam Chriſto „: Hos porro *per ignem ſalvos* fore. Nomine autem ignis intelligitur tum hujus temporis tribulatio; „ Quia earum rerum amiſſione tantum neceſſe eſt „ urat dolor, quantum hæſerat amor „, tum pœna purgatorii. Illa enim duplex eſt: Privatio ſcilicet,

Pœna temporalis peccato veniali debita; vel hic, vel in purgatorio luenda.

Quæ purgatorii pœna.

ſeu potius dilatio beatitudinis, id eſt, divinæ viſionis, & pœna ſenſus. Et privatio quidem ipſa Dei, vel ad tempus, graviſſima pœna eſt animæ non jam in via, ſed in termino conſtitutæ. Amanti enim patriam, exilium a patria magna eſt pœna. Unde cum animæ juſtorum corporibus ſolutæ, & tamen veniaſſium peccatorum maculis, ſeu pœnæ temporalis reatu a Dei viſione retardatæ, Deum, & cœleſtem Patriam ſumme ament, & inquietæ ſint, donec in Deo requieſcant; graviſſimum ex hac dilatione dolorem patiuntur, dum ſibi ipſis per ſingula momenta dicunt: *Ubi eſt Deus tuus?* Si enim *Spes, quæ differtur, affligit animam*; quanto magis ſpes ſummi boni affligit animam non jam terrenæ cupiditatis pondere depreſſam, ſed toto amoris impetu in Deum tendentem? Ignis etiam purgatorii, ſive pœna ſenſus in illo purgationis loco luenda, qualibet hujus ſeculi pœna gravior erit, ut docet *S. Auguſt.* Enarratione in Pſ. 17.

Prov. 13. 12.

De hoc pœnæ purgatorii reatu, *S. Greg.*, lib. 4. *Dialogorum*, c. 39. ſic loquitur. „ „ De quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo, quod veritas dicit: Quia ſi quis in S. Spiritum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam vero in futuro poſſe laxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis, minimiſque peccatis fieri poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa, vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, ſciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in hac vita poſitis minime fuerint relaxata „ „.

Matth. 12.

Conſcientiæ ſtimuli.

VI. Inter peccati pœnas non levis ſane eſt conſcientia peccati, ſeu conſcientiæ peccatorem ipſum accu-

accuſantis ſtimulus, vermis inſtar peccatricem animam corrodens. Qua de re *S. Ambroſius*, Enarr. in Pſal. 37. „„ Gravior (*inquit*) adverſarius nobis culpa eſt noſtra, quæ ſolicitat otioſos, affligit ſanos, contriſtat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei ſumus ſine accuſante, ſine tortore cruciamur, ſine vinculis adſtringimur, ſine venditore vendimur. Unde & Scriptura dicit: *Peccatis veſtris venditi eſtis.* Hæc igitur peccata ſunt, quæ contra nos ſemper ſunt; ut dixit Propheta: *Vendiderunt nos, & dominatur nobis.* Servus, qui venditur, ſuperiore ſervitio exit, ut ad Dominum alterum migret; nos nec ſuperiorum jugum deponimus, & ad nova peccata curvamur. *Et in Pſal.* 35. Quæ pœna major, quam timere, quod vitare non poſſis, nec quod timueris evadere? Unde præclare David exprimens conventionem graviſſimam conſcientiæ peccatricis ait: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper.* Oſtenditur enim nobis ultrix noſtri imago peccati; nec quietum reum ſuum eſſe permittit, inferens miſeram ſervitutem; atque in ſua vincula trahit, ut enodare ſe non queat; quoniam volens ipſe ſe vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere & libertatem innocentiæ reſervare. Itaque dum oramus, peccatum offenditur; ubi ſomno ſenſus ſe corporis relaxaverit, peccatum recurrit, ſemper nobis error noſter tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem „„.

Iſai. 50.

Pſ. 50.

Ultrix imago peccati.

Quanta ſit malæ conſcientiæ pœna, explicat diſerte *S. Auguſt.* Enarr. in Pſal. 45. „„ Inter omnes tribulationes humanæ animæ, (*inquit*) nulla eſt major tribulatio, quam conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanumque ſit intus hominis, quod conſcientia vocatur; ubicunque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugit, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo? Quo confugiet, cum cœperit patl

Malæ conſcientiæ pœna.

tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo ad cubiculum, & ſequitur tribulatio. A cubiculo, jam quo fugiat, non habet, niſi in interius cubile ſuum. Porro ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, non illuc poteſt confugere; pellitur inde, & cum inde pellitur, a ſeipſo pellitur. Et ecce hoſtem ſuum invenit, quo confugerat; ſeipſum, quo fugiturus eſt? Quocunque fugerit, ſe trahit poſt ſe; & quocunque talem traxerit ſe, cruciat ſe de ſe. Ipſæ ſunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis; acerbiores enim non ſunt; tanto non ſunt acerbiores, quanto non ſunt interiores. Videte Chariſſimi, cum ligna dejiciuntur, & probantur a fabris, aliquando in ſuperficie videntur quaſi læſa, & putria; faber autem inſpicit quaſi medullam interiorem ligni; & ſi ſana interius ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura; nec valde erit de ſuperficie læſa ſolicitus, quando id, quod interius eſt ſanum, renuntiat. Porro homini interius conſcientia non invenitur; quid igitur prodeſt, ſi quod eſt exterius, ſanum eſt, & putrefacta eſt medulla conſcientiæ? Arctæ iſtæ, & vehementes omnino, & ſicut Pſalmus ipſe ait, nimiæ tribulationes ſunt; tamen & in his adjutor factus eſt Dominus, dimittendo peccata. Iniquorum enim conſcientias non ſanat niſi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere ſe dicit debitor fiſci confeſſus, & intuens anguſtias rei familiaris ſuæ, cum ſe videt non poſſe eſſe ſolvendo, propter imminentes omni anno compulſores, tribulationes magnas ſe pati dicit, nec uſquam reſpirat niſi in ſpe indulgentiæ rerum terrenarum, quanto magis debitor pœnarum de abundantia delictorum, quando reddet, quod debet de mala conſcientia, quando ſi reddiderit, ipſe perit? Hoc enim debitum reddere pœnas luere eſt „„.

Et Enar. in Pſal. 33. „„ Quomodo (*inquit*) nolunt intrare domos ſuas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, & gaudent? cœpit hora eſſe, qua intrent in domum ſuam, contriſtantur;

in-

intraturi ſunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad everſiones; quia non eſt domus compoſita, ubi inter virum, & uxorem pax nulla eſt; & melius illi eſt foras circumire. Si ergo miſeri ſunt, qui cum redeunt ad parietes ſuos, timent, ne aliquibus ſuorum perturbationibus evertantur; quanto ſunt miſeriores, qui ad conſcientiam ſuam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur? Ergo ut poſſis libens redire ad cor tuum, munda illud „„.

Et Epiſt. 151, *alias* 259. „„ Horrendis (*inquit*) & pœnalibus tenebris, omnes non tantum carceres, ſed etiam inferos vincit ſcelerati hominis conſcientia „„.

De malæ conſcientiæ pœna intelligenda ſunt illa Dei verba primo fratricidæ Caino dicta: *Sin autem male* (egeris) *ſtatim in foribus peccatum aderit.* (*Gen.* 4. 7.) De hac peccati pœna S. Joan. Chryſoſtomus Concione 1. De Lazaro. „„ Antequam (*inquit*) illic puniatur, jam nunc, qui improbe agunt, atque in peccatis vivunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illum menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circumdari ſericis, mancipiorum greges circumferre, alios ſubmovere in foro; ſed explica mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugum, metum, tempeſtatem, turbationem; videbis velut in judicio mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tanquam judicem quempiam ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo ſuſpendentem, lateraque conſcientiæ radentem ungulis, pro commiſſis vehementer inclamantem, cum nemo ſciat, niſi quod ſolus Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium, etiamſi millies fuerit dives, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen intus ſeipſum accuſare; & voluptas quidem temporaria eſt, dolor vero perpetuus, timor undique, ac tremor, ſuſpicio, & anxietas, angiportus metuit, umbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, conſcios, inſcios, illam ipſam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia; obambulat amarum accuſatorem circumferens conſcien-

ſcientiam, cum ſit ſuo ipſius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus poſſit reſpirare. Nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequenter ſomniis hæc iniquitatis ſimulacra videt, ipſiuſque Cain vitam vivit, gemens, ac tremens ſuper terram, cum nemo ſciat, intus tamen habet ignem ſemper implicitum „ „. Iſaias cap. 66. & Chriſtus Dominus Marci 9. *Vermem* appellant: *Vermis eorum non moritur.* Rationem affert *S. Ambroſius* lib. 7. in Lucam, c. 14. „ „ Eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungunt, & quædam excedunt viſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque naſcuntur, tanquam ex corpore peccatoris „ „. Denique *Infernus quidam, & carcer anima rea conſcientia* (inquit S. Bernardus Ser. 4. de Aſſumptione B. Virginis.) Et lib. 5. de Conſideratione, c. 12. „ „ Nullus eſt moleſtior oculus ſuo cujuſque. Non eſt aſpectus ſive in cœlo, ſive in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſint. Non latent tenebræ vel ſeipſas; ſe vident, quæ aliud non vident „ „.

Unum peccatum pœna alterius peccati.

VII. Peccatum unum alterius pœna peccati eſt tripliciter. Primo, ratione cauſæ peccatum impedientis, quam removet. Cauſæ namque ad peccatum inclinantes, ſunt cupiditates, & tentationes diaboli, quæ quidem divinæ gratiæ auxilio impediuntur, vel comprimuntur. Cum igitur ſubtractio gratiæ pœna ſit a Deo inflicta; quod inde ſequitur peccatum, alterius peccati pœna eſt. Hinc Ap. ad Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Secundo, unum peccatum alterius pœna eſt ratione actus, cui adjuncta eſt afflictio, ſive ſit actus interior, ut in ira, & invidia compertum eſt, ſive actus exterior, ut patet in iis, qui gravi labore, & damno oppri-

opprimuntur, ut prava ſua deſideria expleant, ſecundum illud Sapientiæ 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Tertio, unum peccatum alterius peccati pœna eſt, ratione effectus conſequentis, ut ſunt infamia, paupertas, morbi. Qua ratione peccatum non ſolum eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui (inquit *S. Thomas*, 1. 2. q. 87. art. 2.)

Idem ſimul eſſe peccatum, & pœnam peccati, docet *S. Aug.*, Enarr. in Pſ. 57. & lib. 5. *Contra Julianum*, cap. 3. ubi ait: „„ Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, cum cor ſuperbum digna animadverſione punitur; & cauſa peccati, cum aliquod malum cæci cordis errore committitur. *Ita tamen intelligere debemus*, unicuique homini ſupplicium fieri de peccato ſuo, & ejus iniquitatem in pœnam converti: ne putemus illam tranquillitatem, & ineffabile lumen Dei de ſe proferre, unde peccata puniantur, ſed ipſa peccata ſic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, ſint inſtrumenta Domino punienti „„ (*inquit S. Auguſt. En. in Pſal.* 7.) Idem ſimul peccatum eſt, & pœna peccati, & cauſa peccati.

Idem confirmat *S. Greg.* lib. 25. *Moralium*, cap. 9. exponens hæc verba Job 34. *Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur.* In nocte (inquit) iniquus conteritur, cum peccatorum præcedentium confuſione damnatus, veritatis lumen non invenit, & quid deinceps agere debeat, non agnoſcit. „„ Omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum eſt, & cauſa peccati; aut peccatum, & pœna peccati. Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non ſolum peccatum ſit, ſed peccatum, & cauſa peccati. Et illo quippe vitio culpa ſubſequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, ſed peccatum eſt, & pœna pec- Peccatum quod pœnitentia non diluit ſuo pondere ad aliud trahit.

peccati; quia juſto judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat; quem enim liberare noluit, deſerendo percuſſit. Quod videlicet agitur diſpoſitione ſuperius ordinata, ſed inferius iniquitate confuſa; ut & præcedens culpa ſit cauſa ſubſequentis, & rurſum culpa ſubſequens pœna ſit præcedentis „„. Quod probat Apoſtoli teſtimonio ſupra laudato, ad Rom. 1. „„ Prioris ergo peccati merito (*inquit*) peccatorum ſubſequentium fovea tegitur; ut qui malum ſciens perpetrat, deinceps juſte in aliis etiam neſciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpæ culpis feriantur; quatenus ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum „„.

CAPUT IV.

De Regulis generalibus ad peccata cognoſcenda, & dijudicanda neceſſariis.

ARTICULUS UNICUS.

REGULÆ MORUM.

Quibus velut principiis nititur Moralis chriſtiana.

REGULA PRIMA.

Ad divinam Legem imprimis attendendum eſt, ut rectum de peccatis judicium feratur.

Secundum Dei legem judicium de peccatis ferendum.

Peccatum enim eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, cui ſe accomodare, & morem gerere debet homo, ut ſit immaculatus, & beatus, ſecundum illud Pſ. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit: Sed in Lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Et Pſal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* Vox iſta divina eſt, tanquam dicens: „„ Quo itis? Petitis, & neſcitis. Non illac itur, qua per-

pergitis, quo pervenire deſideratis; nam utique beati eſſe cupitis; ſed miſera ſunt, & ad majorem miſeriam ducunt itinera iſta, qua curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viæ perverſæ relinquite malignitatem, qui non poteſtis relinquere beatitudinis voluntatem. Fruſtra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perverſitate ſeculi; ſed *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini* „„. Verba ſunt *S. Auguſt.* Serm. 1. in hunc Pſalmum.

Idem demonſtrat natura virtutis, & bonæ voluntatis, quam non aliud eſſe docet *S. Auguſt.* niſi æternæ legis, æternæ veritatis, æternæ juſtitiæ cognitionem, & amorem. „„ Fit enim (*inquit ille lib. 2. De libero Arbitrio, cap. 2.*) homo juſtus, fortis, prudens, coaptando animum illis incommutabilibus Regulis, luminibuſque virtutum. *Et in Pſal.* 61. Cum ſis injuſtus, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad quamdam juſtitiam, a qua ſi recedis, injuſtus es; ad quam ſi accedis, juſtus es „„.

Et Sermone 4. alias 44. *De Diverſis*, cap. 6. „„ Juſtitia præſto eſt juſte viventi. Secundum ejus Regulam vident quemadmodum juſte vivant, & illi; ſicut juſti bene vivendo eam vident, ita injuſti male vivendo non eam vident. Nam & ille juſte vivit, cum eam videt; & ille ipſam videt, ut ſecundum eam actus ſuos dirigat: quia niſi ſecundum juſtitiæ Regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur „„.

REGULA II.

In Rebus moralibus ſtandum eſt judicio conſcientiæ ad divinam Legem compoſitæ.

Id colligitur ex Eccl. 32. *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ. Hoc eſt enim obſervatio mandatorum Dei.* Conſcientiæ itaque judicium ſecundum eſt, quam Judicium conſcientiæ.

quam recta in Deum, divinamque Legem fides dirigit, ac moderatur. Id confirmat Apoſtolus ad Rom. cap. 14. ſcribens: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quod ſic interpretatur *S. Thomas*, ut omne quod eſt contra veritatem fidei, vel contra conſcientiam facientis, peccatum ſit, quamvis ex genere ſuo bonum eſſe videatur: puta, ſi Paganus in honorem falſorum numinum virginitatem ſervet, aut eleemoſynam eroget. Unde ad *Tit.* 1. dicitur: *Coinquinatis, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.* Et 2. ad Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo: Abundantius autem ad vos.* Et 1. Joannis. 3. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: Quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita, coram eo facimus.*

Eſt autem conſcientia; *Applicatio ſcientiæ ad ea, quæ agenda ſunt*; a S. Baſilio *Rationale judicatorium*, a S. Joan. Damaſceno, *Lex intellectus noſtri*, definitur: ab aliis, *Habitus mentis, boni, & mali diſcretivus*; ab aliis, *Credulitas intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum, animi deliberatione firmata.* „ Conſcientia, *inquit, Origenes in cap. 2. Ep. ad Rom.* eſt „ velut pædagogus animæ quidam ſociatus, & rector, „ ut eam de melioribus moneat, vel de culpis caſtiget, & arguat „. Conſcientia eſt *verum, & domeſticum tribunal*, ait S. Greg. Nazianz. Orat. 15. „ Hoc „ tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eo quod divinum eſt „; *ait S. Joannes Chryſoſt.* Hom. 3. de verbis Iſaiæ.

REGULA III.

Quiſquis agit contra conſcientiam, etiam erroneam, vel dubiam peccat.

Peccat quiſquis agit contra con.

Sicut enim oculum ſimplicem, quo totum corpus ſit lucidum, duo iſta faciunt bona, amor boni, &

& cognitio veri. Sic nequam oculum, quo totum corpus fit tenebroſum, duo e regione mala conſtituunt, cæcitas, qua fit, ut veritatem non agnoſcat; & perverſitas, qua fit, ut diligat iniquitatem. Quamobrem „ „ Is vere oculus nequam eſt, qui perverſus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, utique bonum ſibi in malum vertit; & tantum malum quantum crediderit; quandoquidem juxta ſententiam Domini, totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideo ſequitur, ut qui e contrario malum facit, & bonum putat, juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inveniat. Quare? Non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat. Neque enim ex toto adhuc tenebræ deſunt, ubi ignorantia veritatis lucem obſcurat bonæ voluntatis... Et quidem laude dignam duxerim vel ſolam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas; attamen ſine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas. Cur, inquis? Numquid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falſa; vel certe potius non ex fide, quia fides falſa fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa, puto dixiſſe Apoſtolum: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum eſt; eſt enim falſum; peccatum igitur eſt. Utrumque proinde complectitur præſens capitulum, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam; quia quod a neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malus putes bonum, quod forte agis, ſive bonus malum, quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide; licet ſane levius admodum peccetur, ubi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet, etiam in non mala actione intentio „ „. Doctrina eſt S. *Bernardi libro de Præcepto, & Diſpenſatione*, cap. 14. ſcientiam, quamvis erroneam, vel dubiam. Rom. 14. 23.

Id confirmat *S. Thomas*, 1 2. q. 14. art. 5. ubi docet, voluntatem cum ratione, vel conſcientia errante concordem, eſſe malam aliquo modo propter objectum, quod cum a ratione proponetur, ut malum, quæ in illud fertur ſub ea ratione voluntas perverſa eſt. Exempli cauſa; bonum eſt abſtinere a fornicatione; at ſi voluntati proponatur, ut malum a ratione errante, in id fertur voluntas ſub ratione mali, adeoque mala eſt, & perverſa. Similiter credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed ſi a ratione proponatur ut malum, voluntas in illud feretur, ut malum. „ Unde dicendum, quod ſimpliciter „ omnis voluntas diſcordans a ratione, ſive recta, ſive „ errante, ſemper eſt mala „. Quamvis enim judicium rationis errantis non derivetur a Deo, „ Tamen ratio errans judicium ſuum proponit, ut verum, & „ per conſequens, ut a Deo derivatum, a quo eſt omnis veritas „. Equidem ſi cui perſpectum eſſet, ac exploratum rationem humanam dictare aliquid contra præceptum Dei, „ Non teneretur rationem ſequi. „ Sed tunc ratio non totaliter eſſet errans; ſed quando ratio errans proponit aliquid, ut præceptum „ Dei, tunc idem eſt contemnere dictamen rationis, „ & Dei præceptum „.

Idem confirmat Quodlibeto 8. art. 13. „ „ Duobus modis (*inquit*) aliquis ad peccatum obligatur; uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conſcientiam, etiamſi non ſit contra legem; ſicut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur quis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam; & ſimiliter, quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem, quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non eſt peccatum.

Di-

Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, quamvis non facit contra conſcientiam. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod vere liceat habere plures Præbendas; & tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciendo, quamvis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur pro varietate opinionum. Et manente dubitatione, qui plures Præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem additur: & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat „ „.

REGULA IV.

Cum error diſcuti, ac vinci poteſt, conſcientiam erroneam deponere oportet, & contrarium ejus, quod ipſa dictabat, operari.

De conſcientia erronea.

Error enim, qui vinci poteſt, non excuſat, ſed peccatum eſt, & pœna peccati, & cauſa peccati. Si quis ergo ex errore conſcientiæ obligari ſe putet ad mendacium, furtum, fornicationem, error deponendus eſt; mendacium, furtum, fornicatio fugienda. Favet *Gerſonius* in Tract. *De Natura, & Qualitate Conſcientiæ*, ita ſcribens: „ „ Quando conſcientia dictat ea, quæ ſunt contra legem Dei, ipſa etiam ligat, & obligat, non quidem ad faciendum, ſed ad deponendum. Quia cum talis conſcientia erronea errore repugnante legi divinæ, quamdiu ipſa manet, ponit, & tenet hominem extra ſtatum ſalutis, & ideo neceſſe eſt eam deponere; quia ſive tunc

homo faciat, quod ipſa conſcientia dictat, ſive ejus oppoſitum, peccat mortaliter. Faciendo enim quod conſcientia dictat in iſto caſu, facit contra legem Dei, quod clarum eſt, peccatum mortale eſſe: faciendo vero oppoſitum, mortaliter etiam peccat, non ratione operis, quod ex ſe malum non eſt, ſed quia illud facit in contemptum Dei, cum faciat illud, quod ſua conſcientia ſibi Deo diſplicere dictat „„.

REGULA V.

Cum error conſcientiæ eſt invincibilis, non peccat agens ſecundum conſcientiam erroneam, imo ſecundum illam agendum eſt.

Non peccat (inquam) qui ſecundum conſcientiam errantem in ea hypotheſi agit, quia ipſum excuſat omnino error inſuperabilis. Exempli gratia, mulier, quæ rogatur debitum conjugale a viro, quem ex errore invincibili conjugem ſuum eſſe exiſtimat, non peccat illud reddendo. Tenetur vero ad agendum ſecundum conſcientiam errore inſuperabili deluſam, ac deceptam: quia ratio proponit id, ut præceptum divinum, cui abſque hæſitatione parendum eſt.

REGULA VI.

Si conſcientia errans opus aliquod lethale peccatum eſſe dictet, quod nullum, aut veniale duntaxat peccatum eſt; reus erit peccati mortalis, qui contra illam aget.

Ita enim affectus eſt, ut mortale peccatum committere velit. Voluntas autem peccandi, peccatum eſt. *Voluntas quippe eſt, qua peccatur, & recte vivitur* (inquit *S. Auguſt.* lib. 1. Retractationum, cap. 9.) *Et homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* Hinc *S. Thomas* quodlibeto 9. art. 5. „„ Error (*inquit*) quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale „„. Idem docet *Gerſonius* Tract. *De Cogni-*

1. Reg. 16.

Cognitione peccatorum venialium, & mortalium Conſideratione 16.

REGULA VII.

Errantis conſcientiæ judicium præcepto ſuperioris anteponendum eſt, ſi error diſpelli, ſuperari, ac deponi non poſſit; v. gr., ſi ex errore conſcientiæ exiſtimet ſubditus, id quod a Superiore præcipitur, divinæ Legi, aut eccleſiaſticæ, aut etiam civili, in iis, quæ politicum regimen ſpectant, aut majoris Prælati præcepto eſſe contrarium.

Non eſt enim obediendum homini, cum Deo contraria præcipit, ſecundum *S. Petri* ſententiam Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Nec igitur Superiori parendum eſt, quamdiu errore invincibili exiſtimat ſubditus, ejus præceptum Legi divinæ, vel Superioris in eodem ordine poteſtatis præcepto eſſe contrarium. Hinc *S. Bern.*, lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, cap. 9. ait: „ „ Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod ſi contigerit, pergendum indubitanter conſulo in Petri Apoſtoli ſententiam: *Quia obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Aut enim hoc reſpondendum cum Apoſtolis, aut cum Phariſæis certe audiendum: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Ego igitur ſi me angi hoc articulo ſentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere neceſſe ſit, Deum potius libenter eligo non offendere, & quidem tutius, juſtiuſque. *Et infra*: Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus „ „. Igitur e contrario ſi ex judicio conſcientiæ, quamvis erroneæ, perſuaſum ſit alicui id, quod præcipit Superior, diſplicere Deo, tenetur non obedire. Et cap. 7. ejuſdem libri: „ „ Jam vero de eo, qui præ- Matth. 15.

cipit, & item de eo, quod præcipitur hujuſcemodi advertenda erit ſecundum rationem diſtinctio, ut cujus inter præceptores reverentior nobis imminebit auctoritas, ejus gravior formidetur offenſio; ac majoris cujuſque mandati tranſgreſſio damnabilior æſtimetur „ „. Si ergo errore conſcientiæ invincibili ſubditus exiſtimet præceptum Superioris Eccleſiæ legi, aut majoris poteſtatis præcepto eſſe contrarium, præceptum Superioris poſtponere debet errantis conſcientiæ judicio.

REGULA VIII.

Ut conſcientia erronea legitime deponatur, proindeque obligare ceſſet, neceſſe eſt, ut ratione, vel auctoritate convictus homo contrarium judicet ejus, quod antea judicaverat; aut certe rationes, quibus in tale judicium inductus eſt, leves eſſe, ac invalidas animadvertat; adeoque a priori illo judicio recedat.

Ad errorem autem legitime deponendum plurimum valebunt humilis, & frequens oratio animæ ad
Pſ. 17. 29. Deum clamantis: *Deus meus, illumina tenebras meas:* accurata negotii diſcuſſio, bonorum librorum de re, quæ in quæſtionem venit, attenta lectio; conſilii a viris doctis, probis, & prudentibus petitio; & docilitas, atque ſummiſſio, ut conſilium hujuſmodi ſequatur. *Ne innitaris prudentiæ tuæ... Ne ſis ſapiens apud ſemetipſum,* (inquit Spiritus ſanctus Prov. 3.) Et Eccl. 6. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientia illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant a te. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum.* Et c. 8. *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum ſapientum... Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis; quo-*
2. Cor. 10. 5. *niam ab ipſis diſces intellectum.* Hinc Apoſtolus *captivari* jubet *omnem intellectum in obſequium Chriſti:* hoc eſt, (inquit *Gerſonius* in Tract. de natura,

&

& qualitate conſcientiæ) „ Quilibet in credendis „ plus debet conſentire fidei, quam ſibi; & in agen„ dis plus credere aliis, quam ſibi „.

REGULA IX.

Quamvis ſperni debeant ſcrupuli, quando meros ſcrupulos eſſe compertum eſt, id eſt, inanes ſuſpiciones, timoreſque malos, ubi nulla eſt timendi ratio, nec ulla mali ſpecies; contra conſcientiam tamen ex ſcrupulis ortam agere non licet, niſi prius error deponatur.

De conſcientia ſcrupuloſa.

Hæc Regula colligitur ex cap. *Per tuas*, 2. quod eſt *Innocentii III.* Ext. *De Simonia.* Facti ſpecies, de quo ſententiam rogatus fuit Pontifex, hæc erat. Monachus quidam Cartuſienſis ex relatione quorumdam didicerat, Epiſcopum dioeceſanum, a quo fuerat Subdiaconus ordinatus, ſimoniæ vitium multoties commiſiſſe; quapropter idem monachus in Ordine ſuſcepto miniſtrare formidabat, nolens ab eodem Epiſcopo ad ſuperiores Ordines promoveri. Reſpondet Pontifex: „„ In Ordine ſuſcepto ſecure miniſtret, ſed contra conſcientiam ad ſuperiores Ordines non aſcendat, ne forte ædificet ad gehennam; licet ex eo, quod conſcientiam habuerit nimis ſcrupuloſam, in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus, quam utique non evadet, niſi deponat errorem „„.

REGULA X.

Septem ſunt Regulæ, quarum adminiculo conſcientia ſcrupuloſa deponi poteſt, & debet ex S. Antonino 1. *P. Tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

De conſcientiæ ſcrupulis.

Prima eſt debita ad gratiam præparatio. Secunda, ſolicita Scripturæ ſacræ indagatio. Tertia, orationis devotæ continuatio. Quarta, opinionis alicujus tutæ electio. Quinta, obedientiæ humilis imitatio. Sexta, ſcrupulorum animoſa abjectio. Septima, præceptorum prudens interpretatio. Hinc *Prov.* 2. dicitur: *Si ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor*

Septem ſcrupulorum remedia.

tuum prudentiæ; ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies. Et 2. Paral. 20. Rex *Joſaphat* ait: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Et Tobiæ 4. *Conſilium ſemper a ſapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſa permaneant.* Quod autem ſcrupuli ſperni debeant, accedente prudentis, pii, doctique Directoris judicio, & contra illos ſit agendum, conſtat ex cap. *Inquiſitioni*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc ſunt verba: „ Si quis habet conſcientiam ex credulitate levi, & temeraria; conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa, ad ſui paſtoris conſilium licite poteſt agere „.

Scrupuli ex ſuperiorum, & prudentum conſilio deponendi.

Id confirmat *S. Antoninus* ex venerabili *Gerſonio* Cancellario Pariſienſi, in Tract. *De Præparatione ad Miſſam, & Pollutione nocturna*, ſcribente: „ Qui renuunt credere ſuperiorum, & prudentum conſilio ad tales ſcrupulos deponendum, & agendum contra eos, errant multipliciter; primo per ſuperbiam, & arrogantiam, præponendo judicium ſuum, & prudentiam aliorum judicio. Rurſus talis vix, aut nunquam habebit devotionem ſolidam, & pacem conſcientiæ a talibus; ac proinde carebit loco animæ ſuæ hoſpite illo, de quo Propheta dicit: *In pace factus eſt locus ejus.* Decipiuntur in hoc multi ex ſimplicibus, diſtinguere neſcientes inter ea, quæ portio animæ ſuperior agit per conſenſum, & ea, quæ portio animæ inferior patitur abſque ſuperioris aſſenſu. Darent idcirco ſæpe aliis ſalubre conſilium, qui neſciunt illud præſtare ſibi. Quocirca memorandum eſt B. Bernardi ſuper hac re conſilium. Erat ex diſcipulis ejus quidam tantis inquietatus ſcrupulis, ut ad celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei devotus, & circumſpectus Bernardus, poſtquam hoc accepit: Vade frater, & in fide mea celebres. Obedivit diſcipulus, & ſcrupulus ille omnis perpetuo diſceſſit „.

Ps. 75. 3.

At

At dicet aliquis: Utinam talis mihi eſſet Abbas, aut Prior, qualis *S. Bernardus*, facile crederem imperanti. Nunc vero dum Superioris mei mediocrem ſapientiam inſpicio, non audeo conſcientiam meam, & ſalutem illius fidei committere. „ „ Quiſquis ita dicis, & ſapis (*inquiunt Gerſonius & S. Antoninus*) erras, & delipis. Non enim commiſiſti te, & ſalutem tuam in manus hominis, quia prudens eſt, & plurimum literatus, & devotus, ſed quia tibi eſt ſecundum regularem inſtitutionem Præpoſitus, & Prælatus. Quamobrem obedias ſibi, non ut homini, ſed ut Deo jubenti, ſi tamen non contra Deum. Et ſæpe tanto erit obedientia tua placentior Deo, tibique fructuoſior, quanto eſt indignior ille, cui propter Deum ſubjici non refugis. Caveas ad extremum, ne dum quæris ſecuritatem, nec illam adipiſcaris, & in gravem ruas præſumptionis foveam „ „.

Scrupuloſis qua ratione contra ſcrupulum ſit agendum.

Idem *Gerſonius* Conſideratione 6. „ „ Scrupuloſo (*inquit*) contra ſcrupulos agendum eſt, & fixo operis pede certandum. Hac arte uſus eſt ille, qui turbato cuidam jugiter ſuper repetitione horarum ſuarum, ſi non aſſidue, & actualiter attenderet ad eas, injunxit pœnitentiam hanc ad tempus, ne quomodolibet horas ſemel dictas iteraret. .. Mille ſurgunt apud aliquos tales ſcrupuli, more canum oblatrantes, & lacerare minantes ipſos ambulantes per viam mandatorum Dei, quos evincere, & compeſcere melius quam per contemptum nequimus. Tantummodo ſit contemptus ille timoratus, & regulariter non abſque alterius, præſertim Superioris conſilio, alioquin timor immoderatus facit caſum, aut præcipitat inconſulta præſumptio „ „.

Diſcrimen inter conſcientiam & ſcrupulum conſcientiæ.

Notat idem *Gerſonius* in Tract. *De Natura, & Qualitate conſcientiæ*, magnum eſſe diſcrimen inter conſcientiam, & ſcrupulum conſcientiæ. „ „ Conſcientia etenim formata eſt, quando finaliter, id eſt, poſt diſcuſſionem, & deliberationem ex definitiva ſententia rationis judicatu & firmatur aliquid eſſe faciendum aut proſequendum, vel faciendũ, aut vitandum; & contra talem

conſcientiam formatam facere, etiamſi erronea ſit, eſt peccatum. Timor vero conſcientiæ, ſeu ſcrupulus eſt, quando non finaliter, id eſt, poſt diſcuſſionem, & deliberationem ex definitiva ſententia judicatur, & firmatur aliquid eſſe faciendum, aut proſequendum, vel non faciendum, aut vitandum, ſed mens inter dubia vaçillat, neſciens quid ſit melius, nec ad quid potius teneatur. Non tamen quoquo modo vellet omittere, quod ſciret eſſe placitum divinæ voluntati. Et contra iſtum timorem, ſeu ſcrupulum conſcientiæ facere, non ſemper eſt peccatum, licet periculoſus valde ſit, & quantum fieri poteſt, abjiciendus, & extinguendus „ „.

Pius idem, & eruditus Cancellarius Pariſienſis, lib. *De Vita ſpirituali anima*, lect. 4. Corollario 8. ad medendum ſcrupulis hoc generale documentum tradit; „ „ Credere ſcilicet faciliter ſapientum, & bonorum judicio, & contra communes eorum ſententias non leviter ſibimet formare ſcrupulos anxios, & timidos „ „, ſecundum illud ſapientis monitum; *Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et rurſus: *Noli tranſgredi terminos, quos poſuerunt patres tui.* Quam Regulam *S. Anton.* laudat.

Prov. 3. Prov. 22. 28.

Quid epikeja.

Præceptorum prudens interpretatio, quam *S. Anton.* inter ſcrupulorum remedia ſeptimum tradit, ad epikejam, id eſt, æquitatem pertinet. Eſt autem æquitas *Juſtitia penſatis omnibus circumſtantiis particularibus miſericordia temperata.* Septuplex autem documentum ex hujuſmodi virtute depromptum ſcrupuloſis tradit *S. Antoninus.*

Præceptorum prudens interpretatio, ad conſcientias ſcrupuloſorum hominum dirigendas utilis.

Primum: Inter duram, & benignam circa præcepta ſententiam, benigna interpretatio, cæteris paribus, „ potius facienda eſt. Ratio eſt, quia præcepta Dei, „ & Eccleſiæ non ſunt ad tollendam omnem ſpiritua„ lem dulcedinem impoſita, quæ certe tollitur nimis „ ſcrupuloſa, & timida præceptorum interpretatione.

„ Secundum: Nec Deus, nec Eccleſia intendunt ob„ ligare ad impoſſibile. Nam, ſecundum Regulam ju„ ris; *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* In Lege au„ tem

„ tem nova impoſſibile interpretandum videtur, „ quod vix eſt poſſibile, utpote nimiam habens diffi„ cultatem; alias, quomodo ſtaret illud, *Onus meum* „ *leve*? (Matth. 11.)

„ Tertium: Nec Deus, nec Eccleſia intendunt ſuis „ præceptis hominem amentem efficere; id eſt, hu„ juſmodi præcepta eo tempore, & loco non obli„ gant, quibus eorum obſervantia fieret ridiculus „ apud viros probos, & prudentes, non prudentia „ carnis, & ſeculi, ſed ſpiritus. Sicut vota Deo nun„ cupata reddere tenemur divino præcepto, quæ ta„ men non obligant, ſi ſtulta ſint.

„ Quartum: In dubiis, bonorum vita aliorum re„ gula eſſe debet, & tanto magis quanto meliores „ ſunt. Unde cap *Sic vive*, cauſa 16. q. 1. dicitur: „ *Inter bonos ſemper ſectare meliores.* Propter quod & „ Chriſtus diſcipulos ſuos vocat *Sal terræ*, quia ex „ ipſorum moribus populi ſunt condiendi. Ratio „ hujus regulæ eſt, quia æquum eſt, exiſtimare vi„ ros probos habere rectum judicium, cum habeant „ rectum affectum; ſicut de ſaporibus recte judicat „ homo ſanus, quia guſtum infectum non habet.

„ Quintum: In his, quæ ſolum ſunt mala, quia „ prohibita, ut vulgo ſunt poſitiva præcepta, mul„ tum excuſat, vel in toto, vel in tanto, conſue„ tudo, ſi ſit præſcripta; imo aliquando legi po„ ſitivæ derogat, ut colligitur ex cap. *Statuimus*, „ & Gloſſa Canonis *In iſtis*, diſt. 4. Sicut enim epi„ keja, ſeu æquitas eſt interpres legum, ſic & con„ ſuetudo, ut docet cap. *Cum dilectus*, Extra. *De* „ *Conſuetudine.*

„ Sextum: Sententiam excommunicationis a jure „ nunquam incurrit homo abſque peccato mortali. „ Cum enim per excommunicationem ab homine „ nullus ejici debeat ab Eccleſia niſi ob peccatum „ mortale, quia maxima pœna eſt; ita cum ſenten„ tia juris non ſit injuſta, poteſt homo formare ſibi „ conſcientiam, quod ubi non peccat mortaliter, „ non incurrit ſententiam juris.

„ Septi-

„ Septimum: Legis humanæ obſervantiam in ali„ quo caſu prætermittens, ratione gravis periculi, „ quod vitari non poteſt, ſi ſerventur verba legis, „ poteſt per virtutem æquitatis a peccato excuſari; „ quia legislator cum tali periculo obligaſſe non „ cenſetur.

REGULA XI.

Scrupuli plerumque ex temperamento ad timorem proclivi, aut ex melancholia, aut ex abſtinentiæ, jejuniorum, vigiliarum, orationum immoderatione; aliquando ex diaboli tentatione oriuntur. Quamobrem non ſpiritualibus ſolum, ſed corporalibus interdum remediis ſcrupuloſorum hominum quies, & tranquillitas procuranda eſt.

Scrupuloſorum ægritudini curandæ corporalia interdum neceſſaria remedia.

Illi ſcrupuloſorum generi, quos nimia abſtinentia, vel prolixiores, & crebriores meditationes, aut vigiliæ in hanc ægritudinem impellunt, verba Canonis *Mediocriter* diſt. 5. *De Conſecratione*, conveniunt: „ „ Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert ſenſus integritati, ut propter abſtinentiam immoderatam, atque indiſcretam Pſalmorum, vel Officiorum decantationem, aut amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrat „ „? Grave autem, ac moleſtum hujuſmodi hominibus eſſe non debet, ſi Confeſſarii ipſorum, ſeu conſcientiæ Moderatores, aut Superiores, corporalia remedia de conſilio medici ipſis imperent. Dicitur enim Eccleſiaſt. 38. *Altiſſimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorebit eam.* Denique cum ſcrupuloſorum infirmitas ex ſimilium ſocietate, & frequentatione augeatur, ab illis ſejungendi ſunt, & fortioribus, quorum nota ſit pietas, & prudentia, adjungendi.

REGULA XII.

Trepidare, ne forte Deo diſpliceat, quod a nobis rectum exiſtimatur, non eſt ſcrupuloſitatis indicium, ſed juſtæ cautionis officium.

Rea-

Beatus enim *homo, qui* hac ratione *ſemper eſt pavidus* (inquit Spiritus ſanctus *Prov.* 28.) Et ut *S. Gregor.* docet lib. 5. *Moralium*, c. 6. „ „ Sæpe opus noſtrum cauſa damnationis eſt, quod profectus putatur eſſe virtutis. Sæpe unde placari Judex creditur, inde ad iraſcendum placidus inſtigatur Salomone atteſtante, qui ait: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem.* Unde ſancti Viri, cum mala ſuperant, ſua etiam bene geſta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne peſtifera tabes putredinis, ſub boni ſpecie lateat coloris; ſciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona ſubtiliter neſciunt, & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant, metuunt; & tota quidem mente interna deſiderant, ſed tamen de incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur, ignorant „ „. Hinc *Job* 9. dicitur: *Verebar omnia opera mea*: id eſt, interprete *S. Gregorio* lib. 9. *Moralium*, cap. 17. „ „ Quæ aperte egerim, video; ſed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpe enim bona noſtra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis ſe noſtris actibus concupiſcentiæ terrenæ ſubjungunt. Sæpe deſidia interveniente deficiunt, quia a fervore, quo cœpta ſunt, frigeſcente amore tabeſcunt. Quia ergo culpæ ſubreptio, vel in ipſo virtutis actu vix vincitur; quid ad ſecuritatem ſupereſt, niſi ut ſtudioſe ſemper, & virtute timeatur „ „?

Sancti vidi ſua etiam bene geſta formidant.

Prov. 14. 12.

REGULA XIII.

Cum duæ opiniones probabiles concurrunt in materia morum, quarum altera favet legi contra libertatem, altera libertati contra legem, nefas eſt, & illicitum, eam amplecti, & ſecundum illam agere, quæ ſtat pro libertate, rejecta altera, quæ legi conſona eſt, ac proinde probabilior.

Colligitur hæc Regula ex Scripturis ſacris, & primo quidem ex præcepto charitatis, ex quo tota

De probabilium opinionum uſu.

Matth. 22. ta lex pendet, & Prophetæ. *Diliges Dominum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus tuis:* atqui non diligitur Deus ex toto corde, cum eligitur opinio minus probabilis favens libertati contra legem, relicta probabiliori. Quis enim ſincerus amicus habeatur, qui ut ſuo commodo indulgeat, nullatenus ea curat agere, ex quibus amicum ſuum probabiliter offenſum iri prævidet? Repugnat igitur legi charitatis vagus probabilitatis uſus.

Vagus probabilitatis uſus a Scriptura ſacra damnatus.

Secundo ex Apoſtolo 1. ad Theſſalonicenſes 5. *Omnia probate; quod bonum eſt, tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* At ſpeciem mali præſefert opinio minus probabilis, quæ favet libertati contra legem; quia ejus objectum probabiliter inhoneſtum eſt, & prohibitum. Nefas igitur eſt ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Matth. 15. 14. Tertio: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Vox Domini eſt. Ille cæcus eſt, qui falſam opinionem ſequitur, cum verum lumen non cernat. Qui ergo tenue illud minus probabilis opinionis lumen ſecutus fuerit, quæ re ipſa falſa eſt; corruet dubio procul in foveam, atque alios in eamdem pertrahet abyſſum, qui erraticum illud lumen ſecuti fuerint.

Joan. 14. Quarto, Chriſtus de ſe in Evangelio pronuntiavit: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Quibus verbis, ut omnes exponunt interpretes, ad vitam nullum patere ſignificat aditum, niſi per veritatem, ſed opinio minus probabilis, quæ favet libertati contra legem, veritate deſtituta eſt; non ducit igitur ad vitam.

Pſ. 118. Hinc illud *Davidis* ad Deum: *Omnes viæ tuæ veritas.* Non ait, omnes viæ tuæ probabilitas. Hinc cum eo pii omnes veritatis cognitionem votis ferventiſſimis a Deo poſtulant: *Veritatem tuam doce me. Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Non ait: Probabilitatem doce me: Deduc me in veritate tua, & ingrediar in probabilitate hominum.

Quinto, hominum actus in extremo judicio ſecundum Dei legem judicabuntur, & ex ipſius Chriſti

ſti ſermone: *Sermo*, inquit, *quem locutus ſum vobis, ipſe judicabit vos in noviſſimo die.* Non igitur ad normam opinionis probabilis opera noſtra diſcutientur. Adeoque nefas eſt amplecti opinionem minus probabilem, quæ libertati, & cupiditati favet contra legem, rejecta probabiliori, quæ ſtat a lege contra cupiditatem, & libertatem. Jo. 12. 48.

Sexto, vagus probabilitatis uſus in materia morum repugnat illi Spiritus ſancti monito, Eccleſiaſt. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* At conſilium ex opinione minus probabili non eſt ſtabile, cum inſit illi formido, ne forte, quod agendum ſuggerit, ſit lege divina prohibitum.

Septimo, Spiritus ſanctus ait Proverb. 14. *Eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Quid eſt autem aliud via, quæ videtur recta, & non eſt, niſi falſa probabilitas? Conſcientia enim probabilis ab erronea nihil differt, cum falſum amplectitur. Errat enim, qui falſum probabile cenſet; errat, qui ex falſa regula mores dirigit.

Vagus probabilitatis uſus a Patribus damnatus.

Eamdem Regulam confirmant Patres, cum opinionem ſecundum ſe falſam, æternæque legi contrariam peccatum nuſquam excuſare docent. Ita *Tertullianus* lib. *De Spectaculis*, cap. 20. „ „ Erramus, nuſquam, & nunquam excuſatur, quod Deus damnat. Nuſquam, & nunquam licet, quod ſemper, ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequii; non immutare ſententiam, nec variare judicium. Non poteſt aliud eſſe, quod vere quidem eſt bonum, ſeu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa ſunt. Ethnici, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur, alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum „ „.

Vagus probabilitatis uſus omnid.

S. Auguſt. lib. 3. *Contra Academicos*, cap. 16. iſtud illorum dogma refellit; *Cum agit quiſque, quod ei probabo-*

Hæc flagitiis viam aperit.

bile videtur, non peccat, nec errat. Oſtendit doctrinam hanc omnibus criminibus patrocinari, quia nullus eſt, cui probabile eſſe non poſſit, illud, quod perpetrat, crimen licitum eſſe. „„ Id igitur, *inquit*, audiens adoleſcens, inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te te conſulo, M. Tulli, de adoleſcentium moribus, vitaque tractamus, cui educandæ, atque inſtituendæ omnes literæ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi eſſe probabile, ut id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt. Nam ſi ex alieno probabili vivimus, nec tu debuiſti adminiſtrare rempublicam; quia Epicuro viſum eſt, non eſſe faciendum: adulteravit igitur ille juvenis conjugem alienam; qui deprehenſus ſi fuerit, ubi te inveniet, a quo defendatur? quamquam etiam ſi inveniat, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid ſi tam clarum eſt, ut fruſtra inficiere? Perſuadebis nimirum, tanquam in cumano Gymnaſio, atque adeo Neapolitano, nihil eum peccaſſe, imo etiam, nec erraſſe quidem. Non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit, probabile accurrit, ſecutus eſt, fecit... Sed vos me jocari arbitramini; liquet dejerare per omne divinum, neſcire me prorſus, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat... Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſint flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos Judices defenduntur; nihil conſenſi, & ideo non erravi. Quomodo autem non facerem, quod probabile viſum eſt?... Jam illud quis non ridet? Ipſi dicunt, nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cum eis ſit probabile non poſſe inveniri. O mirum monſtrum! Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum

viſum fuerit faciendum, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat „„.

Id agendum, quod ſecundum omnium opinionem, certum eſt non eſſe peccatum.

Confirmatur ex eodem *S. Auguſt.* lib. 1. *De Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 3. ubi eos a peccato non eximit, qui dubitantes an vera ſit apud Donatiſtas Eccleſia, ibique recte ſuſcipiatur Baptiſmus, certum autem habentes in Eccleſia catholica recte ſuſcipi, nihilominus illum in Secta Donatiſtarum ſuſcipiunt. „„ Quamquam, *inquit*, etiam ſi dubium haberet, non illic recte accipi, quod in catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret. *Et cap.* 5. Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum? Illi vero, qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minus peccant; ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur; non ideo non graviter, quod alii gravius. Cum enim dictum eſt quibuſdam: *Tolerabilius erit Sodomis in die judicii quam vobis*; non ideo dictum eſt, quia Sodomitæ non torquebuntur, ſed quia illi gravius torquebuntur „„. Cum itaque minus probabilis opinio, quæ libertati, & cupiditati favet contra legem, in concurſu probabilis, quæ legi favet contra libertatem, & cupiditatem, incerta ſit, & oppoſiti formidine quatiatur, ne forte ſit illicitum, quod ipſa licere docet, graviter peccat, qui minus probabilem probabiliori præponit, & ſecundum illam agit, quia in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponit.

Matth. 10.

Vitioſa eſt actio, ſi aut veritas in electione, aut in intentione charitas deſit.

S. Bernardus, actiones ex falſa opinione, quamlibet probabili profectas, vitioſis annumerat, dum ad bonam actionem utrumque requiri docet: *Charitatem in intentione, & in electione veritatem*, quorum alterutrum ſi defuerit, vitioſam illam eſſe pronuntiat, lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, c. 14. „„ Ut interior oculus vere ſit ſimplex, *inquit*, duo illi eſſe arbi-

arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam; & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique vere ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut vero vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: *Ignorans ignorabitur.* Patet ergo laudabilem illam, & Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentia, atque prudentia, ut oculus videlicet cordis, non ſolum pius, qui fallere nolit; ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit „ „.

Matth. 10. 16.

1. Cor. 14. 38.

Vagus probabilitatis uſus a S. Thoma damnatus.

S. Thomas, Quodlibeto 8. qu. 6. art. 3. eamdem Regulam confirmat ubi expendit, an liceat habere plures præbendas, diſſentientibus opinionibus magiſtrorum. „ „ Aut ille, *inquit*, qui facit contra opinionem magiſtrorum, habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria; & tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic proculdubio peccat; utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem, &c „ „. Qui porro ſequitur opinionem minus probabilem, quæ libertati, & cupiditati favet contra legem, relicta probabiliori, quæ favet legi contra libertatem, & cupiditatem, facit contra veram opinionem, & con-

tra

tra legem Dei, aut certe periculo ſe committit, cum fieri non poſſit, quin inducatur in aliquam dubitationem, quia minus probabili datus aſſenſus cum erroris formidine eſt; & minus probabilis opinio probabilius eſt peccandi periculum. Non excuſatur itaque a peccato, qui minus probabiliem opinionem ſequitur relicta probabiliori.

Error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, non excuſat.

Et Quodlibeto 9. qu. 7. art. 2. ubi quærit, utrum habere plures præbendas ſine cura animarum, abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale? *Qua in Quæſtione*, inquit, *inveniuntur Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contraria ſentire.* Præmittit autem illius ſolutioni hoc velut inconcuſſum principium: „ „ Omnis quæſtio, in qua de mortali peccato quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur; quia error, quod non creditur eſſe peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur, eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale: præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt „ „. Cum itaque falſa eſt opinio, qua cenſet aliquis non eſſe peccatum mortale, quod revera mortale eſt, non excuſatur a peccato mortali, qui illam ſequitur, & ſecundum illam agit. Recte igitur a pleriſque Galliarum Epiſcopis, qui Caſuiſtarum Apologiam damnarunt, necnon ab Academiis Pariſienſi, & Lovanienſi damnata hæc propoſitio eſt: „ „ In quæſtionibus de bono, vel malo, licito, vel illicito, jure divino, vel humano, poteſt ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam relicta probabiliore, & magis tuta, etiam ſibi nota ut tali „ „.

Objiciunt varia Scripturæ ſacræ teſtimonia, in quibus habetur, Chriſti *Jugum ſuave* eſſe, & *onus* ejus *leve. Matth.* 11. & *Mandata ejus gravia non eſſe*, ut 1. *Joan.* 5. Sed, inquiunt, ſi teneremur ſequi opinionem magis probabilem, poſthabita probabiliori, jugum Dei ſuave non eſſet, ſed difficilis admodum divinorum mandatorum obſervantia.

Præterea, prudenter operatur, qui probabili opinioni adhæret, quamvis illa ſit minus probabilis; igitur honeſte agit; ac proinde a peccato immunis eſt.

Jugum Chriſti ſuave eſt ratione charitatis, non ratione libertatis eligendi minus probabiles opiniones in concurſu probabiliorum.

Reſpondetur, Jugum Chriſti ſuave eſſe, & mandata ejus non eſſe gravia, ratione gratiæ, & charitatis, quas nobis copioſe infundit; vel infundere paratus eſt; non vero ratione liberæ poteſtatis eligendi eas morum Regulas, quæ libertati favent, & cupiditati contra præceptum. Hunc Scripturæ ſenſum aperit *S. Auguſt.* lib. *De Perfectione Juſtitiæ*, cap. 10. „ Quis autem neſciat, *inquit*, cum præceptum ſit generale charitas, quia finis præcepti eſt charitas. & plenitudo legis eſt charitas, non eſſe grave, quod diligendo fit, non timendo. Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo adimplere conantur. Sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam non ſolum non opprimentem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum „. Cæterum mores non eſſe informandos ſecundum opiniones laxiores, quibus Dei jugum nimis emollitur, & chriſtiana diſciplina ſolvitur, ſignificat Deus *Ezechielis* cap. 13. *Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ, quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus; & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Et Jerem. 5. *Circuite vias Jeruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem... Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, & ignorantes viam Domini, judicium Dei ſui... Et ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula... Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus*

Pſeudo-Prophetæ ſunt, qui conſcientias dirigunt ſecundum opiniones laxiores, & minus tutas.

meus dilexit talia; quid igitur fiet in noviſſimo ejus? Hinc David ajebat: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Quod oraculum præclaris *Guigonis Carthuſiani* verbis in rem noſtram illuſtrari poteſt: „„ O Apoſtolorum tempora infeliciſſima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui, ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant „„! Denique Chriſtus ait Matth. 7. *Intrate per angustam portam: Quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Et Matth. 11. *A diebus Joan. Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et cap. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Pſal. 16. 4.

Ad ſecundum reſpondetur, prudentiæ non eſſe, certis incerta præponere in negotio æternæ ſalutis, adeoque non eſſe prudentiæ minus probabilem opinionem ſequi relicta probabiliore. Omne ſane judicium falſum, ac æternæ veritati contrarium, imprudentia eſt, cum vera, chriſtianaque prudentia nihil aliud ſit, quam rectum de rebus agendis judicium, ex æternæ juſtitiæ luce derivatum. Jam vero quiſquis falſo, & æternæ legi contrario dogmati, quamlibet probabili ratione permotus aſſentitur, tamen fallitur: eaque judicii imprudentia ex alia morum imprudentia ſemper exiſtit, minus diligenter quæſitæ veritatis, minus ſtudioſe expurgati cordis. Propterea imprudens eſt, qui ex varietate probabilium ſententiarum, & Scriptorum ſuper illis diſſenſione, una ex parte clarius, & probabilius quam ex alia affulgente veritate, vel in nullam dubitationem adducitur; ve dubitatione jactatus, minus probabilem amplectitur. Quis enim hunc non imprudentiæ modo, ſed ſtuporis, & inſaniæ non damnet, qui affirmantibus aliis aliquam eſcam veneno infectam, aliis negantibus.

Prudentiæ regulis repugnat minus probabilis opinionis deſectus in concurſu probabilioris.

bus, ſpretâ probabilius id aſſerentium ſententia, minus probabiliter negantium opinioni, adhæreat, eamque eſcam, quaſi ſinceram, & innoxiam, ſecurus ſumat? Quid eſt enim aliud imprudentia fere in rebus humanis, quam minus probabilibus magis probabilia poſtponere? Si quis Dux exercitus eo tempore prælium committat, quo ſe putat probabilius victum iri, quam victorem futurum: ſi negotiator iis conditionibus ſocietatem contrahat, quas ſibi videat probabilius fore damnoſas, quam utiles; ii non modo imprudentes habebuntur, ſed in exemplum ſtultitiæ ab omnibus proponentur. Qua igitur ratione prudens in vita agenda videri poteſt, qui minus probabilem opinionem, faventem libertati, & cupiditati, probabiliori præponere non veretur, quæ favet legi?

REGULA XIV.

Extrinſeca probabilitas ex unius, vel plurium ſcriptorum auctoritate petita, opinioni morali ſecuritatem conciliare non poteſt.

De probabilium opinionum uſu.

Id ex eo conſtat, quod etiam nonnunquam neceſſe ſit privati alicujus e ſanctis Patribus deſerere ſententiam, cum Scripturæ ſacræ, aut Traditionis auctoritate falſa eſſe deprehenditur; quanto potiori jure id de recentioribus Scriptoribus aſſerendum eſt? Præſtat hanc Regulam *S. Auguſtini* verbis exprimere, Ep. 81. alias 18. ad *S. Hieronymum* data: „ „ Solis eis ſcripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam... Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos Auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt „ „. *Ep.* 148. *alias* 111. *ad Fortunatianum*, *c.* 4. „ „ Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut

Scri-

Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ergo sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum „ „.

Laxiores, & indulgentiores directores minime eligendi.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Basilio*, Serm. *De Abdicatione rerum*, cujus hæc sunt verba: „ „ Contendit adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus, propria vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitius agere volens, magistrum tibi quæsieris tecum se ad vitia tua dimittentem, vel (ut verius dicam) tecum una in eamdem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuntium remisisti, qui cæcum tibi ducem asciveris, cujus ductum secuto in foveam tibi sit procidendum „ „. Ecce *S. Basilio* teste, mollis ille magister, cujus certe probabiles opiniones existimant, qui moralem illius doctrinam, & institutionem sequuntur, nihilominus ipsos in foveam, & in certam perniciem secum abripit, qualibet probabilitatis specie deceptos.

Securitas a Directore data nihil prodest si in Dei tribunali non sit accepta.

Item ex *S. Augustin.* Serm. 40. alia 11. inter Hom. 50. „ „ Fœdum est, *inquit*, turpe est, nolo dicere malum, nolo dicere periculosum, nolo dicere exitiosum; turpe est, ut vos fallam, si Deus me non fallit... Quid volunt, ut ego promittam, quod ille non promittit. Ecce dat tibi securitatem procurator; quid tibi prodest, si paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi, vive quomodo vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi procurator dedit; nihil valet securitas procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, & ego te solicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim. Mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, Fratres, vel mea, vel vestra, nisi

ut Domini juſſa intente, & diligenter audiamus, & promiſſa fideliter expectemus „ „ ?

Unius, vel plurium Scriptorum, aut Doctorum opinionem a peccato non liberare, niſi ſit divinæ legi conſentanea, confirmat *Felix III.* Pont. maxim. Epiſt. 7. „ „ Sciat, *inquit*, quod ſe decipit ipſe, qui fallit, nihilque per noſtram facilitatem Tribunalis excelſi judicio derogari, cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ juſta ſunt „ „.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* Quodlibeto 3. qu. 4. art. 2. ubi illos, qui opinionem errantis magiſtri, vel errantium magiſtrorum ſequuntur, in foveam erroris cadere docet. „ „ Sed contra eſt, *inquit*, quod dicitur Matth. 15. *Si cæcus ducatum cæco præſtet, ambo in foveam cadunt.* Sed quicunque errat, cæcus eſt, in quantum errat: ergo quicunque ſequitur opinionem errantis magiſtri, in foveam peccati cadit „ „ *Tum in corpore Articuli*: „ „ Reſpondeo dicendum, quod diverſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ, ſi quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt; tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit, ad Romanos 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*; in his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat. Alioquin immunes a peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum. Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequantur; in rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus; quin imo, ut Auguſtinus dicit lib. 3. De Doctrina chriſtiana: *Conſulere debet quis Regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit.* Qui ergo aſſentit opinioni alicujus magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari „ „.

In his quæ pertinent ad fidem, aut bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam alicujus auctoris opinionem.

De-

Denique ſummus Pontifex *Innocent. XI.* anno Chriſti 1679. die 4. Martii, has Propoſitiones inter alias damnavit: „ „ Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus „. „ Propoſitiones damnatæ.

„ Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens „ ductus opinione minus probabili „.

Epiſcopo etiam plerique Gallicani in Cenſuris Apologiæ Caluiſtarum, & Academiæ celeberrimæ, Pariſienſis præſertim, & Lovanienſis, has Propoſitiones confixerunt. Clerus etiam gallicanus anno 1700. de his propoſitionibus ita judicavit.

„ Omnem probabilitatem, ſive extrinſecam, ſive „ intrinſecam, in conſcientia ſatisfacere putamus, neq „ exemplis urgebimur; ubique enim eodem omnino „ modo philoſophamur „.

„ Auctoritas unius probi, & docti reddit opinio„ nem probabilem „.

„ Hæc Propoſitio: *Sexdecim ad probabilitatem re„ quiruntur*, non eſt probabilis. Si ſufficiunt ſexde„ cim ſufficiunt quatuor. Si ſufficiunt quatuor, ſuffi„ cit unus „. Has propoſitiones falſæ ſunt, ſcandaloſæ, perniciosæ, ſpreta veritate quæſtiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.

„ Ad probabilitatem ſufficiunt quatuor. Sed qua„ tuor imo & viginti, & ſupra, teſtantur unum ſuffi„ cere: ergo ſufficit unus „.

„ Ex auctoritate unius tantum poteſt quis opinio„ nem amplecti, licet a principiis intrinſecis falſam, „ & improbabilem exiſtimet „.

„ In dubiis de bono, vel malo, licito, vel illicito, „ jure divino, vel humano, nullo præponderante ar„ gumento, quo dubitare ceſſemus, licet utramlibet „ partem amplecti, nec tenemur anteferre eam, in „ qua conſtet nullum eſſe peccatum „.

„ Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æque „ tutæ, ac ſecuræ: Benigniores, etſi aliquando ſint „ minus probabiles, per accidens ſunt ſemper utilio„ res, & ſecuriores „.

„ Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium, „ ideoque probabiles quaſvis ſententias poteſt ad li„ bitum mutare „.

„ Si liber ſit alicujus junioris, ac moderni, debet „ opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reje„ ctam eſſe a Sede apoſtolica tanquam improbabi„ lem „. Hanc Propoſitionem damnavit *Alexander VII.* Pontifex maximus.

Clerus gallicanus huic poſtremæ propoſitioni iſtam ſubnectens: *Non ſunt ſcandaloſæ, aut erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit*, utramque his verbis confixit: „„ Hæ propoſitiones, quatenus ſilentium, & tolerantiam pro Eccleſiæ, vel Sedis apoſtolicæ approbatione ſtatuunt, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, ſaluti animarum noxiæ, patrocinantur peſſimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendum viam parant „„.

Sic vero judicavit de prima propoſitione his verbis concepta: „„ Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus „„.

„„ Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus nullo Scripturarum, aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo ſtatuit „„.

REGULA XV.

Morum regulæ ex Scriptura, & Traditione, non ex ſolis hominum opinionibus depromendæ ſunt.

De probabilium opinionum uſu.

Ex ipſamet Scriptura ſacra hæc Regula depromitur. Ait enim Apoſt. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Et ad Hebr. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Qui ſacros illos fontes conſulit, ex iiſque unis Regulas morum depromit, Chriſtum imitatur, qui *Joan.* 7. ſe id tantum docuiſſe teſtatur, quod

quod a patre acceperat: *Mea doctrina*, inquit, *non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Et Joan. 12. *Ego ex me ipſo nihil ſum locutus, ſed qui miſit me, pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quod mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor.* Idem colligitur ex Apoſt. ad Epheſ. 4. dicente: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti... Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris.* De illis proinde, qui ad mores dirigendos una humanarum opinionum probabilitate utuntur; divinis illis Regulis poſthabitis, merito dici poteſt, quod Dominus de Pſeudo-Prophetis ait, Ezech. 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui, Iſrael, erant. Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos, & perſeveraverunt confirmare ſermonem. Nunquid non viſionem caſſam vidiſtis, & divinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, ait Dominus; cum ego non ſim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium; ideo ecce ego ad vos dicit Dominus Deus; Et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium; in conſilio populi mei non erunt, & in Scriptura domus Iſrael non ſcribentur, neq; in terram Iſrael ingredientur; & ſcietis, quia ego Dominus Deus: eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non eſt pax; & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.* Fideles ſunt ædificatio Dei, juxta illud, *Dei ædificatio eſtis.* Pſeudo-prophetæ, tum hæretici, tum Pſeudo-Theologi, laxioreſque conſcientiarum moderatores, qui parietem liniunt

Laxiorum caſuiſtarum effigies a Spiritu ſancto delineata.

1. Cor. 3. 9.

liniunt luto abſque paleis, cum figmenta, & opiniones hominum, *Quæ Spiritus ſancti non habent condimentum*, utpote in Scripturis divinis, & Traditione apoſtolica non fundatæ, ædificant. Unde totum ædificium corruat neceſſe eſt, & uſque ad fundamenta, & pulverem diſſolvatur.

Conſumentur autem, & populus, & Prophetæ, quia ſunt animæ, per Jeruſalem ſignificatæ: *Cauſa peccati, & ruina, & ſtulta ſecuritatis* (ut explicat *S. Hieron.*)

Doctorum ſanioris moralis caracteres.

Sanioris vero moralis Doctores deſcribit Spiritus ſanctus Eccleſ. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis.* Verba ſapientium ſtimulis comparantur interprete *S. Hier.* quia pungunt, non palpant, vel molli manu attrahunt laſciviam, ſed errantibus, & tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infligunt. „ „ Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba quippe ſapientium, ut ſtimuli. Quæ quoniam ad converſionem provocant delinquentem, & firma ſunt, & a Concilio Sanctorum data, & ab uno paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata ſunt. Nec auctoritate unius, ſed conſilio, atque conſenſu magiſtrorum omnium proferuntur. *Ab uno Paſtore.* Quia licet plurimi doceant, tamen doctrinæ auctor unus eſt Dominus. Exceptis his, nihil facias, nihil tibi vindices, majorum ſequere veſtigia, ab eorum auctoritate non diſcrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem. Moris eſt Scripturarum, quamvis plures libros, ſi inter ſe non diſcrepent, & de eadem re ſcribantur, unum volumen dicere; ſiquidem & Evangelium, & lex Domini immaculata convertens animas, ſingulariter appellantur, cum plura Evangelia, & multa ſint mandata legis „ „. Juxta hunc igitur ſenſum dictum eſt: *Faciendi plures libros nul-*

lus

lus eſt finis : Quidquid enim dixeris, ſi ad eum referatur, qui *In principio erat apud Deum, & Deus erat verbum*, unum volumen eſt, „ „ & innumerabiles libri una lex, unum Evangelium nominantur. Quod ſi diverſa, & diſcrepantia diſputaveris, & curiositate nimia huc, atque illuc animum deduxeris; etiam in uno libro multi libri ſunt. Talibus igitur libris non eſt finis. Bonum enim omne, & veritas certo fine concluditur; malitia vero, atque mendacium ſine fine ſunt. Et quanto plus requiruntur, tanto major eorum ſeries naſcitur „ „. Hinc *S. Auguſt.* expendens illud Jacobi 3. *Nolite plures Magiſtri fieri*, in Prologo *Retractationum* ait: „ „ Reſtat, ut me ipſe judicem ſub magiſtro uno, cujus de offenſionibus meis judicium evadere cupio. Magiſtros autem plures tunc fieri exiſtimo, cum diverſa, atque inter ſe adverſa ſentiunt, cum vero id ipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri magiſtri Magiſterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illius multa dicunt, ſed cum addunt ſua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falſiloquium „ „. Joan. 1.

Confirmatur ſtatuta Regula ex *S. Irenæo*, lib. 3. *Adverſus hæreſes*, cap. 5. „ „ Qui enim, *inquit*, ad inventionem miſſi erant errantium Apoſtoli, & ad viſionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, utique non ſecundum præſentem opinionem colloquebantur eis, ſed ſecundum veritatis manifeſtationem. Nec enim quilibet homines recte facient, ſi cæcos, jam jamque per præcipitium terri incipientes, adhortentur inſiſtere illi periculoſiſſimæ viæ, quaſi vere rectæ, & quaſi bene perventuri ſint. Quis autem medicus volens curare ægrotum, faciet ſecundum concupiſcentias ægrotantis, & non ſecundum quod aptum eſt medicinæ? Quoniam autem Dominus Medicus venit eorum, qui ſe male habent, ipſe teſtificatur, dicens: *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed male habentibus. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Quomodo ergo, qui male habent, confirmabuntur, & quomodo peccatores poſ-

Vagus probabilitatis uſus periculoſiſſima via.

Matth. 9. 12.

ni-

nitentiam agent? Utrum perſeverantes in eiſdem ipſis, an e contrario magnam commutationem, & tranſgreſſionem prioris converſationis accipientes, per quam & ægritudinem non modicam, & multa peccata ſibimetipſis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem vacuatur. Agnitionem vero faciebat Dominus ſuis diſcipulis, per quam & curabat laborantes, & peccatores a peccato coercebat. Non igitur jam ſecundum priſtinam opinionem loquebatur eis, neque ſecundum ſuſpicionem interrogantium reſpondebat eis; ſed ſecundum doctrinam ſalutarem, & ſine hypocriſi, & ſine perſonarum acceptione „ „.

Res conſcientiæ ad Dei regulas dirigendæ.

Item ex *Tertulliano* lib. *De anima*, cap. 1. „ Si quid de anima examinandum eſt (*addiderim & de anima ſalute*) ad Dei Regulas dirigat. Certe nullum alium potiorem *ſalutis* demonſtratorem, quam auctorem reperiet. A Deo diſcat, quod a Deo habeat; aut nec ab alio, ſi nec a Deo. Quis enim revelabit, quod Deus texit? Inde ſciſcitandum eſt, unde & ignorare tutiſſimum eſt. Præſtat per Deum neſcire, quia non revelaverit, quam per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit „ „.

Æternæ beatitudinis laborioſus, & arctus introitus.

Item ex *Clemente Alexandrino*, lib. 7. Stromatum. „ „ Maximum eſt, *inquit*, deponere opinionem, conſiſtendo in medio accuratæ, perfectæque ſcientiæ, & temerariæ ſapientiæ opinionis, & noſſe, quod qui æternam ſperat quietem, cognoſcit etiam ejus introitum eſſe laborioſum, & arctum. *Et infra*: Voce Domini erudimur ad cognitionem veritatis. Non enim abſolute enuntiantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non ſatis eſt ſolum abſolute dicere, quod videtur, ſed oportet etiam probare, quod dictum eſt, non expectamus teſtimonium, quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus, quod quæritur, quæ eſt magis fide digna, quam quævis demonſtratio; vel potius, quæ eſt ſola demonſtratio, per quam ſcientiam, qui ſolum guſtavere Scripturas, ſunt fideles. *Et*

Quam periculoſum ſit opinionibus hominum in rebus ſalutis duci.

poſt

poſt plura: Magis declinamus ad ea, quæ ſunt opinabilia, quam ad veritatem; eſt enim auſtera, graviſque, ac ſevera. Atque cum ſint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, ſcientia; qui in ignoratione quidem verſantur, ſunt gentes; qui autem in ſcientia, vera Eccleſia; qui vero in opinione, ii, qui ſectantur hæreſes. *Denique poſt nonnulla ſubdit*: Qui paret Domino, & per eum datam ſequitur Prophetiam, efficitur ad magiſtri imaginem Deus, qui in carne verſatur. Hanc ergo altitudinem minime aſſequuntur, qui non ſequuntur Deum eos ducentem; ducit autem per Scripturas divinitus inſpiratas. Et cum ſint innumerabilia, quæ fiunt ab hominibus, ſunt utique duo cujuſvis peccati principia, ignoratio, & imbecillitas: eſt autem utrumque in noſtra poteſtate, cum hæc velimus diſcere, nec cupiditatem continere. Ex his autem unum quidem eſt, per quod non recte judicant, alterum vero, per quod non poſſunt exequi, quæ recte ſunt judicata... Conſequenter ergo duæ quoque diſciplinæ traduntur utrique peccato utiles; illi quidem cognitio, & ex ſcripturarum teſtimonio evidens demonſtratio; huic vero, quæ eſt ex verbo exercitatio, quæ a fide, & timore tanquam pædagogis ducitur. Creſcunt autem ambo in perfectam charitatem „ „.

Item ex S. Joan. Chryſoſtomo, Hom. 13. in cap. 7. Epiſt. 2. ad Corinth. „ „ Vulgi, *inquit*, opiniones ne circumferamus, ſed vel ipſas expendamus. An non enim, abſurdum, ac præpoſterum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, ſed numero, & calculo id committere; cum autem de rebus judicandum eſt, in aliorum opiniones temere, ac velut obtorto collo trahi; idque cum exactam rerum omnium lancem, ac normam, & amuſſim habeamus, nempe divinarum legum ſententiam „ „?

Item ex *S. Auguſtino*, lib. 2. *De Doctrina chriſtiana*, cap. 9. ubi recenſitis Scripturæ ſacræ libris, ait: „ „ In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis, Morum regulæ ex Scripturis ſacris erucndæ.

tis, & laboris prima obſervatio eſt, noſſe iſtos libros, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quæ in eis aperte poſita ſunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertius, diligentiuſque inveſtigandæ ſunt, quæ tanto quiſque plura invenit, quanto eſt intelligentiæ capacior. In iis enim, quæ aperte in ſcripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi. Spem ſcilicet, atque charitatem. *Et lib. 3. cap.* 10. Non præcipit ſcriptura niſi charitatem; nec culpat niſi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum „.

Conſtans etiam Eccleſiæ ſententia eſt, non minus evangelicam vivendi normam, quam ipſam fidem, ex Traditione petendam. Ita docet *Innoc. I.* Epiſt 1. ad *Victricium* Rothomagenſem Epiſcopum: „ Non noſtra, *inquit*, præcepta imperantur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupimus, quæ tamen apoſtolica, & Patrum Traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad 2. Theſſ. 2. Theſſalonicenſes, Paulo monente: *State, & tenete Traditiones noſtras, quas tradidimus vobis, ſive per verbum, ſive per Epiſtolam* „.

Ita *S. Leo*, Epiſt 24. alias 10. ad *Flavianum* Conſtantinopolitanum Epiſcopum: „ Quid iniquius, quam impia ſapere, & ſapientioribus, doctioribuſque non cedere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad apoſtolicas Literas, nec ad evangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt; & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere „.

Et Epiſt. 135. ad *Neonam* Ravennatem Epiſcopum, alias 27. ad *Leonem* Ravennenſem: „ Frequenter quidem in diverſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda Spiritu Dei inſtruente ſolidavimus, reſponſionis formam vel ex ſanctarum Scripturarum diſciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes „.

Ita

Ita *Gelaſius I.* Epiſt. 5. ad *Honorium* Dalmatiæ Epiſcopum. „ „ Ubi eſt, quod ſcriptum eſt: *Terminos Patrum tuorum non tranſgredieris*; &, *interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi; & ſeniores tuos, & dicent tibi*? quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cor nobis non ſufficit, ſi quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus, & Senioribus ſingula quæque, vel vitanda præcepta ſunt, vel aptanda catholicæ veritati; cur non his probantur eſſe decreta? Nunquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſiſtere, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus „ „. Deut. 32.

Ita Concilium Trullanum, can. 19. „ „ Oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipue Dominicis, omnem clerum, & populum docere pietatis, & rectæ religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis; & non tranſgredientes jam poſitos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad Scripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt; & majorem ex iis laudem aſſequentur, quam ſi quæ a ſe dicuntur, componant, ne dum quandoque ad id hæſitant, ab eo, quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, populi ad eorum, quæ ſunt bona, & expetenda, & inutilia, ac rejicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec in ignorantiæ vitium delabuntur; ſed doctrinæ mentem adhibentes, ſeipſos ad id, ne mali quid eis accidat, excitant; & imminentium ſuppliciorum metu ſibi ſalutem operantur „ „.

Ita Concilium Conſtantinopolitanum 4. Oecumenicum 8. can. 1. cujus hæc ſunt verba: „ „ Ut rectam, regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus, ſanctorum Patrum Decreta, velut inextinctæ quædam, ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt. Quapropter Sanctiones Eccleſiæ catho-

licæ, & apoſtolicæ per traditionem, tum a ſanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab orthodoxis, oecumeniciſque, & provincialibus Conciliis, aut a quovis deiloquo Patre, & Eccleſiæ Doctore acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. Traditiones enim ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam majorum noſtrorum, qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas, diſerte magnus Apoſtolus Paulus tenendas monet „„.

Ita *Adrianus II.* Pontifex maximus in libello per Legatos lecto in Synodo 8. Oecumenica. „„ Prima ſalus eſt rectæ fidei Regulam cuſtodire; deinde a Conſtitutis Dei, & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet; alterum ad opus bonum; ſicut enim ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ſic rurſus legitur: *Fides ſine operibus mortua eſt* „„.

Hebr 11.6
Jac. 2.26.

Ita Concilium Lemovicenſe 2. anno 1634. „„ Obſervandum quidem magnopere eſt nobis ante omnia, & ſuper omnia, uti mandatum Dei, & non noſtras Traditiones populo obſervandas tradamus, & nihil niſi Scripturarum divinarum auctoritate fultum ſtatuamus agendum; nihilque de cordibus, nihil extra præceptum Domini, & ſanctorum Patrum (quod abſit) conſtituere, docere, vel jubere præſumamus „„.

Ita *S. Petrus Damiani*, Epiſt. 8. lib. 1. ſeu Opuſculo 24. cap. 1. „„ Nos autem, quia magiſtros habemus ſanctos Apoſtolos, & apoſtolicos viros, non debemus, quod nobis, videtur eligere; neque, quod ſemel electum eſt, obſtinate, & pervicaciter defenſare; ſed his duntaxat, quæ a probatis Eccleſiæ Doctoribus definita ſunt, fidem irretractabiliter adhibere. *Et alibi*: Quoniam ab Apoſtolis fidem, ab apoſtolicis autem viris converſandi in Eccleſia percepimus ordinem; ita propemodum non mutamus diſciplinæ modum a majoribus traditum; ſicut illibatum tenemus ipſum quoque fidei fundamentum. Unde ad Tim. dicit Apoſtolus: *Ut ſcias, quomodo oporteat in domo Dei converſari* „„.

1. Tim 3 15.

Ita

Ita *S. Bernardus* Epist. 174. „„ Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præterisse „„.

Et Tractatu ad *Hugonem de S. Victore*, cap. 2. „„ Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, &c „„.

Ita *Gregorius VIII.* lib. 3. Epist. 10 ad *Henricum* Germaniæ Regem. „„ Videntes, *inquit*, ordinem christianæ religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales, ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas concussi periculo, & manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus; nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam, & unicam ecclesiasticæ disciplinæ Regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore petendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis, & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, earumque pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dicit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur; & pascua inveniet*; & ab Apostolis prædicatum, & sanctis Patribus observatum in Evangelica, & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus „„. Joan. 10.

Ex his colligitur.

REGULA XVI.

Doctrina morum a Veteribus, & Sanctis magis, quam a recentioribus auctoribus petenda est.

Elicitur hæc Regula ex Job 12. *In Antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Eccles. 39. *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens.* Et Eccles. 8. *Non te prætereat narratio Seniorum,* Veteres, & Sancti præ recentioribus auctoribus moralibus

bus ſequendi.

rum, ipſi enim didicerunt a patribus ſuis. Et ex verbis *Jeremiæ* cap. 6. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Et ex Apoſtoli verbis 1. ad *Timoth.* 6 ſcribentis: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devita profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem naufragaverunt.* Quem locum *Vincentius Lirinenſis* in Commonitorio 1. cap. 17. ſic explicat; „„ Quis eſt hodie Timotheus, niſi vel generaliter Eccleſia univerſa, vel ſpecialiter totum corpus Præpoſitorum, qui integram divini cultus ſcientiam, & habere ipſi debent, & aliis infundere? *Depoſitum* (inquit) *cuſtodi.* Quid eſt depoſitum? Id ed, quod tibi creditum eſt, non quod a te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ Traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens „„. Hinc *Hormiſda* Pontifex maximus Ep. 22. „„ Quid, *inquit*, recentia capitis, & priſca deſeritis? *Et alibi*: Prima ſalus eſt, rectæ fidei Regulam cuſtodire, & a conſtitutis Patrum nullatenus deviare „„. Hinc ante ipſum *S. Cæleſt. II.* Ep. 1. *Deſinat inceſſere novitas veſtutatem.* Hinc Zoſimus: „ Apud nos, *inquit*, inconvulſis radicibus vi„ vit antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reve„ rentiam „. Hinc *Sylveſter II.* ſcribit: „„ Sit lex communis Eccleſiæ, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei conſtituti, & totius mundi reverentia conſecrati, & Decreta Sedis apoſtolicæ ab his non diſcordantia „„. Et ante illos omnes *Tertullianus*, lib. *De Præſcriptionibus*, cap. 6. „„ Nobis, *inquit*, nihil ex noſtro arbitrio inducere licet; ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus Auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Itaque etiamſi Angelus de

cœ-

cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis „„. Sane recentiorum opiniones, quæ nec Scripturæ, nec Traditionis auctoritate; nec ſolidis, & utrique conſentaneis rationibus, ſed veriſimilibus duntaxat, aut extrinſeca probabilitate, id eſt, recentiorum pariter Doctorum teſtimonio nititur, a fallacia, & errore nullatenus diſtinguuntur. Atque ita intelligenda eſt *S. Auguſt.* ſententia, lib. *De Utilitate credendi*, cap. 11. „„ Tria ſunt, *inquit*, velut finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, intelligere, credere, opinari. Quæ ſi per ſe ipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt, ſecundum aliquando cum vitio, tertium nunquam ſine vitio... Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori „„. Quamobrem ab Epiſcopis pleriſque gallicis, & a celeberrimis Academiis, Pariſienſi præſertim, & Lovanienſi, merito confixæ ſunt, & improbatæ ſequentes Propoſitiones.

Propoſitiones damnatæ.

„ Doctrina fidei a Veteribus; doctrina morum „ magis a junioribus petenda „.

„ Puto omnia eſſe hodie melius examinata; & hanc „ ob rem in omni materia, & præcipue in Morali, ju„ niores quam antiquiores lego, & ſequor „.

„ Non ergo opinio improbanda, eo quod ab an„ tiquioribus non fuerit tradita „.

„„ De ſententia Doctorum antiquorum verum ſciri non poterit, niſi ipſe Thomas, aut Auguſtinus, aut alii excitentur a mortuis. Præſtat igitur adire vivos, quam recurrere ad mortuos, qui nequeunt mentem ſuam explicare „„.

„ Hæc objectio: *Opinio nova videtur*, doctum ur„ gere nequit; nam tota moralis Theologia nova eſt „.

„ Liceat ex ſolo rationis lumine dijudicare, quando „ quis privatus poſſit pro tuenda vita, vel bonis, vel „ honore, aliquem occidere „.

Secunda ex iſtis propoſitionibus hac cenſura confixit generalis conventus Cleri gallicani anno 1700.

„„ Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, per-

niciosa, erronea, sanctis Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa, spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis auctoritate, & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas Traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas „.

REGULA XVII.

In dubiis tutior pars est eligenda.

Tutior sententia quando eligenda.

Hæc Regula fundatur in jure naturali, quo prohibetur omnibus, ne se periculo peccati exponant, aut salutem suam in discrimen adducant, secundum illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hanc utriusque juris Regulam consilium duntaxat, non præceptum continere, quidam falso asseruerunt. Nam ibi præceptum includi censendum est, ubi verba sunt absoluta, & imperium exprimentia, & pœnæ decernuntur contra transgressores. Illud porro juris axioma verbis imperium designantibus exprimitur; non enim dicunt summi Pontifices, melius est eligere tutiorem partem; sed: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Referuntur Canones huic regulæ innixi.

Tutior sententia in dubiis eligenda.

1. In cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Homicidio*, proponitur iste casus. Homo quidam vulneratus est a Sacerdote, & subinde mortuus, dubium tamen est, an mors secuta fuerit ex vulnere.

2. In cap. *Significasti*, eodem tit. ubi proponitur similis fere casus de homine mortuo ex vulnere; sed dubium est, an vulnus illud a Sacerdote inflictum sit; quid facto est opus? Respondent Canones, abstinere debere Sacerdotem a sacris ministeriis, quia cum aliqua sit aspersus homicidii suspicione, dubium est, an forte irregularis evaserit. Unde tutius est, ut se a ministeriis altarium submoveat, quam ut iisdem temere se ingerat, & cum periculo peccati, quia *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*; & illam par-

partem potius eligere, *In qua nullum*, quam illam *In qua magnum periculum timeatur*. Idem colligitur ex can. *Si quis poſitus*. Diſt. 7. *De Pœnitentia*, ubi ex *S. Auguſt.* hæc referuntur: „ Vis ergo a dubio „ liberari? Vis, quod incertum eſt, evadere? Age pœ„ nitentiam, dum ſanus es „. Et Can. *Si quis autem*, eadem Diſt. *Ergo tene certum, dimitte incertum*.

3. In cap. *Illud*, Ext. *De Clerico excommunicato*, &c. quo deponi jubetur Epiſcopus, qui non abſtinuerit a ſacris miniſteriis in dubio juris, an ſententia lata a Delegato non præmiſſa monitione, & ante ſignificationem, liget; *Quia in dubiis via eſt tutior eligenda*.

4. In Clementina, *Exivi*, Tit. *De Verborum ſignificatione*, ſummus Pontifex, Fratribus minoribus rogantibus apoſtolicam Sedem, an ſub mortalis peccati periculo ad eorum obſervantiam teneantur, quæ in Regula *S. Franciſci* verbis imperativis exprimuntur, reſpondet: „ „ In his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda: *Idcoque* licet fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum, ſub præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur; expedit tamen ipſis fratribus ad obſervandam puritatem Regulæ, & rigorem, quod ad ea, ſicut ad æquipollentia, præceptis, ſe noverint obligatos, quæ inferius annotantur „ „. Ex quibus conſtat, Regulam illam juris canonici non eſſe merum conſilium, ſed præceptum, eamque non ſolius facti (ut quidam perperam interpretatur) ſed juris etiam quæſtiones ſpectare.

Confirmatur hæc Regula ex auctore Operis imperfecti in Evangelium *S. Matthæi*, inter Opera *S. Joan. Chryſoſtomi* editi, Hom. 44. „ „ Si veſtimentum empturus, *inquit*, unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; quando non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincere veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta; &

veriorem eligere pluſquam veſtimentum „„? Ex quibus conſtat, ſaniori ſemper, & tutiori doctrinæ ſtandum eſſe, eamque cæteris præponendam, quæ Regulis æternæ veritatis, Scripturæ ſacræ, Traditioni, ſacris Canonibus, & Eccleſiæ menti, communi Theologorum ſententiæ, magis conſona eſt.

Cardinalis Bellarmini prudens conſilium.

Hinc *Bellarminus* Cardinalis piiſſimus, & doctiſſimus in admonitione ad Epiſcopum Theanum nepotem ſuum ſcribit: „„ Si quis velit in tuto ſalutem ſuam colloçare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, cum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur „„.

Propoſitiones damnatæ.

Denique a pleriſque Galliarum Epiſcopis, & celeberrimis Academiis hæc Propoſitio reprobata eſt: „ Hæc Regula juris, *In Dubiis tutius eligendum*, „ perfectionis eſt, non obligationis; ſeu conſilii, non „ præcepti „. Et illa: „ Omnes opiniones probabiles „ ſunt per ſe æque tutæ, & ſecuræ; benigniores, etſi „ aliquando ſint minus probabiles per accidens, ſunt „ ſemper utiliores, & ſecuriores „.

Occupatur objectio.

Fruſtra vero quidam objiciunt celebrem illam juris civilis Regulam: *In dubiis tutior eſt conditio poſſidentis.* A pluribus autem annis comparatum eſſe jus poſſeſſionis circa delectum minus probabilis ſententiæ.

Reſpondetur enim huic objectioni: Primo, nullum jus comparari a poſſeſſione, quæ non eſt pacifica; hæc autem poſſeſſio, quam obtendunt effreni probabilitatis defenſores, pacifica non fuit, cum plurès Doctores interceſſerint.

Tutior ſententia

Reſpondetur ſecundo, illud Axioma in materia juſtitiæ commutativæ duntaxat, & in foro exteriori va-

valere; non in foro conſcientiæ, & in materia aliarum virtutum; quæ in hoc differunt a juſtitia commutativa, quod illæ nobis provideant; illa vero alienum jus procuret. Cum igitur nemo a ſua poſſeſſione ſe-ipſum dejiciat, aut ſibi ipſi litem intentet, jus iſtius poſſeſſionis inepte ad materiam aliarum virtutum traducitur. Longe quippe diverſæ ſunt utriuſque fori leges. Forum judiciale pœnam irrogat, quæ cum ex ſe odioſa ſit, dubia, ſi quæ emergunt, explicari debent in Rei favorem. At forum conſcientiæ reſpicit emendationem pœnitentis; unde ſi dubium ſubſit, debet ſequi tutiorem partem, & ſententiam faventem legi, non ſibi. Quæ reſponſio confirmatur ex cap. *Juvenis*, Ext. *De Sponſalibus*, cujus hæc ſunt verba: „„ Juvenis, qui puellam nondum ſeptennem duxit, quamvis ætas repugnet, ex humana tamen fragilitate forſan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus; tum propter honeſtatem Eccleſiæ, quia ipſa conjux ipſius fuiſſe dicitur; tum propter prædictam dubitationem; mandamus, quatenus conſobrinam ipſius puellæ, quam poſtmodum duxit, dividas ab eodem „„. Idem confirmatur ex cap. *Dominus*, Ext. *De ſecundis Nuptiis*, quo ſancitum eſt, mulierem de morte prioris conjugis dubitantem, non poſſe pergere in poſſeſſione debitum exigendi a ſecundo marito. Item ex cap. *Inquiſitioni*, Ext. *De ſententia Excommunicationis*, quo prohibetur conjugi de impedimento dirimente probabiliter dubitante, ne debitum exigat, non obſtante exigendi poſſeſſione. quando eligenda.

REGULA XVIII.

Tutiorem opinionem ſequi non tenemur, cum oppoſita ſententia verior, & probabilior eſt.

Tunc enim nullo modo verſamur in dubio, ſed propendemus in illam ſententiam, quam probabiliorem judicamus, & ſumus moraliter certi. Nam

Opinio, & præſumptio vehemens pro certitudine habenda eſt, ut colligitur ex cap. *Veniens*, Ext. *De Presbytero non baptizato*, & ex Canone *Dixit Dominus*, cauſa 32. qu. 1. & ex cap. *Aſſerte*, Ext. *De Præſumptionibus*.

Confirmatur ex cap. *Placet*, tit. *De Converſione conjugatorum*, quo hæc præponitur, & ſolvitur quæſtio. Mulier quædam credens mortuum maritum, religionis habitum ſumpſerat, eoque reverſo, de monaſterio educta fuerat. A ſummo Pontifice quæſitum eſt, an poſt obitum viri ad regularem obſervantiam compellenda eſſet. Reſpondit Pontifex: „„ Quod licet votum ejus uſquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare. Promiſit enim intrando monaſterium, ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius; redire vero ad ſeculum in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti; & ideo quantum ad ipſam tenuit votum; quod poſt viri obitum tenere non deſiit, cum ad eum caſum, a quo efficax poterat habere principium, perveniſſe noſcatur. Conſultius itaque *eſſe reſpondet*, *eidemque mulieri* congruentius ad ſalutem, ut ad monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem fecit, & habitum religionis. Si vero ad hoc induci non poterit, ipſam invitam non cogendam „„. Tutius erat, ut illa mulier ad monaſterium rediret, atque religioſe viveret; quia tamen probabilius erat votum ipſius irritum fuiſſe, quatenus mariti juribus repugnabat, utpote, quæ eſſet ſub poteſtate viri, cogi non poterat, ut ad monaſterium rediret. Tutiorem igitur opinionem ſequi non tenentur, cum oppoſita ſententia verior, & probabilior eſt.

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, part. 1. tit. 3. *De Conſcientia*, cap. 10. §. 19. „„ Eligere, *inquit*, viam tutiorem, conſilii eſt, non præcepti; alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in ſeculo. Non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via poteſt

teſt eligi tuta. Sicut enim diverſæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior alia ſit; ſic ad civitatem illam alius ſic, alius ſic vadit, & tute, licet aliquis tutiori modo „ „.

REGULA XIX.

Cum utraque opinio judicatur æque probabilis, tutior neceſſario eligenda eſt.

Qui enim judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles, vel quaſi æqualiter, non eſt certus moraliter de illarum veritate, ſed dubius. Siquidem opinari nihil aliud eſt, quam ex probabilibus conjecturis credere, ſeu judicare rem veram eſſe, illique aſſentiri, non quidem adhæſione firmiſſima, & certiſſima, ſed cum formidine partis oppoſitæ; id eſt, formidando, ne pars oppoſita vera ſit. Unde *S. Bernardus*, lib 5. *De Conſideratione*, cap. 2. ait: „ „ Opinio certi nihil habens, verum per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit... Multi ſuam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio poteſt putari intellectus, intellectus opinio non poteſt. Unde hoc accidit? Profecto quia hæc falli poteſt, ille non poteſt; aut ſi falli potuit, intellectus non fuit, ſed opinio; verus enim intellectus certam habet non modo veritatem, ſed notitiam veritatis... Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias „ „. Cum igitur homo, qui dubius eſt in quæſtione mores ſpectante, in qua ſalutis periculum vertitur, tutiorem opinionem ſequi teneatur ex præcepto; recte colligitur, in ea hypotheſi, qua utraque opinio judicatur æque probabilis, tutiorem eſſe neceſſario eligendam.

Quod autem inter opiniones æque probabiles animus anceps fluctuet, dubiaque ſit, & perplexa ſententia, conſtat ex can. *Nervi*, diſt. 13. deſumpto ex *S. Gregorio* lib. 32. *Moralium*, cap. 18. 19. & 20. verba illa *Job* explicante: *Nervi teſticulorum Leviathan*

than perplexi ſunt. Perplexitatem enim illam ex diaboli malis artibus oriri docet: „„ Quia ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inventis illigantur, ut pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe fugere peccatum appetant, hoc ſine aliquo peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam ſe ab una valeant ſolvere, niſi in alia conſentiant ſe ligari „„. Quod diverſis exemplis animi contrariis opinionibus agitati, & in utramque partem impulſi probat: „„ Ecce quidam, *inquit*, dum mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri ſimilem ſibi vitam ducenti, quod ſecreta illius omni ſilentio contegat, ſe jurejurando conſtringit. Sed is, cui juratum eſt, adulterium perpetrare cognoſcitur; ita ut etiam maritum adultera occidere conetur; is autem, qui jusjurandum præbuit, ad mentem revertitur, & diverſis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc ſilere formidat, ne ſilentio adulterii ſimul, & homicidii particeps fiat, & prodere trepidat, ne reatu ſe perjurii obſtringat. Perplexis ergo teſticulorum nervis ligatus eſt, quia in quamlibet partem declinet, metuit, ne a tranſgreſſionis contagione liber non ſit... Alius cuncta, quæ mundi ſunt, deſerens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno ſe ſubdere regimini appetit; ſed eum, qui ſibi præeſſe apud Deum debeat, minus cauta inquiſitione diſcernit; cui fortaſſe is, qui ſine judicio eligitur, cum præeſſe jam cœperit, agere, quæ Dei ſunt, prohibet; quæ mundi ſunt, jubet. Penſans itaque ſubditus, vel quæ ſit culpa inobedientiæ, vel quod contagium ſecularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat, ne aut obediens Deum in ſuis præceptis deſerat, aut rurſus non obediens, Deum in electo Priore contemnat... Alius penſare pondus honoris eccleſiaſtici negligens, ad locum regiminis præmiis aſcendit. Sed quia omne, quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur, dolet-

doletque ſe ad laborem culpa perveniſſe, & quam ſit iniquum, quod admiſerit, ex ipſa fractus difficultate cognoſcit. Reum igitur ſe cum impenſis præmiis agnoſcens, vult adeptæ ſublimitatis locum deſere, ſed timet, ne gravius delictum ſit ſuſcepti gregis cuſtodiam reliquiſſe; vult ſuſcepti gregis curam relinquere; ſed formidat, né deterior culpa ſit, regimina paſtoralis gratiæ empta poſſidere. Per honoris ergo ambitum, ligatum culpa hinc inde ſe conſpicit. Eſſe quippe ſine reatu criminis neutrum videt, ſi aut ſuſceptus ſemel grex relinquatur; aut rurſum ſacra actio ſeculariter empta teneatur. Undique metuit, & ſuſpectus latus omne pertimeſcit; ne aut ſtans in empto regimine non digne lugeat, quod non etiam deſerens emendat; aut certe regimen deſerens, dum aliud flere nititur, rurſus aliud de ipſa gregis deſtitutione committat „ „. Adeo verum eſt, eum, qui variis opinionibus agitatur, & per rationes utrimque probabiles, aut veriſimiles in utramque partem impellitur, dubium eſſe, atque perplexum.

Idem probatur ex cap. *Fraternitatis*, Ext. *De frigidis, & Maleficiatis.* Lata fuerat ſententia ſeparationis thori ex errore probabili, ut conſtat ex his verbis: *Sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus eſſe prolatam.* Et tamen *Innocentius III.* Pontifex maximus ait, rem tunc temporis fuiſſe dubiam: *Quamdiu*, inquit, *articulus iſte dubitabilis erat.*

Idem colligitur ex cap. *Illud*, tit. *De Præſumptionibus*, ubi in quæſt. utrum inter liberam, & ſervum fuiſſe contractum matrimonium, necne, expenduntur rationes pro utraque parte probabiles; & tamen res dubia æſtimatur, ut patet ex his verbis: *In hujuſmodi dubitatione.*

Idem colligitur ex cap. *Veniens*, Ext. *De Presbytero baptizato.* Quæſtio erat, an ordinatus ante Baptiſmum recepiſſet Ordinis caracterem. Pro parte negante hæc afferebatur ratio; quod cum Baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum, ante illius ſuſceptionem nullum aliud Sacramentum recipiatur.

Pars

Pars affirmans hac ratione nitebatur, quod non ſolum per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti, homo Chriſti membrum fiat; & qui Chriſtum habet in corde per fidem, habeat fundamentum; quod eſt Chriſtus Jeſus. Utraque pars probabilis erat; & tamen ſummus Pontifex reſpondit: „ „ In hoc dubitabili caſu; quod tutius eſt ſequentes, mandamus; quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures „ „. Conſtat ergo ex eo capite, quæſtionem effici dubiam ex probabilium opinionum, & rationum conflictu, & in eo dubio non utramlibet opinionem probabilem, ſed tutiorem tantum eſſe eligendam.

REGULA XX.

Cum ex duabus opinionibus oppoſitis, æque probabilibus, certum, & exploratum non eſt, quæ ſit tutior, ſervandæ ſunt Regulæ a jure præſcriptæ.

Tutior ſententia quando eligenda.

Quaſdam enim Regulas jus præſcribit, quas in dubiis ſequi oportet, quæ habentur tit. *De Regulis jur s; de rebus dubiis, de Legibus;* & alibi paſſim, quales ſunt: *In dubio judicandum, ut actus valeat potius quam pereat.* (L. *Quoties*, & L. 2. ff. *de rebus dubiis.*) Item: *In dubiis id ſequendum, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur.* (L. *Semper in ſtipulationibus*, ff. *De Regulis juris*) Et: *Minime mutanda ſunt, quæ certam ſententiam ſemper habuerunt.* (L. *Minime*, ff. *De Legibus.*) Item: *Ubi contrariæ extant ſententiæ, pronuntiandum eſt pro poſſeſſore.* (L. *Res alienas*, C. *De Rei vindicatione.*) Et potius pro reo quam pro actore, niſi *In cauſa favorabili* (ut loquuntur) ut *Matrimonii, libertatis, dotis, teſtamenti*, ut legitur, cap. *Duobus*, Ext. *De Sententia, & re judicata.* Hinc verſus illi apud juriſconſultos vulgati:

Stat teſtamentum, libertas, conjugium, dos:
Si ſint æquales, qui producuntur utrinque.

Alias ubi ſunt opiniones diſcordes, Judex tenetur ſequi communem, ut colligitur cap. *Novimus*, tit.

De

De verborum Significatione, & Can. *De judiciis.* Cauſa 3. qu 3. Can. *In Canonicis*, diſt. 19. & L. 1. *De Officio Quæſtoris.* Rurſus, in dubiis præferendum quod *Benignius* eſt, quod *veriſimilius*, *quod plerumque fieri ſolet*, ut colligitur ex L. *Semper in dubiis*; ex L. *In obſcuris*, & L. *Quoties idem*, ff. *De Regulis juris.*

REGULA XXI.

In moralium Quæſtionum ſolutione maxima ſacrorum Canonum habenda eſt ratio.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Ita docent *Julius I.* Epiſt. 1. ad Orientales: „ „ Nolite errare, Fratres mei dilectiſſimi, doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. En inſtituta Apoſtolorum, & apoſtolicorum virorum, Canoneſque habetis. His fruimini, his circumdamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valeatis „ „.

Cæleſtinus I. Pontifex maximus, Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici: „ Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur; ſimus ſubjecti Canonibus, cum „ Canonum præcepta ſervamus „.

Leo IV. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Britanniæ, cap. 6. „ „ De Libellis, *inquit*, & Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & ſanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium Regulas, id eſt, quæ habentur apud nos ſimul cum illis in Canone, & quibus in omnibus eccleſialticis judiciis; id eſt, Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium; & cum illis Regulæ Prælulum romanorum, Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Iſti omnino ſunt, per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul, & Clerici judicantur. Nam ſi tale emerſerit, vel contigerit inulitatum negotium, quod minime poſſet per iſtos finiri, tunc ſi illorum, quorum meminiſtis, dicta

Hie-

Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, vel cæterorum ſimiliter ſanctorum Doctorum ſimilium reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda, ac promulganda; vel ad apoſtolicam Sedem referatur de talibus. Quam ob cauſam luculentius, & magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa SS. Patrum Statuta, quæ apud nos Canones prætitulantur, ſive ſit Epiſcopus, ſive Clericus, ſive Laicus, non indifferenter receperit, ipſe convincit, nec catholicam, & apoſtolicam fidem, nec ſancta vera Chriſti Evangelia quatuor utiliter, & efficaciter, & ad effectum ſuum, retinere, vel credere „„.

Ante *Leonem IV.* ſeptima Synodus oecumenica, Can. 1. „„ His, qui ſacram ſortiti ſunt dignitatem, teſtimonia, & directiones canonicarum præceptionum formæ conſiſtunt. Quas libenter ſuſcipientes, cum deiloquo David canimus ad Dominum: *In* Pſalm. 118. *via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Et mandaſti juſtitiam teſtimonia tua in æternum...* His ita ſe habentibus, exultantes in eis, ſicut qui invenit ſpolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus; tam ſcilicet illorum, qui ab almis Apoſtolis ſancti Spiritus tubis editi ſunt, quam eorum, qui a ſex ſanctis, & univerſalibus Synodis, atque his Conciliis, quæ localiter collecta ſunt, in expoſitionem hujuſmodi Decretorum promulgati ſunt; necnon & eorum, qui a ſanctis Patribus noſtris prolati fuiſſe probantur. Ab uno enim eodemque Spiritu illuſtrati, definierunt, quæ expediunt „„. Confert cum Trullanæ Synodi Canone 2.

Canon *Violatores*, ſub *Damaſi* Papæ nomine prolatus, cauſa 25. qu. 1. „„ Violatores, *inquiunt*, Canonum voluntarii graviter a ſanctis Patribus judicantur; & a ſancto Spiritu, inſtinctu cujus, ac dono dictati ſunt, damnantur; quoniam blaſphemare Spiritum ſanctum non incongrue videntur, qui contra eoſdem ſacros Canones non neceſſitate compulſi,

ſed

ſed libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſte unum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum; quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia ſancti Canones conditi ſunt „„.

REGULA XXII.

Sacroſancti Canones qualibet deſuetudine abrogari non poſſunt univerſi, & ſinguli.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Qui enim juris naturalis, & divini aliquid admixtum habent, ſemper, & immobiliter obligant; ut docet *S. Thom.* quodlibeto 9. art. 17. ubi loquens de Canonibus plurium præbendarum, ſive beneficiorum poſſeſſionem prohibentibus, ait: „„ Quantum ad hoc, quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non poſſunt per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod ſolum de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata, præcipue ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare, intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare „„. Ita autem ſe res habet, ut pleræque Eccleſiæ leges, quæ ad mores pertinent, non novum aliquod jus inveſtant, ſed jus tantum naturale, & divinum, præſcriptamque in Evangelio vitæ inſtitutionem interpretentur, firment, & ad particulares cauſas applicent. Sic, exempli gratia, canonicæ pœnitentiæ pro variis criminum generibus præſcriptæ, tametſi modum ſuum ex ſola Eccleſiæ inſtitutione repetant, ex divina inſtitutione eatenus pendent, quatenus Sacramentum pœnitentiæ Chriſtus inſtituit, ut per illud non ita facile, ac per Baptiſmum, ſed multis laboribus, & congruis ſatisfactionibus gravia peccata expientur. Itaque licet in hoc mutari poſſit Eccleſiæ diſciplina, ut modo graviores, modo remiſſiores pœnæ peccatis infligantur; effici tamen non poteſt, quin pœnitentia laborioſus ſit Baptiſmus; quin pro-

Quæ facta ne unquam abrogentur.

modo criminum congruæ pœnitentiæ imponendæ a Sacerdotibus, a pœnitentibus obeundæ ſint. Nunquam ergo ulla deſuetudine abrogari poterit illa Conc. Trident. ſanctio ſeſſ. 14. cap. 8. „„ Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur „„. Similiter quamvis ſimonia, ambitus, concurſationes ad obtinenda beneficia, lucri ex mutuo captatio paſſim tolerarentur, perpetuo tamen vivet illorum Canonum auctoritas, quibus iſta damnantur, & debitis pœnis afficiuntur. Non igitur, ut quæque Eccleſiæ lex incuria hominum in deſuetudinem abiit, continuo prorſus extincta cenſenda eſt. Vivit enim adhuc, quidquid in ea divini, ac naturalis eſt juris.

Qua ratione abrogentur.

Quod vero in ſacris Canonibus poſitivi juris eſt, ſola etiam deſuetudine, aut conſuetudine contraria non abrogatur, ſi deſuetudo illa ſit recens, nec ab Eccleſia tolerata, ſi contraria illa conſuetudo non ſit præſcripta; ſi Eccleſia abuſum Canonibus contrarium plectat, quoties ad ipſam defertur. Hinc Pariſienſe Concilium 6. cap. 1. „„ Quorumdam, *inquit*, perverſiſſimæ conſuetudines, propriæque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculoſum eſt, efficiunt, ut opera fidei magna ex parte negligantur. Qui dum legis divinæ tranſgreſſores exiſtunt, eaſdem conſuetudines ſibi legem faciunt, & ſecundum eas ſe vivere abſque ſui diſcrimine & poſſe, & debere contendunt, ſua quærentes, non quæ Jeſu Chriſti. Quod quantum auctoritati divinæ contrarium ſit, aut non advertunt, aut certe animadvertere detrectant. Quantum etiam ob hoc religio chriſtiana in eis periclitetur, facile, qui ſapit, advertit. Quapropter unuſquiſque fidelis, ſi ſalvus eſſe vult, oportet, ut remotis perverſis conſuetudinibus, quæ

peri-

periculum animarum generant, fidem Chriſti, quam percepit, bonis operibus exornare non negligat „ „.

Et Concilium Sueſſionenſe 3. „ „ Mala, *inquit*, conſuetudo, quæ non minus quam perniciosa corruptela vitanda eſt, niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur; & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumptiones celerrime non compreſſæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari „ „. Abuſus igitur adverſus Canones invaleſcens improbe, & ab improbis tantum jus putatur; a probis autem corruptelæ, prævaricationis, præſumptionis loco habetur, præſertim ſi legis utilitas, ac ratio maneat; tunc enim, ſecundum *S. Thomam*, 1. 2. quæſt. 97. art. 1. conſuetudini ſemper præponenda eſt. „ „ Si, *inquit*, maneat ratio eadem, propter quam lex primo utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit „ „.

REGULA XXIII.

Si gravis aliqua quæſtio emergat circa morum diſciplinam, quæ ob ſui novitatem, obſcuritatem, difficultatem, ſolvi a Theologis non poſſit, roganda eſt Epiſcoporum, præſertimque Romani Pontificis ſententia.

Epiſcoporum vel Romani Pontificis ſententia aliquando roganda in quæſtionibus morum difficilibus, vel ambiguis.

Nititur hæc Regula verbis *Deuteronomii*, cap. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, & judicum inter portas videris verba variari... venies ad Sacerdotes, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Ex quo loco *Innocent. III.* cap. *Per venerabilem*, Ext. *Qui filii ſint legitimi*, probat, ad judicium Sedis apoſtolicæ in cauſis, & quæſtionibus difficilibus, vel ambiguis eſſe recurrendum; cujus ſententiam, qui ſuperbiens contempſe-

rit obſervare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationem, velut mortuus a Communione Fidelium ſeparari.

Hinc antiqua conſuetudo Concilia provincialia bis in anno celebrandi, ſecundum Nicænos Canones, in quibus Conciliis nihil ante proponeretur, quam „ Ea, quæ ad emendationem vitæ, ad ſeveri„ tatem regulæ, ad animæ remedia pertinebant, „ finirentur „ (ut loquitur Concilium Arvernenſe I. Canone 1.)

Hinc etiam ſolemnis conſuetudo ab antiquis temporibus in Eccleſia ſemper obſervata, ut in cauſis majoribus, & difficilibus, ſeu Fidem, ſeu morum diſciplinam ſpectantibus, Sedis apoſtolicæ ſententia rogaretur, ejuſque reſponſum inſtar legis haberetur. Cujus conſuetudinis teſtis eſt *Innocentius I.* Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum. „„ Conſulenti tibi, Frater chariſſime, quid de propoſita ſpecie unaquaque ſentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ ſunt viſa reſpondi, quod ſequendum, vel docilis ratio perſuaderet, vel auctoritas lectionis oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret; & quidem dilectio tua inſtitutum ſecuta prudentium ad Sedem apoſtolicam referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, potius quam uſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur de ſingulis, obtinere „„.

Et Ep. 4. ad *Felicem* Nucerianum Epiſcopum: „„ Mirari non poſſumus dilectionem tuam ſequi inſtituta Majorum, omniaque, quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput, atque ad apicem Epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet Sedes apoſtolica ex ipſis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod & nos libenter accipimus, & dilectionem tuam memorem Canonum approbamus „„.

Teſtis *S. Leo* Epiſt. 82. alias 91. ad *Theodorum* Forojulienſem Epiſcopum: „„ Solicitudinis quidem tuæ, *inquit*, hic ordo eſſe debuerat, ut cum Metropolitano

tano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres; ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter poscereris; quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet inquiri. Sed ut quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu ecclesiastica habeat Regula, non tacebo „„. Sic *Rusticus* Narbonensis Episcopus eundem sanctum Pontificem variis de quæstionibus disciplinam spectantibus per literas interrogavit, ejusque responsa Regularum instar suscepit. Sic ad *Innocentium I. Victricius* Rothomagensis Episcopus; sic ad *Stricium Himerius* Tarraconensis, dubia disciplinæ capita retulerant. Sic rursus *Nicetas* Aquilejensis ad *S. Leonem*, cui respondit sanctus Pontifex Epist. 129. alias 79. „„ Regressus, *inquit*, ad nos filius meus Adeodatus Diaconus Sedis nostræ, dilectionem tuam poposcisse memoravit, ut de his a nobis auctoritatem apostolicæ Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videtur adferre „„.

Testis *Pelagius II.* Epist. 8. relata Can. *Multis* dist. 17. „ Majores, & difficiles quæstiones, *inquit*, ut „ Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad „ Sedem apostolicam semper referantur „.

Testis *Alexander III.* cap. *Sicut*, Ext. *De Rescriptis*, Archiepiscopi Senonensis consultationi respondens: „„ Sicut, *inquit*, romana Ecclesia omnium, disponente Domino, Mater est, & Magistra, ita & nos, qui eidem Ecclesiæ, licet immeriti, supernæ dispositionis providentia præsidemus, prout Dominus nobis ministraverit, consultationibus respondere cogimur singulorum; & quæ sunt dubia, apostolicæ circumspectionis providentia declarare „„.

Juris denique canonici pars maxima constat romanorum Pontificum responsis ad quæstiones difficiles, quas orbis totius christiani Episcopi ad Sedem apostolicam referebant.

REGULA XXIV.

Cum Scripturæ ſacræ, Patrum, ſacrorum Canonum auctoritate quæſtiones morales ſolvi non poſſunt; ea ſequenda eſt opinio, quæ melioribus rationibus nititur, & a Theologis numero, doctrina, pietate præſtantioribus aſſeritur.

De probabilium opinionum uſu.

Nam, ut ait *S. Auguſt.* lib. 3. *Contra Academicos*, c. 20. „ „ Nulli dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum, auctoritatis, atque rationis. Mihi autem certum eſt, nuſquam prorſus a Chriſti auctoritate diſcedere; non enim reperio valentiorem „ „ Quod autem ei potius adhærendum ſit ſententiæ, quam plures, doctiores, ſanctioreſque Theologi ſequuntur, colligitur a pari ex Can. *In Canonicis*, diſt. 19. qui ex *S. Auguſtino* lib. 2. *De Doctrina chriſtiana* ſumptus eſt. „ „ In Canonicis, *inquit*, Scripturis Eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſane illas ſint, quæ apoſtolicas Sedes habere, & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt; in eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioreſque accipiunt, eis, quas pauciores, minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto „ „.

Et infra; „ „ In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima obſervatio eſt, noſſe iſtos libros; deinde quæ in eis, aperte poſita ſunt vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertius, diligentiuſque inveſtiganda ſunt, quæ quanto quiſque plura invenit, tanto eſt intelligentia capacior. In iis enim, quæ in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi „ „. Non modo igitur in fidei, ſed etiam in

morum

morum controverſiis probabilior opinio ſequenda eſt; & cum Scripturæ ſacræ, SS. Patrum, ſacrorum Canonum auctoritas expreſſa illas non dirimit, ea ſequenda eſt ſententia, quæ melioribus rationibus nititur, & legi Dei convenientior aſſeritur a Theologis numero, doctrina, pietate præſtantioribus.

Quæ vera probabilis opinio.

Eadem Regula confirmatur ex probabilitatis notione ab Ariſtotele tradita in Topicis: „ Probabilia, „ *inquit*, ea ſunt, quæ omnibus videntur, aut plu„ rimis, aut certe ſapientibus; iiſque rurſum aut om„ nibus, aut pluribus, aut præſtantioribus „. Hinc *Theodoſius* Imperator edixit, *ut* „„ Ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat auctorum; vel ſi numerus æqualis ſit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut ſingulos vincit, ita cœpit duobus. „„. Refert *Baronius* ad annum 345. Magis tamen ponderandas rationes, quam numerandos auctores, qui ſæpe more pecudum ſequuntur antecedentem gregem, euntes non quo eundum eſt, ſed quo itur, colligitur ex inſtitutionibus *Juſtiniani* lib. 3. tit. 24. „„ Sed Proculi ſententia, *inquit*, dicentis permutationem eſſe propriam ſpeciem contractus a venditione ſeparatam, merito prævaluit; cum & ipſe aliis Homericis verſibus adjuvabatur, & validioribus rationibus argumentabatur „„ Et L. 1. §. *Sed neque C. De veteri jure enucleando*, idem *Juſtinianus* ait: „„ Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, aut æquius eſt, judicatote, eum poſſit unius forſan & deterioris ſententia, & multos, & majores aliqua in parte ſuperare „„. Hinc cap. *Cum in cunctis*, Ext. *De iis, quæ fiunt a majore parte capituli*, quod ex Concilio Lateranenſi 3. ſub *Alexandro III.* cap. 16. ſumptum eſt, decernitur: „„ Ut niſi a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & oſtenſum, appellatione remota prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum; quod a majori, & ſaniori parte capituli fuerit conſtitutum „„. Et Can. *Sana*, diſt. 9. dicitur: „ Sana quip-

Ponderandæ magis rationes, quam numerandi auctores.

„ pe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui qui„ dem & exempla concordant; ſed illa, quæ tanto „ digniora ſunt imitatione, quanto excellentiora pie„ tate „. Quod ex *S. Auguſt.* lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 23. ſumptum eſt. Quamobrem communis opinio, tunc ſolum ſequenda eſt, quando firmioribus nititur argumentis. Ratio eſt, quia communis opinio ad ſummum vim habet conſuetudinis; at conſuetudo rationem non vincit. Denique hanc Regulam ſervant tam Rota romana, quæ communem opinionem non ſequitur, quando exploratum eſt contrariam eſſe veriorem, & firmioribus rationibus fultam, quam ſacra Congregatio Concilii, quæ propterea in caſibus emergentibus ſæpius mandavit, ut expenderetur opinio communis, referente *Fagnano*, in 1. decretal. in cap. *Ne innitaris*, tit. *De Conſtitutionibus*, num. 347.

REGULA XXV.

Non licet medico in medicinæ praxi minus probabilem opinionem ſequi, præbendo medicamenta, quæ probabilius nocitura ſunt ægroto, quam profutura.

An liceat medicis opinionem minus probabilem in praxi ſequi.

Ita Innocentius IV. Joannes Andreas, & alii in cap. *Tua nos*, Ext. *De Homicidio*. Ille enim homicida eſſet, juxta Canonem *Abſit*, diſt. 1. *Hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum volumus, occidere*. Quamquam enim non eſt in medico, ut ſemper relevetur æger, tamen nihil debet omittere, ut, quantum in ipſo eſt, ſanitatem procuret. Ut enim ait *Boetius*, lib. de Trinitate: „„ Neque enim, *inquit*, medicus ſemper ægris affert ſanitatem, ſed nulla culpa erit medentis, ſi nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiſerit „„. Quod niſi præſtet, officio ſuo deeſt, adeoque peccat non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam. Hinc L. *Illicitas*, §. *Sicuti*, tit. *De Officio Præſidis*, lib. 1. Digeſt. „„. Sicut medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam

ritiam commisit, imputari ei debet. Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet „ „. Et L. *Idem juris*, ff. Ad *Legem aquiliam*, lib. 9. Digest. *Idem juris est, si medicamento perperam usus fuerit.* Et L. *Medicus*, ff. *De variis, & extraordin. cognitionibus*, lib. 1. Digest. „ „ Si medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum, per adversa medicamenta inferendo, compulit, ut ei possessiones suas contra hdem bonam æger venderet; incivile factum Præses provinciæ coerceat, remque restitui jubeat „ „.

REGULA XXVI.

Non licet judici minus probabilem opinionem sequi, posthabita probabiliori; ac ferre sententiam in favorem partis, pro qua militent levioris momenti rationes, adversus illam, pro qua validiores proferuntur.

An liceat Judicibus minus probabilem opinionem sequi.

Sententia enim judicium intellectus sequi debet, quod minime fieri potest in illam partem, pro qua militant levioris momenti rationes. Quamobrem si feratur pro parte debiliori, fertur contra judicium rationis, adeoque iniqua est. Secundo, talis sententia est contra *Potiora jura* alterius ex litigatoribus, & ideo injusta, ut colligitur ex L. *Edicto*, C. *De Edicto D. Adriani tollendo.* Tertio, cum Judex sit Dei minister in terris, necesse est, ut ipsius judicium *prodeat de vultu Dei*, qui est *via, veritas, & vita.* Quamobrem judicium unum cum veritate conformare debet, & ipsam totis studiis juvare, & ad lucem perducere. Item debet sequi legum, & justitiæ vestigia, non exemplis, aut præjudiciis niti, ut constat ex L. *Nemo*, C. *de Sententiis, & Interlocut. omnium Judicum*, cujus hæc sunt verba: „ „ Nemo Judex, vel arbiter existimet neque consultationes, quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum, & multo magis sententias eminentissimorum Præfe-

ctorum, vel aliorum procerum. (Non enim ſi quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum Judicum vitium extendi oportet, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit:)... Sed omnes Judices noſtros veritatem, & legem, & juſtitiæ ſequi veſtigia ſancimus „ „.

Confirmatur ex Can. *Judicantem*, cauſa 30. qu. 5. cujus hæc ſunt verba: „ „ Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquiſitione diſcutere, interrogandi, reſpondendi, objiciendique prabita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata ſit pleniter: nec litigantibus Judex prius velit ſua ſententia obviare, niſi quando ipſi jam peractis omnibus nihil habeant in quæſtione, quod proponant; & tamdiu actio ventiletur, quouſque ad rei veritatem perveniatur „ „.

Accedit, quod Judex unicuique jus ſuum reddere teneatur ſecundum cauſæ merita, & neminem lædere, maxime cum ſit a Rege, aut a republica conſtitutus ad lites dirimendas, ſecundum quod ei melius videbitur. Denique perſonarum acceptio juſtitiæ repugnat; eſſet autem acceptio perſonarum manifeſta, ſi ferret ſententiam Judex in gratiam partis, pro qua militant levioris momenti rationes, adverſus illam, pro qua validiores proferuntur. Hinc *S. Ambroſius* Serm. 20. in Pſal. 107. num. 36. „ „ Bonus judex, *inquit*, nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed juxta leges, & jura pronuntiat, ſcitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum, & meditatum domo defert; ſed ſicut audit, ita judicat; & ſicut ſe habet negotii natura, decernit. Obſequitur legibus, non adverſatur; examinat cauſæ merita, non mutat. *Et num.* 39. Audite, quid verus Judex
Joan. 5. loquatur: *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Quaſi homo loquitur, quaſi judex docet; quoniam, qui judicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere, quod legum eſt. Conſtitue judicem de hoc ſeculo; nunquid poteſt

teſt adverſum imperialis formam venire reſcripti? Nunquid poteſt normam auguſtæ definitionis excedere? Quanto magis divini formam debemus ſervare judicii? Chriſtus dicit: *Non quæro voluntatem meam*; hoc eſt, hominis, quæ vel odio dirigitur, vel ſtudio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum mendacio depravatur; *Omnis* enim *homo mendax*, *ſed voluntatem*, inquit, *ejus, qui miſit me*; hoc eſt, divinæ cognitionis formam veni docere; ut in judicando magis cordi ſit veritatis cuſtodia, quam obedientia voluntatis „ „. Hinc *Nicolaus I.* Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi reſpondens, ut refertur Can. *Neceſſe*, cauſa 3. qu. 9. ait: „ „ Neceſſe eſt ſecundum ſacrarum Scripturarum documenta, ac ſecundum juſtitiæ tramitem, & accuſatum, & accuſatorem ſimul adeſſe; & unam partem quantacunque & qualicunque prædita ſit auctoritate, ſic prorſus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur „ „. Merito itaque damnata eſt inter alias hæc propoſitio ab *Alexandro VII.* Pontifice maximo: „ Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque „ probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ſe„renda ſententia in favorem unius præ alio „. Et *Innocentius XI.* hanc etiam inter alias damnavit: „ Pro„ babiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opi„ nionem etiam minus probabilem „.

Propoſitiones damnatæ.

REGULA XXVII.

Princeps, & reſpublica minus probabilem opinionem licite ſequi non poſſunt in bello indicendo.

In eo enim caſu funguntur officio judicis, ut vel publicam vindicent injuriam, vel bona recuperent, in quæ jus obtendunt; ſicut ergo non licet judici minus probabilem opinionem ſequi in ferendo judicio; ita nec Principi, aut reipublicæ in bello indicendo, ac gerendo. Præterea, cum in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, iniquum eſt, ut Rex, qui pacifice regnum, aut ditionem aliquam poſſidet, in pari-

An minus probabilem opinionem in bello indicendo ſequi liceat.

paritate opinionum utrimque probabilium, & longe magis, ſi jus ipſius probabilioribus momentis nitatur, ex ſua poſſeſſione vi dejiciatur.

REGULA XXVIII.

In Sacramentorum adminiſtratione ſequi non licet minus probabilem opinionem relicta probabiliori.

De opinione minus probabili in Sacramentorum adminiſtratione non ſequenda.

Miniſter namque ſe exponeret periculo irritum faciendi Sacramentum. In re vero tanti momenti exponere ſe periculo errandi, graviſſimum peccatum eſt. Non ſolum enim contra charitatem, ſed maxime contra reverentiam Sacramento debitam peccatur. Unde hæc Propoſitio ab *Innoc. XI.* Pontifice maximo inter alias damnata eſt: „„ Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis „„.

Propoſitio damnata.

REGULA XXIX.

In adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ non licet Sacerdoti minus probabilem opinionem ſequi relicta probabiliore, & tutiore: nec tenetur judicium ſuum accommodare opinioni minus probabili pœnitentis: imo graviter peccaret, ac miniſterium ſuum proderet, ſi abſolveret pœnitentem minus probabilem opinionem ſecutum, & in ea perſeverantem.

Sacerdos enim pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrans, judex eſt, & ſacramentalis Abſolutio eſt *Actus judicialis*, ut a Trid. Synodo definitum eſt; & ad Sacerdotem pœnitentiæ miniſtrum ſpectat diſcernere inter lepram, & lepram, & pœnitentem ſolvere, vel ligare, eique pro modo culpæ pœnitentiam injungere. Judex autem probabiliorem opinionem ſequi tenetur. At ſi accommodare ſe deberet

Sect. 14. c. 6.

ſen-

ſententiæ pœnitentis, & abſolvere minus probabilem opinionem ſecutum, non fungeretur amplius judicis officio; ſed pœnitens ipſe conſcientiæ ſuæ judex eſſet in pœnitentiæ tribunali; & eligeret pro arbitrio ſuo ſententiam ligantem, vel ſolventem. Nam cum Sacerdos judicat eſſe reſtituendum, negotiationem dimittendam, votum adimplendum, occaſionem peccati relinquendam, aut quid ſimile, ſtatim objiciet pœnitens, favere ſibi opinionem probabilem, ſecundum quam id præſtare minime tenetur. Unde in foro animæ judex non errans ſequi cogetur errantis rei judicium, non reus judicium Sacerdotis; & in terra ſolvere, quem ligatum novit in cœlo, (quod abſurdum eſt.) Et pœnitens propterea erit Abſolutione indignus, quia præter peccati maculam habet etiam erroris contumaciam, & peccandi propoſitum cum iſto ſemper errore conjunctum; quod rurſus abſurdum.

Præterea, medicus opinionem minus probabilem, relicta probabiliore ſecutus, graviter peccat; nec ſe accommodare tuta conſcientia poteſt opinioni infirmi volentis uti remedio probabilius nocituro, quam profuturo. Sacerdos porro miniſter pœnitentiæ medicus eſt ſpiritualis animæ, ſecundum illud S. Gregorii Nazianzeni: „ Divinæ animarum medicinæ nos „ miniſtri, & adjutores ſumus, quicunque aliis præ„ ſidemus „. Ipſi ergo non licet minus probabilem opinionem ſequi; nec tenetur judicium ſuum accommodare opinioni minus probabili pœnitentis; cum ſalutis animæ major habenda ſit cura, quam ſalutis corporis; adeoque magis ſit reus, qui occidit animam indulgendo cupiditati peccatoris, quam qui occidit corpus indulgendo voluntati ægroti. Siquidem mors æterna longe magis timenda eſt, quam temporalis, dicente Chriſto Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

REGULA XXX.

Non licet Theologo consilium dare secundum opinionem, quæ ipsi minus probabilis, minusque tuta videtur.

An consilium dare liceat secundum opinionem minus probabilem.

Peccaret enim contra charitatem, & concupiscentiæ faveret contra legem Dei. Unde sicut illicitum est in rebus temporalibus, ubi vel de vita tuenda, vel de bonis fortunæ agitur, præbere proximo consilium ipsius sanitati, aut rebus probabilius nociturum, quam profuturum; ita, & multo magis illicitum est Theologo in rebus animæ, & salutis æternæ, consilium dare secundum opinionem minus probabilem, minusque tutam. A quo enim petitur consilium? A Theologo, ab animarum rectore, qui Christi hac in parte personam gerit; quia *Magister noster unus est Christus.* Qui loqui cum hominibus debet: *Tanquam Deo per ipsum exhortante, & per exhortationem, quæ exhortatur & ipse a Deo*, ut loquitur S. Paulus. Cui unus esse scopus debet, ut homines a noxiis cupiditatibus abstrahat: *Ne configurentur prioribus ignorantiæ suæ desideriis; sed vivant secundum eum, qui vocavit eos, Sanctum; & ipsi in omni conversatione sancti sint*, ut ait S. Petrus; unum lumen Verbum divinum: *Cui attendere debet tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*, ut ait idem Apostolus; una fiducia in summo Pastore, cui rationem villicationis suæ redditurus est, nisi possit cum S. Paulo dicere: *Non subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Quis petit consilium? Christianus: *Jam non sibi vivens, sed ei, qui pro ipso mortuus est*: qui *carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigere* debet; qui Pastoris sui Christi vocem audire unice vult, & non alieni; qui unius Christi vestigiis debet insistere, & *sicut ille ambulavit, ita ambulare*: Qui unam cupit inire *Viam, arctam* illam scilicet, quæ *ducit ad vitam*: qui *Non ea, quæ videntur contemplari* debet, *sed quæ non videntur.* Denique qui *imprudens* esse non vult, sed intelligere, *quæ sit voluntas Dei*, ut ei suam

Matth. 23. 10.
2. Cor. 5.
1. Petr. 1.
Act. 20.
2. Cor. 5.
Gal. 5.
1. Joan. 2.
Matth. 7.
2. Cor. 4.

volun-

voluntatem accommodet. His vero Theologi, & hominis chriſtiani dotibus repugnat, ut ex opinione minus probabili, & minus tuta conſilium detur; maxime cum agatur illius, qui conſulit, æterna ſalus, quem pravum forte conſilium in æternum exitium aget præcipitem; nec modo conſulentis, ſed ejus, qui conſulitur, qui ſi alium in foveam impulerit, haut dubie in eamdem ipſe corruet. Nec enim mendax eſſe poteſt veritatis oraculum: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15.

Hanc Regulam confirmat præclara *S. Ambroſii* ſententia Epiſt. 72. ad Vercellenſem Eccleſiam. „ Hoc eſt, „ *inquit*, conſilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora ſunt, ſuadere, quæ tutiora, demonſtrare „.

Propoſitiones damnatæ.

Ex his patet, quam damnandæ ſint illæ Propoſitiones, a Clero etiam gallicano reprobatæ, & notatæ: „ Licet conſultori conſilium dare ſecundum „ eam opinionem, quæ ipſi minus probabilis, minusque tuta videatur „.

„ Si quis ſibi vult conſuli ſecundum eam opinionem, quæ ſit faventiſſima; peccat, qui non ſecundum eam conſulit „.

„ Poteſt etiam ad libitum conſulere, modo ſecundum unam, modo ſecundum aliam ſententiam, „ dumodo caveat, ne incurrat levitatis notam „.

Qui illas probant, & ad praxim revocant prudentiam carnis ſequuntur.

Quæ poſtrema Propoſitio iis tantum probari poteſt, ab iiſque ad praxim revocari, qui ſapientiam carnis, non ſapientiam Chriſti ſectantur, ut docet Apoſt. 2. ad Corinth. 1. *Nunquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me* Eſt, *&* Non? *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo* Eſt, *&* Non, *Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit* Eſt, *&* Non, *ſed* Eſt *in illo fuit.*

At pleriſque ſecus videtur, dicet aliquis? „ „ Quid vero mea intereſt, qui Chriſti veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit;

rit; hoc miſerum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videtur, nihil ad nos, quemadmodum neque alienum ſomnium „„; (inquit *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 27.)

REGULA XXXI.

Non licet varios adire Doctores, ſeu caſuum arbitros ea intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior, & tutior, ſed quæ commodior vita fuerit.

De probabilium opinionum uſu.

Quid enim aliud eſt tenebroſus ille oculus cordis, qui totum corpus tenebroſum facit, quam illa intentio animi non veritatem, & voluntatem Dei inquirentis, ſed cupiditatis ſuæ ſecuritatem? Hujus exemplum inſigne in *Balaam* exhibet Scriptura ſacra, *Num.* 22. *Balac* Rex Moabitarum miſerat viros, qui *Balaam* ad maledicendum populo Dei conducerent. Monetur ille divinitus, ne impio Regi obtemperet; Oratores redeunt re infecta. At Rex, qui magni referre cenſebat, ut veniret *Balaam*, ac populo Dei imprecaretur, plures mittit, & cum ampliioribus muneribus. Quibus id reſponſi dedit Balaam: *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Recta videri poterat *Balaami* intentio, ſi verborum ipſius ſuperficies conſideretur, cum ſe nulla re ab officio dimoveri poſſe ſignificet. Et tamen, quia occulta quadam avaritia Dei mandatum ad ſuam cupiditatem inflectere voluit, iteratis ad eum precibus: „„ Ibi ſe victum cupiditate monſtravit, ubi loqui ſibi Dominum de hac re iterum noluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam, devictamque muneribus, permiſit eum ire, hoc ipſo confundens illius dementiam, quod prohibitionem Dei tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore ſupprimeret... Cur poſt

illam

illam permiſſionem Dominum iterum non conſuluit, & poſt illam prohibitionem iterum conſulendum putavit; niſi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur „„? Verba ſunt *S. Auguſt.* quæſt. 48. *in Numeros.* Qui novos ſubinde caſuum arbitros adeunt, donec aliquem inveniant, qui ipſis ad libitum reſpondeat; & cujus doctrina illorum faveat cupiditati in viam Balaam abeunt, & in errorem non minus inducuntur, quam ille. *Pluit enim, & pluet ſemper Deus ſuper peccatores laqueos*, ut ait Propheta: & „ Lege „ infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas „ cupiditates „ (*ait S. Auguſtinus.*) De hujuſmodi hominibus veritatem, & legem Dei non exquirentibus, ſed ſuæ fomenta cupiditatis, & excuſationes in peccatis, jure merito dici poteſt, quod *Iſaias* de Judæis ait cap. 30. *Populus ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me ſemitam, ceſſet a facie noſtra S. Iſrael.* Hi *coacervant ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate auditum avertunt*, ut loquitur Apoſtolus.

Pſalm. 10.

Lib 2. Confeſſ. c. 10.

2. Tim. 4.

Plures Doctores adire, plures caſuum arbitros conſulere laudabile fuerit; ſi id fiat ſtudio cognoſcendæ veritatis, & vitandi erroris exquirendæque ſententiæ, quæ legi Dei, ac voluntati conſentanea ſit. Ut enim ait *Lactantius* lib. 3. *Inſtitutionum*, cap. 7. „„ Quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, formandiſque moribus, periculo majori peccatur; majorem diligentiam adhiberi neceſſe eſt, ut ſciamus, quomodo oporteat nos vivere. Illic enim poteſt venia concedi; quia ſive aliquid dicunt, nihil proſunt; ſive delirant, nihil nocent; hic vero nullus diſſidio, nullus eſt errori locus. Omnes unum ſentire oportet, ipſamque Philoſophiam uno quaſi ore præcipere, quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur „„

Studiis omnibus enitendum eſt, ut veritatem mandatorum Dei cognoſcamus, quia cives ſumus, aut eſſe debemus illius civitatis; *cujus Rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas*; (inquit *S. Auguſt.* Epiſt. 138. alias 5. ad Marcellinum.) Quamobrem ſolicite *Excubandum* eſſe monet idem S. Doctor lib. 22. *de Civ. Dei*, cap. 23. „ „ Ne opinio verſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt, malum; aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur, ne ab his, quæ agenda ſunt, metus revocet, ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet „ „.

REGULA XXXII.

Peccatum ex genere veniale, fieri poteſt mortale ex affectu, & diſpoſitione peccantis, & ſimiliter mortale ex genere interdum veniale eſſe poteſt.

Quomodo peccatum ex genere ſuo veniale poſſit fieri mortale, vel mortale veniale.

Veniale peccatum tripliciter dici notat *S. Thomas* 1. 2. qu. 88. art. 2. Primo dicitur veniale ab eventu, quia veniam eſt conſecutum; quo ſenſu *S. Ambroſ.* lib. *de Paradiſo*, cap. 14. ait: *Venialis culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum.* Alio modo dicitur veniale ex cauſa, quia non habet in ſe, unde veniam non conſequatur, vel ex toto, vel ex parte; ex toto, cum non tollit ordinem ad ultimum finem; ex parte, cum aliquid in ſe habet minuens culpam ut cum fit ex infirmitate, vel ignorantia. Tertio modo dicitur veniale ex genere, id eſt, ex objecto. „ „ Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod ſecundum ſe repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex ſuo objecto habet, quod ſit mortale; unde eſt mortale ex genere, ſive ſit contra dilectionem Dei, ſicut blaſphemia, perjurium, & hujuſmodi; ſive contra dilectionem proximi, ſicut homicidium, adulterium, & ſimilia. Unde hujuſmodi ſunt peccata mortalia ex ſuo genere. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in ſe continet quamdam inordinationem, non ca-

tamen contrariatur dilectioni Dei; & proximi; ſicut verbum otioſum, riſus ſuperfluus, & alia hujuſmodi; & talia ſunt peccata venialia ex ſuo genere „„: Sed quia morales actus non ſolum ex objecto, ſed etiam ex diſpoſitione agentis, ex fine; & circumſtantiis, boni, vel mali ſunt, & cenſentur: „„ Contingit quandoque id, quod eſt peccatum veniale ex genere, ratione ſui objecti, eſſe mortale ex parte agentis; vel quia in eo finem ultimum conſtituit, vel quia ordinat ipſum ad aliquid, quod eſt peccatum mortale ex genere, puta, cum aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum; ſimiliter etiam ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum ex ſuo genere mortale, ſit veniale, propter hoc, quod actus eſt imperfectus, id eſt, non deliberatus ratione „„.

Tria venialium peccatorum genera.

Hinc tria peccatorum venialium genera vulgo diſtinguuntur. Quædam venialia ſunt ex genere; illa ſcilicet, quæ ſecundum ſe ſpectata habent pro objecto rem levem, ut verbum otioſum, mendacium jocoſum, riſus ſolutior.

Alia ſunt venialia ex levitate materiæ, quæ ſcilicet mortalia revera eſſent, niſi in re aliqua parvi momenti committerentur, ut furtum rei exigui pretii, detractio levis, & ſimilia. Nullum tamen in materia infidelitatis, aut impudicitiæ leve peccatum eſt, ſeu veniale, ſi ratione plene deliberata committatur.

Alia ſunt venialia ex imperfectione actus, ut motus, vel actus repentini circa objectum mortaliter malum; quibus vel in ſe, vel in ſua cauſa præcedente, voluntas aliquo modo conſentit, ſed imperfecte, ſive propter conſiderationem, & animadverſionem rationis non ſatis plenam, ſive propter imperfectum libertatis uſum actualem, ſicut ſemidormientibus, ſeu non plene a ſomno excitatis accidit, ac interdum etiam vigilantibus, dum ex improviſo moventur ad infidelitatem, ad odium, ad invidiam, ad libidinem, aut ad alia peccata mortalia, quibus de-

liberata ratione non conſentiunt. „„ Primus enim motus ſenſualitatis non habet, quod ſit peccatum, niſi in quantum judicio rationis reprimi poteſt; (*inquit S. Th. 2. 2. q. 154. art. 5.*) & ideo ſublato judicio rationis, tollitur ratio peccati „„. Porro, ut idem docet quæſt. 7. *de Malo*, art. 6. ad 6. „„ Quando motus illicitus eſt in ſenſualitate, tripliciter ſe poteſt ad ipſum habere ratio. Uno modo ſicut reſiſtens, & tunc nullum eſt peccatum, ſed eſt meritum coronæ. Aliquando autem ſe habet, ut imperans, puta, cum ex propoſito motum concupiſcentiæ illicitæ excitat; tunc ſi ſit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem ſe habet, ut neque prohibens, neque imperans, ſeu conſentiens; & tunc eſt peccatum veniale „„; ſi tamen non ſit probabile periculum conſenſus; nec illud ratio advertat. Poteſt itaque id, quod eſt „„ ex genere mortale, *eſſe veniale* propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus „„ (*inquit* idem S. Thomas 1. 2. qu. 88. art. 6.)

Cum ergo aliquis, ut primum advertit pravum aliquem motum, vel appetitum, ſtatim eum repellere conatur, ſtatim improbat, execratur, aut ſe ita ſentit affectum, ut mori mallet, quam peccato conſentire, vel illud opere perpetrare, indicium eſt, ipſum deliberata omnino ratione hujuſmodi motui, vel actui non conſenſiſſe; ſicut & cum dubitat, an turpem delectationem dormiens paſſus ſit, an vigilans. Verum cum attendit ratio, nec poſitive reſiſtit, ſed quaſi negative ſe habet, conſentire cenſenda eſt, docet *S. Thom.* qu. 15. *de Veritate*, art. 4. ad 10. „„ Antequam, *inquit*, ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat Sed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente, utpote cum percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem

in

in peccatum inclinari, & in præceps ruere, niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire „ „.

REGULA XXXIII.

Peccata, quæ in Scriptura ſacra dicuntur execranda, Deo exoſa, excludere a regno Dei, eſſe digna morte, aut quibus dicitur Væ, mortalia ſunt; quæ vero verbis mitioribus notantur, vel reprehenduntur, ſunt venialia.

Quomodo mortalia, & venialia peccata dignoſci poſſint.

Prioris generis habemus exempla, Levit 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Prov. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus; oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Iſa. 5. *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci... Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis... Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* Ezech. 18. de homine contriſtante egenum, & pauperem, uxorem proximi ſui polluente, aut bona rapiente, pignus non reddente, ad idola oculos ſuos levante, abominationem faciente, ad uſuram dante, & amplius accipiente, id eſt, aliquid ultra ſortem ratione mutui exigente, dicit Deus: *Non vivet. Cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.*

Ad Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod*

tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum; in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis... Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

1. Ad Cor. 6. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

Ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis; quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Ad Epheſ. 5. *Hoc ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.*

Apoc. 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolo-*

latris,

latris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.

Poſterioris generis exempla habemus Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Matth. 12. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* 1. ad Corinth. 7. *Revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Ex quibus locis conſtat, multiloquium, verbum otioſum, acceſſum ad propriam uxorem ſola delectationis cauſa; non vero intentione ſuſcipiendæ prolis, eſſe quidem peccata, ſed leviora, & venialia; quoniam Scriptura ſacra de illis mitius loquitur quamde mortalibus.

REGULA XXXIV.

Peccata mortalia cenſenda ſunt, quæ vel a SS. Patribus, vel a Theologis doctrina, & pietate inſignibus, unanimi conſenſu, mortalia cenſentur, & aſſeruntur; venialia vero, quæ ab eiſdem venialium numero, & loco habentur.

Quomodo mortalia, & venialia peccata dignoſci poſſint.

Tantum enim pondus eſt auctoritatis Patrum in aliquo dogmate conſentientium, ſive illud fidem, ſive morum diſciplinam ſpectet, ut qui ab illis diſſenſerit, erroris, profanæque novitatis convincatur. Teſtes enim ſunt Traditionis, quæ verbum Dei eſt non ſcriptum, ac proinde Regula morum altera poſt Scripturam ſacram. Patribus ergo „ „ Hac lege credendum eſt (*inquit* Vincentius Lirinenſis *in Commonitorio*) ut quidquid vel omnes, vel plures, uno eodemque ſenſu, manifeſte, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur „ „. Atque in quæſtionibus moralibus, non minus quam in fidei controverſiis, operam dare debet Theologus, „ „ Ut collatas inter ſe majorum conſultat, interrogatque ſententias; eorum duntaxat, qui diverſis licet

cet temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ catholicæ communione, & fide permanentes, magiſtri propabiles extiterunt; & quidquid non unus, aut duo tantum, ſed omnes; pariter uno eodemque conſenſu, aperte, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ullâ dubitatione credendum „„ (*ait idem Vincentius Lirinenſis* in Commonitorio.)

Theologorum vero omnium, aut certe plurimorum, ſanctiorum, & doctiorum conſenſus in alicujus aſſertione dogmatis, etſi longe minoris ponderis ſit, quam auctoritas Patrum aliquid conſpirante magiſterio aſſerentium, tanti nihilominus eſt momenti, ut qui ab iis diſſenſerit, notam temeritatis non effugiat. Unde *Clemens V.* in Concilio Viennenſi, ut habetur in Clementina *de Summa Trinitate, & Fide catholica*, opinionem *dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, tanquam probabiliorem, ſacro approbante Concilio, duxit eligendam.* Quamobrem mortale peccatum, aut veniale duntaxat nemo eſſe dubitet, quod Theologi omnes, aut certe plurimi, ſanctiores, atque doctiores inter peccata mortalia, aut venialia numerant. Sic violationem jejunii eccleſiaſtici, & omiſſionem ſacri Dominicis, ac Feſtis diebus peccata eſſe mortalia; diebus autem jejunii comeſtionis horam paululum anticipare, id eſt, paulo ante meridiem comedere, & diebus Feſtis modicam partem Sacri omittere, peccata venialia cenſent Theologi, quorum in ſententia eſt acquieſcendum.

REGULA XXXV.

Naturalis etiam ratio plurimum conducit ad judicandum, quæ mortalia, quæ venialia peccata ſint.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoſcendis.

Hæc enim mentis lumen eſt a Deo ſuper nos ſignatum, quo in agendis non minus quam in cognoſcendis rebus dirigimur, ſed cum obnoxia ſit errori, niſi divino lumine, & adjutorio illuſtretur ipſa,

& dirigatur, certas Regulas ſequi debet a chriſtianæ Moralis interpretibus, docente intus veritate, traditas, quibus cognoſcitur, quæ motalia tantum, quæ venialia peccata ſint. Attendendum eſt imprimis, quæ peccata graviter lædant charitatem Dei, vel proximi, quæ leviter ſolum; illa quippe mortalia, hæc venialia peccata ſunt. „„ Omnes enim offendimus, ſed unus gravius, alius levius, quanto quiſque gravius leviuſve peccaverit, tanto in peccato committendo major quanto in diligendo Deo, & proximo minor; & rurſus tanto minor in peccati perpetratione, quanto major in Dei, & proximi dilectione. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis „„ (*inquit S. Auguſt.* Ep. 167. alias 29.) Deinde materiæ quantitas expendenda, ſit ne magna, vel parva, gravioris, aut minoris momenti. Tertio conſiderandum, an peccatum ex genere ſuo mortale ſit, aut veniale. Quarto ponderanda verba legis, vel præcepti, an ſevere præcipiat, an gravem pœnam ſtatuat in tranſgreſſores; an Legislatoris, vel præcipientis intentio fuerit in hoc, vel illo caſu graviter obligare. Sic enim grave peccatum eſſe judicandum eſt, dicere proximo *Fatue*, animo contemnendi, & conviciandi, quia Chriſtus *Reum gehennæ ignis* pronuntiavit, *qui dixerit fratri ſuo, Fatue.* Sic peccata mortalia judicantur violationes Præceptorum eccleſiaſticorum, quibus excommunicationis, aut alterius Cenſuræ pœna adjuncta eſt. Examinandum eſt quinto, an peccatum ſit commiſſum deliberate, vel indeliberate; cum enim „„ Adeo peccatum ſit malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium, *& hoc ita manifeſtum ſit*, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat; aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi „„ (*inquit S. Auguſt. lib. de vera Religione, cap.* 14.) *Et lib.* 3. *de libero Arbitrio*, cap. 18. „„ Quæcunque, *inquit*, iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum?

Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt „„. Quod igitur plena deliberatione non committitur peccatum, quamvis ex genere ſuo mortale ſit, veniale tantum eſt; nullum vero peccatum, cum nulla eſt omnino deliberatio, nullus voluntatis conſenſus, aut negligentia.

REGULA XXXVI.

Quædam ſunt peccata, de quibus accurate, & certo judicari non poteſt, an mortalia, an venialia tantum peccata ſint. Unde prudens Theologus, conſcientiarum moderator judicium de his ſuum ſuſpendet, nec audacter dicet; Hoc mortale, iſtud veniale tantum peccatum eſt, niſi Scripturæ ſacræ, vel Sanctorum, aut Eccleliæ auctoritate fulciatur.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoſcendis.

Nam, ut ſcribit *S. Auguſt.* Enchiridii cap. 78. „„ Quæ ſint levia, quæ gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa; quale illud eſt, quod venerabilis Paulus conjugibus ait; *Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipſum eſtote, ne vos tentet ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Quod putari poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet conjugi non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale; ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, ſive adulterii, ſive cujuſcunque alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quo poteſt tentante ſatana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet: *Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Quis autem jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica auctoritate fateatur? Ta-

1. Cor. 7.

le

le quiddam eſt, ubi dicit: *Audet quiſquam veſtrum adverſus alterum negotium habens judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* Et paulo poſt: *Secularia igitur judicia ſi habueritis*, inquit, *eos, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate. Ad reverentiam vobis dico; ſic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum judicare; ſed frater cum fratre judicatur, & hoc apud infideles.* Nam & hic poſſet putari judicium habere adverſus alterum non eſſe peccatum, ſed tantummodo id extra Eccleſiam velle judicari, niſi adjungeret: *Jam quidem omnino delictum eſt, quia judicia habetis vobiſcum.* Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, ut diceret juſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet a ſe judicum ſententia removeri; continuo talibus cogitationibus, vel excuſationibus occurrit, atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fundamini?* Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium:* Et alio loco: *Qui abſtulerit*, inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque ſuos de ſecularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium; ex qua doctrina Apoſtolus dicit eſſe delictum. Tamen cum finit in Eccleſia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus; extra Eccleſiam vero terribiliter vetat; manifeſtum eſt etiam hic, quid ſecundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc, atque hujuſmodi peccata, & alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum, & cogitationum offenſionibus, Apoſtolo Jacobo confitente, ac dicente: *In multis enim offendimus omnes*, oportet, ut quotidie, crebroque oremus Dominum, atque dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Sunt autem quædam, quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehennæ putaret, niſi veritas diceret? .. Aut quis æſtimaret, quam magnum peccatum ſit, dies obſervare, & menſes, & annos, & tempora, ſicut obſer-

1. Cor. 6.

Matth. 5.

Luc. 6.

Jacob 3.

ſervant, qui certis diebus, ſive menſibus, ſive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora; niſi hujus mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis* „„? Gal. 4.

Et lib. 21. *de Civ. Dei*, cap. 27. „„ Quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire. Ego certe uſque ad hoc tempus, cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigreſcat. Quoniam ſi ſcirentur, quæ, vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus, ne profectu melioris vitæ abſumptis interceſſio ſit inquirenda, & ſperanda juſtorum, eis ſecura ſe obvolveret humana ſegnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, ſed tantummodo curaret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de mammona iniquitatis eleemoſynarum largitione feciſſet „„. *Et lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 6. „„ Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes: Hoc grave eſt, & illud leve; ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, & in illis appendamus, imo appenſa a Domino cognoſcamus „„.

Docet denique *S. Thomas* quodlibeto 9. art. 15. „„ Quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur eſſe mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt „„.

Hinc

Hinc Vaurenſe Concilium, anno 1368. ait: „„ Neque enim Confeſſor debet eſſe promptus ad facile judicandum de aliquo, quod ſit mortale peccatum, niſi ſit in dictis Scripturæ, vel SS. Patrum expreſſum „„.

REGULA XXXVII.

In judicio de mortalibus, & venialibus peccatis ferendo, non eſt habenda ratio conſuetudinis, ſed legis Dei, adverſus quam nihil præſcribere poteſt; vel legum eccleſiaſticarum, quæ non ſunt diuturna, & præſcripta conſuetudine, Eccleſiæque tacito quodam conſenſu abrogatæ.

De mortalibus, & venialibus peccatis dignoſcendis.

Nam „„ peccata quædam, (*inquit S. Auguſt.* cap. 80. *Enchirdii*) quamvis magna, & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur; uſque adeo, ut non ſolum non occultanda, verum etiam prædicanda, ac diffamanda videantur, quando, ſicut ſcriptum eſt: *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur...* Ita multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolum excommunicare aliquem Laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epiſtolam ad Galatas, in eo ipſo loco ubi ait Apoſtolus: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis*, exclamare compulſus ſum: *Væ peccatis* hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus; uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia, quæ non potuerimus prohibere, faciamus „„. Pſal. 9.

Et lib. 3. *Contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. 2. „„ An forte, *inquit*, parva ſunt iſta crimina, & parvi æſtimanda? Solent enim iſti etiam hoc dicere, penſantes ea non in ſtatera æqua divinarum Scripturarum, ſed in ſtatera doloſa conſuetudinum ſuarum; quid-

quidquid enim ſceleris, & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Sed ideo ſunt tanquam ſinceriſſimum ſpeculum propoſita hominibus oracula cœleſtium paginarum, ut ibi quiſque videat, quodlibet peccatum quantum ſit, quod forte magnum eſt, & male viventium cæco more contemnitur „„.

Confirmatur ex canone 7. Concilii Lateranenſis 3. ſub Alex. III. „„ Cum, *inquit*, in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum eſt, gratis impendi: horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in Sede; ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiam, necnon pro ſepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis, aliquid exigatur; & ille, qui indiget, non poſſit iſta percipere, niſi manum implere cutaverit largitoris. Putant plures ex hoc ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur. Non ſatis, quia cupiditate excæcati ſunt, attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam „„.

Denique, ut ait *S. Bonaventura* in opuſculo *de proceſſu Religionis* cap. 28. „„ cum Deo diſputare velle, ſtultum eſt, & quaſi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua exiſtimatio eſt Regula juſtitiæ infallibilis, non noſtra anguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus. Solis radius nunquam facit angulum, ſemper directe in oppoſita ſibi ferit, ſive in nobis appareat, ſive aliter exiſtimemus „„.

REGULA XXXVIII.

Peccatum, quod ex genere ſuo veniale eſt, poteſt fieri mortale, quantum conſtituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, ſicut ad finem.

Ita docet *S. Thomas*, prima ſecundæ, qu. 88. art. 4.

RE-

REGULA XXXIX.

Nulla circumſtantia peccatum ex genere ſuo veniale ad mortalis peccati genus transferre poteſt, ſi maneat in circumſtantiarum ordine.

Ita docet *S. Thom.* 1. 2. q. 88. art. 5. Cum enim circumſtantia ſit accidens actus humani, ipſum ad aliud genus trahere non poteſt, niſi circumſtantiæ rationem amittat, alteriuſque generis addat deformitatem. Sicut cum aliquis accedit ad non ſuam, eſt actus deformis deformitate oppoſita caſtitati; ſed ſi accedat ad non ſuam, quæ eſt alterius uxor, additur deformitas oppoſita juſtitiæ, contra quam eſt, ut aliquis uſurpet rem alterius; qua ratione hujuſmodi circumſtantia conſtituit novam ſpeciem peccati, quæ dicitur adulterium. Peccati porro venialis deformitas poſita eſt in perverſione ordinis mediorum, ſeu in nimia adhæſione ad res, quibus utendum eſt; ita tamen, ut fini ultimo, ſcilicet Deo, nunquam præponantur: mortalis autem peccati perverſitas poſita eſt in everſione ordinis ad ipſum ultimum finem; ſeu in fruitione rerum, quibus utendum eſt, quaſi finis ultimus eſſent. Quamobrem circumſtantia ex veniali peccato facere mortale non poteſt, quamdiu circumſtantia manet; ſed ſolum cum actum moralem transfert in aliam ſpeciem, & alterius generis deformitatem afferens, fit quodammodo ſpecifica differentia moralis actus.

Quomodo peccatum ex genere veniale, ad genus peccati mortalis transferri poſſit.

REGULA XL.

Diuturnitas non eſt circumſtantia trahens actum moralem ad aliud genus peccati, ſimiliter nec frequentia, vel aſſiduitas, niſi ex accidenti, & ratione alicujus deformitatis adventitiæ.

Non enim, (inquit *S. Thomas*) actus acquirit novam ſpeciem ex hoc, quod multiplicatur, vel protelatur, niſi forte in actu protelato, vel multiplicato ſuperveniat aliquid, quod variet ſpeciem, ut *Inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujuſmodi.*

Nec

Nec aliud colligi poteſt ex *S. Cæſario*, Serm. 37. ubi peccata mortalia recenſens, ait: „„ Et ſi longo tempore teneatur iracundia, & ebrietas, ſi aſſidua ſit, in eorum numero computatur. *Cum enim ita ſit motus animi ad nocendum proximo*, ſi ſit tale nocumentum, in quod tendit motus iræ, quod ex genere ſuo ſit peccatum mortale, ſicut homicidium, vel furtum; talis ira ex genere ſuo eſt peccatum mortale; ſed quod ſit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, in quantum eſt motus ſubitus ſenſualitatis. Si vero ſit diuturna. redit ad naturam ſui generis per conſenſum rationis. Si vero nocumentum, in quod tendit motus iræ, eſſet veniale ex genere ſuo, puta, cum aliquis in hoc iraſcitur contra aliquem, quod vult ei dicere aliquid verbum leve, & jocoſum, quod modicum ipſum contriſtet, non erit ira peccatum mortale, quantumcunque ſit diuturna, niſi forte per accidens, ſi ex hoc grave ſcandalum oriatur, vel propter aliquid hujuſmodi „„.

Quod ebrietatem ſpectat, mortale etiam ex genere ſuo peccatum eſt. „„ Quod enim homo abſque neceſſitate reddat ſe impotentem ad utendum ratione, per quam in Deum ordinatur, & multa peccata occurentia vitat, ex ſola voluptate vini, expreſſe contrariatur virtuti. Sed quod ſit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem, puta, cum homo neſcit virtutem vini, aut propriam debilitatem, unde non putat ſe inebriari; tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, ſed ſolum ſuperabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non poteſt per hanc ignorantiam excuſari, quin videatur voluntas ejus eligere magis pati ebrietatem, quam abſtinere a vino ſuperfluo; unde redit peccatum ad ſuam naturam „„. Sic reſpondet *S. Thom.* quæſt. & art. ſupra laudatis.

R E-

REGULA XLI.

Quæcunque peccata contra diversa præcepta committuntur, non ideo diversa sunt genere.

Unde oriatur diversitas peccatorum.

Plura namque præcepta, vel idem sæpius repetitum; unam, eamdemque rem interdum præcipiunt, aut prohibent sub una, & eadem ratione. Sic furtum unum genere peccatum est, quamvis lege naturali, & positiva, tam divina, quam humana sit prohibitum. Furtum rursus, & voluntas furandi, adulterium, & voluntas illud committendi, non sunt peccata diversi generis; quamvis hæc Decalogi præcepta diversa sint: *Non furtum facies*; & *Non concupiscet uxorem proximi tui; non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Diversa etiam præcepta Clericos beneficia ecclesiastica possidentes, & alios in sacro aliquo Ordine constitutos ad horarum canonicarum recitationem obligant; nec tamen Sacerdos beneficiarius peccata specie distincta committere censetur, si eas omittat. Sic qui violat jejunium Sabbato quatuor Temporum coincidente cum Vigilia S. Matthæi, aut cum aliquo die Quadragesimali, non committit diversa peccata; quia licet diversis præceptis ad jejunandum ea die obligetur, illa tamen præcepta rem eamdem jubent sub eadem ratione, & ad eamdem virtutem pertinent. Idem esto judicium de illo, qui Sacrum non audit die Dominica, in quam alia solemnitas cadit; itemque de eo, qui frangit votum eadem de re repetitum.

REGULA XLII.

Quando plura præcepta specialem, ac distinctam habent cum recta ratione convenientiam, ita ut actum, qui præcipitur, ad virtutem specie diversam transferant; peccata, quæ præceptis illis opponuntur, diversæ sunt speciei; aut certe, si sit unicum, alterius speciei malitiam continet.

Unde oriatur diversitas peccatorum.

Sic adulterium a viro religioso commissum ad tres species pertinet, seu triplicis peccati malitiam includit; luxuriæ scilicet, quia mulierem cognoscit, quæ non est sua; injustitiæ, quia alienam; & sacrilegii, quia peccat contra votum, quo Deo se consecravit, ac violatæ religionis reus est. Ita furtum a monacho commissum duplicis speciei malitiam habet; unam injustitiæ, quia rem alienam accipit, ac retinet invito Domino; alteram violationis voti, quia contra paupertatem peccat, quam se perpetuo servaturum solemni voto promisit. Sic homicidium, aut percussio Clerici duplicis generis deformitatem habet, injustitiæ nimirum, quia gravis injuria est proximo illata; & religionis violatæ, cum persona Deo sacra violetur. Quamobrem diversas illas deformitates in sacramentali Confessione explicare omnino necesse est.

REGULA XLIII.

In iis, quæ non sunt mala, nisi quia prohibita lege aliqua positiva, peccata, quæ contra diversa præcepta committuntur, specie diversa sunt.

Diversæ ejusdem operis deformitates in Confessione explicandæ.

Ratio enim cur decimas non solvere sit peccatum injustitiæ, cur intemperantiæ peccatum sit vesci carnibus diebus jejunii, cur violenta sanguinis effusio in Ecclesia sit species sacrilegii, petenda est ex præceptis positivis, quorum unum jubet solvi decimas; aliud abstinentiam a carnibus; alterum reverentiam erga locum sacrum. Hinc Monachus, qui speciale præceptum Superioris sui violaverit, duplicis peccati reus est; non solum enim contra votum peccavit, sed etiam contra virtutem singularem, ad quam pertinet præceptum Superioris. Idem esto judicium de illo, qui non jejunat stata per Ecclesiæ Constitutionem die, ac insuper a Confessario indicta; quia primum præceptum ad virtutem temperantiæ, alterum ad pœnitentiæ virtutem pertinet.

REGULA XLIV.

Diſtincta ſunt numero peccata, quæ circa objecta numero diſtincta verſantur; niſi objecta illa ſe habeant ad modum unius; ita ſcilicet, ut unum ſit pars alterius, aut omnia unum aliquod totum, ut partes conſtituant.

Quando in uno actu plura ſint numero peccata.

Si quis, exempli gratia, uno eodemque actu odio habeat, vel occidere velit tres homines; ſi una voluntate velit non audire factum tribus Dominicis, aut Feſtis diebus; vel tribus diebus jejunio ex Eccleſiæ inſtituto dicatis non jejunare; trium peccatorum reus eſt, aut unius certe malitia triplici deformis. Similiter, qui uno ictu plures percutit, aut convitiis appetit, qui una calumnia, vel maledicto, plurium honori, vel famæ detrahit, tot reus peccatorum eſt, quot ſunt perſonæ læſæ. Cum enim peccata ſpecie diſtinguantur ex objectis ſpecie diſtinctis; numero etiam diſtingui ex objectis numero diſtinctis conſequens eſt. Quamobrem numerum perſonarum, quas aliquis percuſſit, aut probris, contumeliis, calumniis, maledictis affecit, exprimere in Confeſſione tenetur. Similiter, qui mortem alicui, & toti ejus familiæ inferre meditatur, aut molitur, vel conceptum ſcelus opere perpetrat; tot reus homicidiorum eſt, quot ſunt homines in illa familia. Quamvis enim juris fictione una familia cenſeatur una perſona, revera tamen plures perſonas complectitur. Unde ſicut diverſa ſpecie peccata committeret, qui familiam unam extinguere vellet, ad quam pertinerent pater ejus, & mater, & aliqui homines laici, alii Clerici (Patricidii enim reus eſſet propter parentes; homicidii ſimplicis propter Laicos; ſacrilegii propter Clericos occiſos) ita tot numero peccatorum reus eſt, quot homines occidit, vel occidere voluit; percuſſit, aut percutere decrevit, ſive conatus eſt; quot hominibus contumelias, calumnias, maledicta impegit, vel irrogavit; quia vero multæ partes domum unam conſtituunt, oves multæ gregem unum, variæ ſpecies, aut par-

tes pecuniæ ſummam unam, variæ menſuræ tritici acervum unum, multi libri Bibliothecam unam: combuſtio domus unum numero peccatum eſt, depræ-datio, ſeu rapina gregis unum ſimiliter peccatum; idemque cenſendum de furto unius ſummæ pecuniæ, aut unius Bibliothecæ; neque numerum partium domus, ovium, ſingulas tritici menſuras, ſpecies ſingulas pecuniæ, numerum librorum, in Confeſſione exprimere neceſſe eſt, ſed ſolum damni illati quantitatem, pecuniæ ſummam, gregis, tritici, vel Bibliothecæ pretium.

REGULA XLV.

Voluntas peccati cum actu exteriori conjuncta unum numero peccatum eſt; voluntas autem ab actu exteriori ſeparata, eſt diſtinctum numero peccatum.

Quando voluntas, & opus ſunt unum numero peccatum, vel diſtincta peccata.

Cum enim nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium, & malitia ex actu interiori voluntatis in actum externum refundatur, actus interior, & exterior unum numero peccatum cenſendi ſunt, cum ſimul ſunt conjuncti, ut ſi quis occaſione data furari velit, & furetur. Si vero voluntatis actus ab opere externo ſejunctus ſit, ut ſi quis mœchari volens, non ſtatim mœchetur occaſione deficiente, ſed opportunitate data die ſequenti libidinem expleat, duplex numero peccatum eſt: „ „ Quia voluntatis actus multiplicatur; quando enim actum explet exteriorem, etiam actum voluntatis iterat; & ideo oportet, quod ſint duo peccata, non propter diverſitatem actus interioris, & exterioris, ſed propter diverſitatem duorum actuum interiorum „ „. Ita docet *S. Thomas*, in 2. *Sentent.* diſt. 42. qu. 1. art. 1.

Quando voluntatis actus cenſendus ſit unus moraliter.

Unus autem moraliter voluntatis actus cenſetur, quando non eſt moraliter interruptus. Unde ſi quis priorem furandi, vel fornicandi voluntatem retractavit, vel a priori molitione diſtractus, & averſus, ad alia cogitanda, vel agenda ſe convertit, & nova deliberatione, etiam poſt modicum tempus, ad idem

idem objectum illicite prosequendum revertitur, distinctum numero peccatum est; v. gr. si quis visa femina morose delectetur, eamque delectationem sponte deserens, & ad alia intendens animum, eadem vel altera mox occurrente in peccati cogitatione rursus delectetur, duplex peccatum est. Item si inter unum, & alterum actum tantum temporis interceſſit, aut impedimentum tale, ut nullam invicem connexionem, vel ordinem habere prudentis arbitrio censeantur, duplex numero peccatum est, sive cessatio a priori actu voluntaria fuerit, sive non. Ita si quis morosam delectationem, vel odium fraternum in animo gerens, somno corripiatur; a somno vero excitatus eamdem delectationem, vel odium animo concipiat, duo morosæ delectationis, vel odii peccata committit.

Sed quid de illo censendum, qui mane ad occidendum inimicum, vel ad fornicandum profectus, in itinere sæpius eam voluntatem iterat, nunc de peccato, quod animo concepit, nunc de aliis rebus cogitans, an plura peccata numero distincta committit? Minime; quia prima ejus voluntas moraliter interrupta non fuit, sed virtute perseveravit in actione itinerandi eo fine suscepta.

Similiter qui vult furari, & ea voluntate concepta, statim iter conficit, scalam admovet, eam conscendit, domum ingreditur, arcam scrutatur, quod invenit, furatur, unum numero peccatum censetur commisisse, etiam si voluntatem furandi in tota illa actionum serie sæpius iteravit, quia volitiones illæ singulæ unus moraliter actus existimantur, cum prima furti voluntas non sit moraliter interrupta, sed in omnibus illis actionibus virtute perseveret.

Sic etiam plures actus ex ejusdem peccati voluntate profecti, atque ad illius consummationem ordinati, ad illud proxime disponentes, & cum eo connexi, unum peccatum non specie duntaxat, sed numero constituunt. Qui v gr. cum aliqua muliere fornicari constituit, utque ad eum explendæ libidi-

nis ſuæ finem perveniat, blande cum ea colloquitur, ipſam tangit, oſculatur, amplectitur, tandemque fornicatur; unum numero peccatum fornicationis commiſiſſe cenſetur, illudque unum in Confeſſione exprimere neceſſe eſt, non vero illa copulæ præludia. Alia ratio eſt de verbis obſcœnis, oſculis, aliiſque tactibus impudicis fornicationem ſubſecutis; cum enim illa ad peccatum jam conſummatum per ſe non ſequantur, ſintque magis novæ fornicationis inchoationes quædam, quam præcedentis appendices, plura ſunt numero peccata, neceſſario in Confeſſione exprimenda.

REGULA XLVI.

Voluntas perfecta, & efficax peccatum aliquod committendi, quæ ſcilicet tota propenſione fertur in opus, illud exequi parata, niſi facultas, aut opportunitas deeſſet, non minus peccatum eſt, quam ſi cum opere externo conjuncta eſſet.

Peccata ſolius voluntatis interdum æque gravia, ac peccata operis.

Tota enim actus exterioris malitia derivatur a voluntate; ſi ergo voluntas plene deliberata ſit, & efficax, per eamque non ſtet, quin ſequatur opus externum, quo peccatum conſummatur, non minus reum coram Deo conſtituit hominem; quamvis majora damna ex opere externo ſequantur. Nam & damna hujuſmodi ex peccato proditura velle cenſetur, quia ita eſt affectus, ut peccatum opere conſummare deliberato propoſito velit. Tunc enim voluntas operi non deeſt, ſive illius exequendi poteſtas, & opportunitas, voluntati. Opere quidem externo minime ſecuto, non incurritur infamia, non reſtitutionis onus, non pœnæ eccleſiaſticæ, vel civiles; ſed tamen coram Deo æque reus eſt, qui ſola voluntate ſic affecta peccat, æqualique ſupplicio damnandus, ac ſi opere externo peccatum conſummaſſet. *Omnis* enim *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* (inquit Chriſtus *Matth.* 5.)

Id

Id confirmat *S. Auguſt.* lib. 1. *de libero Arbitrio*, cap. 3. „ „ Ut intelligas, *inquit*, libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur. *Et Ep.* cap. 108. *alias* 49. Ad Deo gratias *quæſt.* 3. Appetitus, *inquit*, voluntatis humanorum omnium eſt menſura factorum „ „.

Et lib. *de Continentia*, cap. 1. & 2. „ „ Multa, *inquit*, corporis ore non dicimus, & corde clamamus; nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus eſt in corde ſilentium. Inde igitur quod non emanat, foris non ſonat; quod vero non emanat inde, ſi malum eſt, etſi non moveat linguam, inquinat animam. Ibi ergo ponenda eſt continentia, ubi & tacentium loquitur conſcientia. Fit enim per oſtium continentiæ, ut non inde exeat, quod etiam clauſis labiis carnis vitam polluat cogitantis. Denique ut apertius os interius oſtenderet, cum dixiſſet; *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium continentiæ circum labia mea*; continuo ſubdidit: *Ne declines cor meum in verba maligna.* Declinatio cordis, quid eſt niſi conſenſio? Nondum enim dixit, quiſquis in corde occurrentibus ſuggeſtionibus quorumque viſorum nulla cordis declinatione conſenſit. Si autem conſenſit, jam corde dixit, etiamſi ore non ſonuit; etiamſi manu, vel qualibet corporis parte non fecit, fecit tamen, quod cogitatione faciendum ſibi eſſe jam ſtatuit, divinis legibus reus, quamvis humanis ſenſibus abſconditus, verbo in corde dicto, nullo facto per corpus admiſſo. Nequaquam vero membrum foris moviſſet in facto, cujus facti initium non intus præceſſiſſet in verbo. Neque enim mendaciter ſcriptum eſt: *Initium omnis operis, verbum.* Multa quippe homines faciunt ore clauſo, quieta lingua, voce trænata; ſed tamen nihil agunt corporis opere, quod non prius dixerint corde. Ac per hoc quoniam multa ſunt peccata in interioribus dictis, quæ non

Pſal. 140.

ſunt in exterioribus factis; nulla ſunt autem in exterioribus factis, quæ non præcedant in interioribus dictis; erit ab utriſque puritas innocentiæ, ſi circum interiora labia ponatur oſtium continentiæ. Propter quod etiam ipſe ore proprio Dominus ait: *Munda-*
Matth. 23. *date, quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erunt.* Itemque alio loco cum Judæorum ſtultiloquia refutaret, quia calumniabantur diſcipulis ejus non lotis manibus manducantibus: *Non quod intrat in os*, inquit, *coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Quæ ſententia ſi tota de ore corporis accipiatur, abſurda eſt. Neque enim quem non coinquinat cibus, coinquinat vomitus. Cibus quippe in os intrat, vomitus ex ore procedit. Sed proculdubio priora verba pertinent ad os carnis, ubi ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem*: poſteriora vero ad os cordis, ubi ait: *Sed quod procedit ex*
Matth. 15. *ore, hoc coinquinat hominem... Quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt.* Tanquam diceret: Cum audis de ore, de corde intellige. Utrumque dico; ſed alterum ex altero expono. Habet os interius homo interior, & hoc diſcernit auris interior; de hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Deinde jam relicto oris nomine, quod poteſt & de corpore intelligi, apertius quid dicat, oſtendit: *De corde enim exeunt*, inquit, *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Nihil eſt certe iſtorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis poſſunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominem, etiamſi aliquid impediat, ne ſubſequantur opera flagitioſa, & facinoroſa membrorum. Si enim quia poteſtas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, nunquid ideo mundum eſt a ſcelere cor homicidæ? Aut ſi rem ſubripere alienam non ut quis vult poteſt, nunquid ideo in ipſa voluntate fur non eſt? Aut ſi caſta eſt, quam vult adulterare non caſtus, ideo eam non eſt in corde mœchatus? Aut ſi

mere-

meretrix non inveniatur in fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente? Aut ſi cupienti per mendacium lædere proximum, tempus, vel locus deſit, ideo falſum teſtimonium non ore interiore jam dixit? Aut ſi quiſquam homines timens, non audeat lingua carnis ſonare blaſphemiam, ideo non eſt hujus criminis reus, qui dicit in corde ſuo, non eſt Deus? Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ veſcit ullus corporis ſenſus, reos ſuos occultos habent; quos etiam ſolus inquinat in cogitatione conſenſus, id eſt, oris interioris verbum malignum. In quo timens ille declinari cor ſuum, oſtium continentiæ circum labia oris hujus poni poſcit a Domino, quod contineat cor, ne declinetur in verba maligna; continent autem non ſinendo cogitationem procedere in conſenſionem; ſic enim ſecundum præceptum apoſtolicum non regnat peccatum in noſtro mortali corpore, neque exhibemus membra noſtra arma iniquitatis peccato. A quo præcepto implendo utique alieni ſunt, qui ob hoc ad peccandum membra non movent, quia poteſtas nulla permittitur; quæ ſi adſit, protinus ex membrorum velut armorum motibus, quis in eis intus regnet, oſtendunt. Proinde quantum in ipſis eſt, membra ſua exhibent arma iniquitatis peccato; quia hoc volunt, quod propterea non exhibent, quia non poſſunt „ „.

Idem confirmat *S. Bernardus*, Ep. 77. ſeu Tractatu ad *Hugonem de S. Victore*, c. 2. „ Quid planius, *inquit*, quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas „?

Si tamen adſit opportunitas actus exterioris exercendi, malitia peccati non eſt conſummata abſque opere externo. Ut enim ait *S. Thom.* 1. 2. qu. 20. art. 4 „„ Non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur. Si vero poſſibilitas deſit, voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur ſi poſſet, defectus perfectionis, quæ eſt ex actu exteriori, eſt ſimpliciter involuntarius. Involuntarium

Malitia peccati non eſt conſummata ſine opere externo, cum adeſt opportunitas.

autem ſicut non meretur pœnam, vel præmium operando bonum, vel malum; ita non tollit aliquid de præmio, vel de pœna, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum, vel malum „ „.

Major etiam eſt interdum, graviorque malitia voluntatis cum actu externo conjunctæ, ſive quia diuturnior eſt, ſive quia externi operis delectatione intenſior, ac vehementior evadit voluntatis ad peccatum affectus. „ Conſtat autem, quod quanto voluntas intenſius tendit in bonum vel malum; tanto „ eſt melior vel pejor „ (inquit *S. Thom.* loco mox laudato.) Sicut ergo genuflexione, manuum extenſione, proſtratione, aliiſque externis actionibus ſupplicanti congruis: „ „ Magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius. Et neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hos cordis affectus, qui, ut fierent iſta præceſſit, quia facta ſunt, creſcit „ „; (ut loquitur *S. Auguſt.* lib. *de Cura gerenda pro mortuis*, c. 5.) Ita opere externo peccati creſcit interior voluntatis malitia, & ad peccatum affectus, qui ut fieret, opus præceſſit.

Actum externum peccati in Confeſſione ſemper exprimere neceſſe eſt.

Quamvis porro externum opus malitiam actus interioris interdum non augeat, cum nimirum æqualis eſt voluntatis affectus ad peccatum, & æque vehemens, ac diuturnus ſine opere externo, & cum illo; tamen actum exteriorem peccati in Confeſſione ſacramentali exprimere omnino neceſſe eſt quatuor ob cauſas. Primo, quia Confeſſio integra eſſe debet; non eſſet autem integra, ſi pœnitens de actu externo Confeſſarium celaret, quia unum, & integrum cum interiore peccatum conſtituit. Secundo, quia occaſione externi operis, & delectatione ipſi adjuncta voluntas ſæpius exardeſcit, intenſiuſque, ac vehementius fertur in peccatum: *Vix enim fieri poteſt, ut voluntas opere ſuo non augeatur* (inquit *Hugo a S. Victore*; lib. 2. *De Sacramentis*, p. 14. cap. 6.)

cap. 6.) Creſcente vero cordis affectu, peccati malitia gravior eſt. Quamobrem actum externum celando ſæpe non exprimeretur tota peccati malitia; nunquam vero integrum peccatum. Tertio, quia actus externi expreſſo præcepto prohibentur tanquam mali ex objecto, vel circumſtantiis; & *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſi teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem*; (inquit Chriſtus Dominus Matth. 15.) Quarto, quia ex operibus externis gravia interdum ſequuntur incommoda, pravi habitus generantur, detrimenta proximo inferuntur, de quibus judex eſt Sacerdos, qui ſacro pœnitentiæ Tribunali præſidet.

REGULA XLVII.

Eventus ſequens præcogitatus, v. gr. ſcandalum, aut damnum proximi, aut ipſius peccantis, ſi in pluribus & per ſe ſequatur, operis externi malitiam auget.

Quando eventus ex peccato ſequens malitiam operis augeat.

Cum enim aliquis cogitat, quod ex opere ſuo multa mala poſſunt ſequi, nec propterea hoc dimittit, ex hoc apparet voluntatem ejus eſſe magis inordinatam; (inquit *S. Thom.* 1. 2. qu. 20. art. 5.) Si autem eventus ſequens non ſit præcogitatus, ſed tamen per ſe & in pluribus ſequatur ex tali actu, malitiam ejus pariter auget. Manifeſtum eſt enim, meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi, & pejorem, ex quo nata ſunt, plura mala ſequi; (inquit idem S. Doctor.) Si vero per accidens, & in paucioribus, eventus ſequens malitiam actus non auget; quia judicium de re non fertur ſecundum id, quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe. Sicut nec peccatum excuſatur, ſi aliquod bonum ex ipſo ſequi contingat, ſecundum illud *S. Auguſt.* in *Enchiridio* cap. 22. „ Nec mendacium ideo putandum eſt non eſſe peccatum, quia poſſumus alicui prodeſſe mentiendo.

Pec-

Poſſumus enim, & furando aliquando prodeſſe alicui, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum; nec ideo tale furtum quiſque dixerit non eſſe peccatum. Poſſumus, & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura; & ſi vixerit, pœnitendo purganda; nec ideo peccatum tale negabitur adulterium „„. Tale ſcilicet bonum ex peccato per ſe non ſequitur, ſed per accidens.

Eventus porro ex peccato ſequens, præcogitatus, id eſt, prævisus, & volitus cenſetur, interpretative ſaltem (ut loquuntur Theologi) cum impediri debuit, nec tamen eſt impeditus. Si ergo hujuſmodi eventum non præviderit peccator, ſi tamen per ſe, & in pluribus ſequatur ex actu externo peccati, in quod volens prorupit, illum in ſua cauſa voluiſſe cenſetur.

Nocumentum tripliciter ſe habere poteſt ad peccatum.

Hæc Regula confirmatur, & explicatur magis a *S. Thom.* qu. 71. art. 8. „„ Nocumentum, *inquit*, tripliciter ſe habere poteſt ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato, eſt prævisum, & intentum; ſicut cum aliquis aliquod operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur; & tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum eſt per ſe objectum peccati. Quandoque autem nocumentum eſt prævisum, ſed non intentum; ſicut cum aliquis tranſiens per agrum, ut compendioſius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ ſunt ſeminata in agro ſcienter, licet non animo nocendi; & ſic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, ſed indirecte, in quantum ſcilicet ex voluntate multum inclinata ad peccatum procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum ſibi, vel alii, quod ſimpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec eſt prævisum, nec intentum; & tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe; ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ conſequi poſſent, imputantur homini

ad

ad pœnam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, ſi det operam rei illicitæ. Si vero nocumentum per ſe ſequatur ex actu peccati, licet non ſit intentum, nec præviſum, directe peccatum aggravat; quia quæcunque per ſe conſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam peccati ſpeciem. Puta, ſi aliquis publice fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum; quod quamvis ipſe non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum „ „.

Obſervandum tamen cum eodem angelico Doctore, quod etſi gravius nocumentum aggravet peccatum, non ſequitur, quod ex ſolo nocumento gravius peccatum cenſeri debeat; quinimo peccatum per ſe gravius eſt propter inordinationem. Unde non ſequitur, ſi nocumentum maxime locum habet in peccatis contra proximum quod illa ſint graviſſima. Multo major enim inordinatio invenitur in peccatis contra Deum, & in quibuſdam eorum, quæ ab homine contra ſeipſum committuntur. Adde quod, etſi Deo nullus poſſit nocere quantum ad ejus ſubſtantiam; poteſt tamen nocumentum intentare in his, quæ Dei ſunt, ſicut extirpando Fidem, & violando Sacra; quæ ſunt peccata graviſſima.

Gravius peccatum homicida quam fornicator.

Obſervandum ſecundo cum eodem S. Doct. gravius nihilominus peccare homicidam, qui vitam corporis eripit quam fornicatorem, qui mulieri peccatum ſuadet; quamvis ſpirituale nocumentum ſit gravius corporali; & mors animæ ab iſto procurata ſit gravior morte corporis ab illo illata. Ratio hujus exceptionis duplex affertur. Prima, quia homicida intendit directe nocumentum proximi; fornicator autem, qui provocat mulierem, non intendit nocumentum, ſed delectationem. Secunda, quia homicida eſt cauſa per ſe, & ſufficiens corporalis mortis; ſpiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe ſufficiens: *Quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propria voluntate peccando.*

Duplex ratio.

REGULA XLVIII.

Sola cogitatio morosa, seu complacentia, & delectatio de re, quæ mortale peccatum est, ut cogitata, etiam sine animo perficiendi opus externum peccati, mortale peccatum est, nisi delectatio comprimatur, & prava cogitatio repellatur, statim atque ratio periculum animadvertit, vel animadvertere potest.

De peccatis cogitationis.

Hanc Regulam ex *S. Augustin.* eruimus lib. 12. *de Trinitate*, cap. 12. „ Nec sane (*inquit*) cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longe minus, quam si opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum: *Dimitte nobis debita nostra*: faciendumque quod sequitur, atque in Oratione jungendum: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur, ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur; quasi mulierem sine viro posse damnari; absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Meditatoris gratiam remittantur „. Quamvis *S. Augustin.* dicat pro illis cogitationis peccatis orationem Dominicam recitandam, non sequitur, quod venialia duntaxat illa existimaverit, ut patet ex eo loco. Nam pro mortalium etiam remissione, de quibus pœnitentiam egimus, & quæ clavibus Ecclesiæ sub-

A delectationibus illicitis statim avertenda cogitatio, cum earum imagines menti se ingerunt.

ſubjecimus, Dominicam orationem dici teſtatur idem *S. Auguſt.* Enchiridii, cap. 71.

Eamdem Regulam *S. Iſidorus* tradit lib. 2. *De Summo Bono*, cap. 25. „ Bipartita eſt (*inquit*) cauſa peccandi, id eſt, operis, & cogitationis, quorum unum iniquitas dicitur, quod opere geritur; aliud injuſtitia, quod cogitatione admittitur. Prius autem actio re ſecunda eſt, poſtea cogitatio; prius prava opera, poſtmodum deſideria. Viciſſim autem & a cogitatione opera procedunt, & ab opere cogitatio naſcitur. Quamvis etſi ab opere malo quiſque vacet, pro ſolius tamen pravæ cogitationis malitia non erit innocens. Unde & Dominus per Iſaiam: *Auferte* (inquit) *malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Iſai. 1. 16. Non enim ſolum factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicite occurrentibus delectemur. „

Id explicat *S. Thomas*, 1. 2. q. 74. art. 8. diſtinguens delectationem ex cogitatione peccati a delectatione ex ipſo peccato cogitato profecta, v. g. delectationem de cogitatione fornicationis, & delectationem de ipſa fornicatione cogitata. „ Cogitatio ipſa ſecundum ſe, non eſt peccatum mortale, imo quandoque eſt veniale tantum, puta, cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem ſine peccato omnino, puta, cum aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cum vult de ea prædicare, vel diſputare. Et ideo conſequens affectio, & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis, ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum; unde nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur de ipſo actu cogitato, contingit ex hoc, quod affectio ejus eſt inclinata in hunc actum; unde quod aliquis conſentiat in talem delectationem; hoc nihil aliud eſt, quam quod ipſe conſentiat, quod affectus ſuus ſit inclinatus in fornicationem; nullus enim delectatur niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat,

quod

quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale „ „.

Et in reſponſione ad 5. „ „ Etiam conſenſus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, eſt peccatum mortale; non autem conſenſus in delectationem, quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio „ „.

Pertinent autem hujuſmodi cogitationes, & delectationes ad idem genus peccati, ad quod pertinet actus, de quo habetur delectatio.

Ex his perſpicuum eſt, hanc propoſitionem a Clero gallicano in generalibus Comitiis anno 1700. eſſe jure damnatam; „ „ Hinc inferre debemus, eum conſenſum, qui præbetur ſuggeſtionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciſcenda injuria, ſecundum S. Auguſt. non eſſe aliud, quam veniale peccatum, licet ipſe ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, ſit peſſimus, & certiſſimum mortale peccatum „ „.

Hac autem cenſura inuſta eſt: „ „ Hæc Propoſitio quaslibet cogitationes, & delectationes, quas moroſas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, in praxi perniciosa, concupiſcentiam fovet, in tentationem, & in gravius peccatum inducit, contraria, & injurioſa eſt S. Auguſtino.

REGULA XLIX.

Qui peccati mortalis a ſe, vel ab alio committendi, aut commiſſi cogitatione, aut recordatione animum cum voluptate paſcit, mortalis peccati reus eſt.

Cum enim delectatio de aliqua operatione, & ipſa operatio ad idem genus pertineant, ut docet *S. Thom.* ſi opus, de quo quiſpiam delectatur, & cujus cogitatione, vel recordatione, vel narratione animum cum voluptate paſcit, mortale peccatum eſt, ipſa

ipſa quoque delectatio mortale peccatum erit, ſive opus illud ab ipſomet, ſive ab illo commiſſum fuerit, aut committendum. Aliud eſt nihilominus delectari de modo actus, aliud de ipſo actu cogitato. Licet enim delectatio de actu cogitato peccatum mortale cenſeri debeat; non tamen delectatio de modo actus, puta de induſtria furis, vel homicidæ, aut de ingenio, & artibus hominis mulierem impudice amantis, ut ea fruatur, per ſe mortale ſemper peccatum eſt, ſi furtum ipſum, homicidium, fornicatio, vel adulterium, ſimiliave peccata, cum horrore, ac deteſtatione cogitentur, narrentur, vel ab aliis narrata audiantur.

REGULA L.

Qui delectatur cogitatione operis, quod licitum olim ipſi fuit, aut aliquando licitum erit; ſed tamen habita præſentis ſtatus ratione illicitum eſt, & mortale, peccatum lethale committit.

De peccatis cogitationis.

Cum enim delectatio ſequatur operationem, cujus veluti condimentum eſt; & opus, de quo cogitatur, ſit in præſentia illicitum, & lege prohibitum, atque mortale, cogitatio de ipſo opere, ut præſenti, pariter mortale peccatum eſt; præſertim ſi cogitatio hujuſmodi cogitantem exponat periculo peccati nunc committendi. Sic ſponſus, & ſponſa opus conjugale futurum, viduus, & vidua præteritum mente volventes, & ejus quaſi præſentis delectatione animum paſcentes, mortalis peccati rei ſunt; maxime cum hujuſmodi voluptatis recordatione, aut præguſtatione quadam, licet cogitatione & affectutenus, nefarios in ſe libidinis motus excitant, & periculo pollutionis ſe exponunt. Idem eſto judicium de marito, cujus uxor, aut de uxore, cujus maritus eſt abſens; cum delectationes illæ ad opus conjugale non diſponant, & in ſimile periculum conjiciunt cogitantes.

REGULA LI.

Conſenſus in actum peccati procedit a ratione ſuperiori deliberante, & judicante.

De conſenſu in actum peccati.

„„ Hoc ipſo *enim*, quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit; cum vero non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam „„; (inquit *S. Thomas*, 1. 2. q. 74. art. 7.) Unde *S. Auguſt.* lib. 12. *de Trin.* c. 12. ait: „„ Dum huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus, & corporalibus propter rationis officium ratiocinandi vivacitate verſatur, carnalis ille ſenſus, vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi ſe, id eſt, tanquam bono quodam privato, & proprio, non tanquam publico, atque communi, quod eſt incommutabile bonum, tunc velut ſerpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ conſentire, de ligno prohibito manducare eſt. Sed iſte conſenſus, ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris vero auctoritate conſilii, ita membra retinentur, ut non exhibeantur arma iniquitatis peccato; ſic habendum exiſtimo, velut cibum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſione male utendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur; intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum. Neque enim poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt, membra in actum movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, & ſerviat „„. Rationem ſuperiorem intelligo mentem hominis, quatenus æternis rationibus conſpiciendis, vel conſulendis, ſeu legi æternæ adhærere ſcit; rationem vero inferiorem, eamdem quatenus

ad

ad temporalia gubernanda deflectitur. Ratio ſuperior, quæ in ſpecula conſilii præſidet quaſi virili portione, per virum; inferior per mulierem ſignificatur, ut explicat *S. Auguſt.* c. 8. ejuſdem libri.

REGULA LII.

Ratio ſuperior ſemper mortaliter peccat, ſi actus inferiorum virium, quibus conſenſum præbet, ſint peccata mortalia.

Ita docet *S. Thomas*, 1. 2. q. 74. art. 10. hac ratione fretus, quod „ Deliberatus conſenſus in „ his, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia, eſt mor„ tale peccatum „.

REGULA LIII.

Propoſitum perficiendi opus externum peccati ſub iis conditionibus, quibus poſitis nihilominus adhuc mortale peccatum eſſet, mortale peccatum eſt.

Sic mortaliter peccat Sacerdos, qui ex rationis deliberatione, & judicio ait: Niſi rationem ſtatus mei haberem, ego te occiderem; niſi eſſem Presbyter, inebriari non vererer. Peccat mortaliter monachus apud ſe ita ſtatuens: Niſi profeſſionis, habituſque mei rationem haberem, fornicarer. Mortaliter peccat vir nobilis, qui ita eſt affectus, ut in ſingulare certamen deſcendere provocatus, aut eum, a quo læſum ſe putat, provocaret, niſi lex Principis vetaret. Mortaliter peccat quilibet Chriſtianus, cui propoſitum eſt genio, & libidini indulgere, inimicum occidere, aut quodvis aliud opus per ſe malum patrare, niſi mortale peccatum æterno ſupplicio plecteretur. Affectus enim ad peccatum mortale in hujuſmodi hominum animis vivit, ac dominatur; ſiquidem ebrietas, fornicatio, duellum, homicidium, mortalia nihilominus eſſent peccata, Sacerdotio, Monachatu, lege, & edicto Principis, pœnis ipſis tartareis ſublatis.

REGULA LIV.

Mortalis peccati reus eſt, qui optat, ut furtum, fornicatio, vindicta, aut alia, quæ ſunt per ſe mala, divina lege prohibita non ſint, ſive ut illa impune committere liceat.

De malitia voluntatis optantis, ut peccatum impune committere liceret.

Optare enim ut liceat ea committere, quæ lex ipſa naturæ humanis pectoribus a Deo inſcripta prohibet, eſt velle ordinis, ac legis naturalis everſionem; id autem velle deterius eſt, quam naturæ legem ſolum violare; ſicut minus peccat in Principem, qui præceptum ejus violat, quam ſi principatu ſuo illum deturbari, & legum ferendarum auctoritate ſpoliari cupiat. Deum ipſum legis naturæ conditorem non eſſe vellet, qui optat, ut licita ſint, quæ per ſe mala ſunt; quia Deus non eſſet, ſi ſumme Sanctus non eſſet; nec eſſet ſumme Sanctus, ſi quæ per ſe mala ſunt, approbare poſſet, vel eorum licentiam concedere.

REGULA LV.

Sola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis; & ideo quantum mala eſt intentio, tantum etiam mala eſt voluntas.

De malitia intentionis.

Sententia eſt *S. Thomæ*, ipſis ejus verbis expreſſa, 1. 2. qu. 19. art. 8. ad 4. Et in 2. Sentent. diſt. 40. q. 1. art. 2. „ „ Malitia (*inquit*) voluntatis ſufficit ad hoc, quod actus malus eſſe dicatur, quia quod malo fine agitur, malum eſt; non autem bonitas voluntatis intendentis ſufficit ad bonitatem actus; quia actus poteſt eſſe de ſe malus, qui nullo modo bene fieri poteſt. *Et rurſus* 1. 2. *q.* 19. *art.* 7. *ad* 2. voluntas non poteſt dici bona, ſi ſit intentio mala cauſa volendi. Qui enim vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam conſequendam, vult id, quod de ſe eſt bonum ſub ratione mali, & ideo prout eſt volitum ab ipſo, eſt malum; unde voluntas ejus eſt mala „ „.

Hanc

Hanc Regulam Chriſtus ipſe tradidit, dicens: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Quia (*inquit S. Greg. magnus*) „ Cum „ perverſa intentione, quid vel rectum agitur, etſi „ ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen „ tamen interni Judicis obſcuratur „. Luc. 11. 34.

REGULA LVI.

In his, quæ per ſe mala ſunt, bona intentio peccatum non excuſat ex toto, quamvis interdum in eodem genere levius efficiat.

An bona intentio malum opus excuſet.

Ut enim ait *S. Auguſt.*, libr. *contra Mendacium*, cap. 8. „ „ Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſeipſa peccata; ſicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide, ſicut concubitus conjugalis, quando fit cauſa generandi, ſi ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc, atque hujuſmodi ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona, vel mala; quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur, velut ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur; aut laſciviæ cauſa cum uxore concumbitur; aut filii generantur, non ut Deo, ſed ut diabolo nutriantur. Cum vero jam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemia, vel cætera talia; quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, ut vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint? Quis eſt, qui dicat, ut habeamus, quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus; aut teſtimonia falſa vendamus, maxime ſi non inde innocentes læduntur, ſed nocentes potius damnaturis Judicibus eruuntur? Duo enim bona fiunt hujus venditione mendacii, ut & pecunia ſumatur, unde inops alatur, &

Judex fallatur, ne homo puniatur. Teſtamenta etiam, ſi poſſumus, cur non vera ſupprimimus, & falſa ſupponimus, ut hæreditates, vel legata non habeant indigni, qui nihil ex eis operantur boni, ſed hi potius, a quibus eſurientes paſcuntur, nudi veſtiuntur, peregrini ſuſcipiuntur, captivi redimuntur, Eccleſiæ conſtruuntur? Cur enim non fiant illa mala propter hæc bona, ſi propter hæc bona nec illa ſunt mala? Jam vero ſi aliquæ immundæ, & divites feminæ videantur amatores, & ſtupratores ſuos inſuper ditaturæ, cur non & has partes, atque artes ſuſcipiat vir miſericors, quibus pro tam bona cauſa utatur, ut habeat, unde indigentibus largiatur? Siquidem non ſolum ipſum furtum, verum etiam falſum teſtimonium, & adulterium, & omne opus malum non erit malum, ſed bonum, ſi ea cauſa perpetretur, ut ſit, unde fiat bonum. Quis iſta dicat, niſi qui res humanas, omneſque conatur mores, legeſque ſubvertere? Quod enim ſceleratiſſimum facinus, quod turpiſſimum flagitium, quod impiiſſimum ſacrilegium non dicatur poſſe fieri recte, atque juſte, nec impune tantum, verum etiam glorioſe, ut in eo perpetrando non ſolum ſupplicia nulla timeantur, ſed ſperentur & præmia; ſi ſemel conceſſerimus in omnibus malis operibus hominum, ideo non quid fiat, ſed quare fiat eſſe quærendum, ut quæcunque propter bonas cauſas facta inveniuntur, nec ipſa mala eſſe judicentur „ „.

Et cap. 8. „ „ In ſuo quippe genere (*inquit*) alia ejuſdem generis peccata leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti; cum tamen & ipſa alterius generis peccatis ipſo ſuo genere levioribus inveniantur eſſe graviora. Gravius eſt enim avaritia, quam miſericordia furtum facere; itemque ſtuprum gravius eſt luxuria, quam miſericordia perpetrare; & tamen gravius eſt adulterare miſericordia, quam furari avaritia „ „.

REGULA LVII.

Omne opus, quod virtuali saltem intentione ad Deum non refertur, malum est.

Præceptum omnia opera nostra ad Deum referendi.

Hujus enim intentionis, & relationis defectu sive omissione violatur præceptum, quo omnia nostra opera ad Deum, ut ad finem ultimum referre tenemur. Illud autem est præceptum charitatis, quo Deum *ex toto corde* diligere debemus. „ Ad quod „ pertinet, ut omnia referantur in Deum; ideo præ„ ceptum charitatis impleri non potest, nisi etiam „ omnia referantur in Deum „ (*inquit S. Thomas*; 1. 2. qu. cap. art. 10. ad 2.) Et qu. 102. art. 6. ad 7. *Cœlestis intentio* (inquit) *omnibus operibus nostris debet adjungi.*

De operibus nostris ad Deum referendis.

Illud ipsum præceptum omnia opera nostra ad Deum referendi colligitur ex apostolicis Epistolis; 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et cap. ultimo; *Omnia vestra* (inquit) *in charitate fiant.* Ad Col. 3. *Omne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Quibus verbis non merum consilium, sed præceptum omnia opera nostra, ex deliberatione facta ad Deum virtute saltem referendi contineri, multis in locis docet *S. Thomas.*

Quidquid in usu rerum temporalium rationabiliter facimus, æternorum contemplatione faciendum est. Rom. 12.

Idem confirmat *S. Augustin.* lib. 11. *De Trinitate*, cap. 5. „ „ Nisi pars maxima voluntatis (*inquit*) in superioribus, atque interioribus habitet, eaque ipsa, quæ commodatur, sive foris corporibus, sive intus imaginibus eorum, nisi quidquid in eis capit, ad meliorem, verioremque vitam referat, atque in eo fine, cujus intuitu hæc agenda judicat, adquiescat, quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus fácere prohibet, dicens: *Nolite conformari huic sæculo* „ „ ?

Æternis inhærendum, per temporalia transeundum.

Et lib. 12. *De Trinitate*, cap. 13. „ „ Apparet, cum secundum Deum vivimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate, proficienter debere formari. Quidam vero ra-

tionalis intentionis noſtræ, hoc eſt ejuſdem mentis, in uſum mutabilium, corporaliumque rerum, ſine quo hæc vita non agitur, dirigendum, non ut conformemur huic ſeculo, finem conſtituendo in bonis talibus, & in ea detorquendo beatitudinis appetitum; ſed ut quidquid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum contemplatione faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes „„.

Boni operis caracter.

Et lib. *de Catechizandis Rudibus*, cap. 11. „„ Tunc eſt vere opus bonum, cum a charitate jaculatur agentis intentio; & tanquam ad locum ſuum rediens rurſus in charitate requieſcit „„.

Ejuſdem ſpeciei opera pro intentionis bonitate, vel pravitate bona ſunt, vel mala.

Ejuſdem ſpeciei opera a diverſis hominibus edita, pro intentionis bonitate, vel pravitate bona eſſe, vel mala, præmio digna, vel ſupplicio, docet idem S. Doctor Ep. 93. alias 48. ad *Vincentium Rogatiſtam*, cap. 2. „„ Cum boni, & mali eadem faciunt (*inquit*) eademque patiuntur, non factis, & pœnis, ſed cauſis utique diſcernendi ſunt. Pharao populum Dei duris laboribus atterebat; Moyſes eumdem populum impie agentem duris coercitionibus affligebat: ſimilia fecerunt, ſed non ſimiliter prodeſſe voluerunt; ille dominatione inflatus; iſte dilectione inflammatus eſt. Jezabel occidit Prophetas; Elias occidit Pſeudoprophetas. Puto quod diverſa ſint merita facientium, diverſa paſſorum. Adſpice etiam tempora novi Teſtamenti, quando jam ipſa manſuetudo charitatis non ſolum in corde erat ſervanda, verum etiam in luce monſtranda, quando Petri gladius in vaginam revocatur a Chriſto, & oſtenditur non debuiſſe de vagina eximi nec pro Chriſto. Legimus tamen non ſolum, quod cæciderunt Judæi Paulum Apoſtolum, verum etiam, quod cæciderunt & Græci pro Paulo Apoſtolo Soſthenem Judæum; nonne ſimilitudo facti quaſi utroſque conjungit, & tamen eos cauſæ diſſimilitudo diſcernit? Nempe Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; nempe de filio ipſo dicitur: *Qui me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me*: Nempe & de

Galat. 2.

Juda

Juda dicitur, quod introivit in eum ſatanas, ut traderet Chriſtum. Cum ergo & pater tradiderit filium ſuum, & ipſe Chriſtus corpus ſuum, & Judas Dominum ſuum, cur in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus, niſi quia in re una, quam fecerunt, cauſa non una eſt, ob quam fecerunt? Tres cruces in uno loco erant; in una latro liberandus; in alia latro damnandus; in media Chriſtus, alterum liberaturus, alterum damnaturus; quid ſimilius iſtis crucibus? Quid diſſimilius iſtis pendentibus? Traditus eſt Paulus includendus, & colligandus, ſed quolibet cuſtode carceris pejor eſt utique ſatanas, cui tamen ipſe Paulus tradidit hominem in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu. Et hic quid dicimus? Ecce mitiori tradidit crudelis traditor; crudeliori tradidit miſericors traditor. Diſcamus, frater, in ſimilitudine operum diſcernere animos operantium „ „.

REGULA LVIII.

Omne opus deliberatum, quatenus in individuo ſpectatur, ſive quatenus exercetur, bonum, vel malum eſt, nullum omnino indifferens.

Humana opera indifferentia nulla ſunt in individuo ſpectata.

Hæc Regula conſectarium eſt præcedentis. *Cum* enim rationis, ſit ordinare (inquit *S. Thomas*, 1. 2. q. 18. art. 9.) „ „ Actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem, convenit cum ordine rationis; unde habet rationem boni. Neceſſe eſt autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde neceſſe eſt, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo conſideratum, bonum eſſe, vel malum „ „.

Tunc cupiditas eſt, cum propter ſe amatur creatura.

Hanc doctrinam ex *S. Auguſt.* lib. 2. *de Peccatorum Meritis, & Remiſſione*, cap. 18. auxit Doctor angelicus, dicente: „ „ Quamquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit; aut enim juſtitiam diligimus, &

bona eſt; & ſi magis diligimus, magis bona; ſi minus, minus bona eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? *Et lib.* 9. de Trinitate, *cap.* 7. Nemo volens aliquid facit, quod non in corde ſuo prius dixerit; quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ, ſive Creatoris, id eſt, aut natura mutabilis, aut incommutabilis veritatis; ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non ſit amanda creatura, ſed ſi ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, ſed charitas erit. Tunc enim eſt cupiditas, cum propter ſe amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, ſed corrumpit fruentem „„.

Otioſa verba peccata ſunt multo magis opera, quæ propter Deum non fiunt.

II. Confirmatur; omne verbum deliberate prolatum vel bonum, vel malum eſt, nullum omnino indifferens. Vel enim otioſum eſt, vel fructuoſum, utile, honeſtum; ſi otioſum ſit, peccatum eſt, quia *De eo reddent homines rationem in die judicii* (ut ait Chriſtus Matth. 12.) Si utile, & honeſtum, moraliter bonum eſt. Multo magis igitur omne opus deliberatum eſt bonum, vel malum, nullum prorſus indifferens. Verbum enim utile, & honeſtum eſt, quod propter bonum finem profertur; otioſum vero, quod non refertur ad bonum finem, ut explicant SS. Patres. S. Baſilius in *Regulis brevioribus*, ad interrogationem 13. „„ Omne verbum, quod ad propoſitum in Domino uſum non facit, otioſum eſt; & tantum eſt illius periculum, ut licet ex genere bonum ſit, niſi ad ædificationem dirigatur, immunem non faciat „„. S. Ambr. in Pſalm. 38. „„ Quomodo (*inquit*) propoſuerit S. Propheta David, aut propter quid cuſtodire vias ſuas, audiamus: *Ut non*, inquit, *delinquam in lingua mea.* Si hoc caveat Propheta, tu non caves?... Tu non reformidas, cui ſcriptum eſt in Evangelio, quia pro omni otioſo verbo rationem es redditurus? Si pro otioſo verbo periculum eſt, quanto magis pro criminoſo?

Non

Non omne, quod otioſum, eſt criminoſum; ſed omne, quod non fructuoſum, periculoſum, atque eradicabile; omnis enim arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur „„. S. Hier. in cap. 12. S. Matthæi: „„ Otioſum verbum eſt (*inquit*) quod ſine utilitate & audientis dicitur, & loquentis; ſi omiſſis ſeriis, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterum qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert turpitudinis; hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus „„. S. Greg. magnus lib. 7. *Moralium*, cap. 17. „„ Otioſum verbum eſt, quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioſo ſermone exigitur, penſandum valde eſt, quæ pœna illud multiloquium ſequatur, in quo etiam per ſuperbiæ verba peccatur „„. Idem repetit *Paſtoralis Curæ* p. 3. Admonitione 15. Quamobrem cum opera majoris ſint momenti quam verba, ſi ob rectum finem non fiant, otioſa & ipſa ſunt, quamvis ex genere ſuo bona ſint.

III. Præterea opera noſtra omnia Deo debemus, qui debemus & nos ipſos, totos quanti ſumus, & titulo creationis, & titulo redemptionis. „„ Quid *igitur* retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quod ſi totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Si quidem non ſolum de me, ſed de omni quoque, quod factum eſt, ſcriptum eſt: Dixit, & facta ſunt. At vero qui me tantum, & ſemel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, ſed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe; & ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? Nam etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum „„? Verba ſunt *S. Bernardi* in Tract. *De diligendo Deo*, cap. 5. Nonne ſervus Domi-

Omnia opera noſtra Deo debentur.

mino debet, quidquid operis facit? Servi Chriſti ſumus, non ſumus noſtri, ſed empti ſumus pretioſo ſanguine agni immaculati; quidquid ergo facimus, Chriſto debemus, & in nomine ipſius, ad ejuſque gloriam facere debemus.

Rectæ intentionis in omnibus operibus noſtris neceſſitas.

IV. Ex his perſpicuum eſt, quam ſit operæ pretium omnes actiones noſtras recta intentione exercere, ac perficere, atque actionibus, paſſionibus, & morte Chriſti per affectum pietatis conjunctas Deo offerre, ſiquidem non ſolum nullum earum meritum eſt, abſque recta intentione; ſed nec abſolute, & ex omni parte bonæ ſunt, niſi ad Deum virtute ſaltem referantur, id eſt, vi prioris intentionis, ante operis initium elicitæ, nec revocatæ. aut interruptæ, adeoque in ipſius actionis decurſu perſeverantis. Unde *S. Greg.* lib. 28. *Moralium*, cap. 6. *ait*: „„ Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam ſe in ſoliditate æternitatis figat; ne ſi extra fundamentum actionis noſtræ fabrica ponitur, terra dehiſcente ſolvatur. Unde hic quoque apte ſubjungitur: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt*? Baſes quippe uniuſcujuſque ſunt animæ intentiones ſuæ. Nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus inituntur, ita vita noſtra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione ſubſiſtunt. Et quia ſcriptum eſt: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Tunc baſes in fundamento ſunt, cum intentiones noſtræ in Chriſto roborantur. Incaſſum vero ſuper ſe baſes ædificia erigunt, ſi non ipſæ in fundamento ſolidatæ conſiſtunt; quia nimirum quamlibet ſumma opera inaniter faciunt, ſi intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & vitæ veræ præmia non requirunt „„. Non ſufficit ergo, ut opus virtute in Deum referre cenſeatur, ſi quis ineunte anno, vel menſe, vel etiam die, omnia, quæ editurus eſt, opera generali quadam intentione referat ad Deum, ſed neceſſe eſt, ut illud ipſum opus particulare, quod ſuſcipit, propter Deum

1. Cor. 3.

aggre-

aggrediatur, illudque ipſi offerat, & ad ejus gloriam perficere velit; ut docent *S. Bonavent.* in 2. Sent. diſt. 41. q. 3. art. 1. poſt ipſum Cardinalis *Bellarminus* lib. 5. *de Juſtificatione*, cap. 15. Vir chriſtianus, qui ita ſe gerit, implet illud Davidis, Pſal. 34. *Et lingua mea* (inquit) *meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.* Quid enim eſt tota die Deum laudare? Omnia opera ſua propter Deum facere. *Quidquid egeris, bene age* (inquit S. Auguſt.) *& laudaſti Deum.* Ad omnes itaque Chriſtianos ſpectat, quod ſcribit ille ad *Eudoxium* Abbatem, & ejus Monachos Ep. 48. alias 81. „ „ Omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus; atque ita fervete ſpiritu, ut in Domino laudetur anima veſtra. Ipſa eſt enim actio recti itineris, quæ oculos ſemper habet ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida eſt otio, nec turbulenta, nec marcida eſt; nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens „ „. Enar. in hunc Pſ.

V. Ab hac Regula non aberrat *S. Greg. Nazianz.* Oratione 3. contra *Julianum*, cap. 94. ſcribens: „ „ Quemadmodum quiſquis ſupplicio dignus eſt, non idem ſtatim laudem, & prædicationem meretur; eodem modo nec quiſquis laude, & prædicatione dignus eſt, idem confeſtim pœnam quoque meretur; ſed Philoſophiæ noſtræ, viriumque humanarum finibus nos ipſos continere, ſicque id, quod recte, & ex virtute geritur, exigere debemus „ „. His enim verbis non ſignificat *S. Greg. Nazianz.* opera plena cum deliberatione edita indifferentia eſſe poſſe, id eſt, nec bona, nec mala moraliter; ſed ſolum diſcrimen intercedere inter conſilia Evangelica, & præcepta, quod negabat Julianus. „ „ Ad hæc (*inquit*) quomodo illud non advertis, quod in legibus noſtris alia parendi neceſſitatem imponunt, nec ſine periculo prætermitti poſſunt; alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in arbitrio, & voluntate poſita ſunt, ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea cuſtodierint, honore, & præmiis afficiantur, qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimeſcant „ „. Objectiones occupantur.

VI. Ne-

VI. Neque etiam hanc Regulam concutiunt *S. Hieron.* verba, Ep. 89. ad *S. Auguſt.* ſcribentis: „ „ Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, capitis naribus purgamenta projicere, &c. hoc nec bonum, nec malum; ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam „ „. His enim verbis id unum ſignificat *S. Hieron.* aliqua eſſe opera, quæ nullius momenti ſunt ad ſalutem, & quæ ut ſine merito fieri, ita ſine ſalutis æternæ periculo poſſunt omitti. Iſtius porro generis non fuiſſe veteris Legis cæremonias poſt mortem Chriſti, ſed obſervantibus pernicioſas fuiſſe. „ „ Id quid velis dicere, ſine ulla ſalutis neceſſitate, non ſatis intelligo. Si enim ſalutem non afferunt, cur obſervantur? Si autem obſervanda ſunt, utique ſalutem afferunt, maxime quæ obſervata Martyres faciunt. Non enim obſervarentur, niſi afferrent ſalutem. Neque enim indifferentia ſunt inter bonum, & malum, ſicut Philoſophi diſputant; bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, &c „ „. Hoc duntaxat ſenſu, opera quædam indifferentia *S. Hieron.* agnoſcit, quod nullius momenti ſint ad ſalutem, quia & ſine merito fieri, & ſine peccato, atque periculo ſalutis poſſunt omitti; ſed non aſſerit hujuſmodi opera, cum deliberate fiunt, ſi ad finem honeſtum, & rectæ rationi convenientem, & ad finem ultimum virtute ſaltem non referantur, ſed propter ſolam voluntatem fiant, a peccato prorſus immunia eſſe. *S.* autem *Auguſt.* Hieronymo reſpondens fatetur quidem cæremonias illas nec bonas fuiſſe, nec malas, ſed eo ſenſu indifferentes, quod nec hominem juſtificarent, nec tamen reum facerent, quia erant a Deo præceptæ. „ „ Cur autem non dicam, præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona eſſe, quia non eis homines juſtificantur; umbræ enim ſunt prænuntiantes gratiam, qua juſtificamur; nec tamen mala, quia divinitus præcepta ſunt „ „? Verum non patitur *S. Auguſt.* ut opera quædam Philoſophorum

ſen-

ſenſu indifferentia dicantur, ita ut nec bona ſint, nec mala. „ „ Sed cavendum eſt (*inquit*) in hac diſputatione, ne ſicut Philoſophi, quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur „ „. Sic ille Ep. 92. alias 19. ad *S. Hieronymum.*

REGULA LIX.

Peccata ſpiritualia, cæteris paribus, graviora ſunt peccatis carnalibus, quamvis iſta ſint majoris infamiæ.

Hæc Regula colligitur ex *S. Greg.* lib. 13. *Moralium*, cap. 26. cujus triplicem rationem aſſignat *S. Th.*, 1. 2. q. 73. art. 5. Prima petitur ex parte ſubjecti; nam peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cujus eſt ad Deum converti, & ab eo averti; peccata vero carnalia conſummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem imprimis pertinet converſio ad bonum corporale. Et ideo peccatum carnale majorem converſionem ad creaturam includit; propter quod etiam *eſt majoris adhæſionis*; ſed peccatum ſpirituale majorem averſionem a Deo involvit, ex qua culpæ gravitas æſtimatur. Quamobrem peccatum ſpirituale gravius eſt. Ratio altera ſumitur ex parte ejus, in quem peccatur. Nam peccatum carnale eſt in corpus proprium, juxta illud Apoſt. 1. ad Cor. 6. *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Corpus autem proprium minus diligendum eſt ſecundum ordinem charitatis, quam Deus, & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia; & ideo peccata ſpiritualia graviora ſunt, & *majoris culpæ*. Tertia ratio petitur ex parte propenſionis, & impulſus ad peccandum. Quia quanto gravius eſt pondus, & major impulſus ad peccandum, tanto minus peccatum eſt; ad peccata autem carnalia gravius eſt pondus, & vehementior impulſus,

Peccatorũ ſpiritualiũ & carnalium comparatio.

ſus, ipſa nempe concupiſcentia carnis nobis ingenita. Quamobrem ſpiritualia peccata, cæteris paribus graviora ſunt. De peccato tamen luxuriæ magis gaudere diabolus dicitur, quia *eſt majoris adhærentiæ, & difficile ab eo homo poteſt eripi* (inquit S. Thomas.)

Cæcitas eorum, qui peccata carnalia contemnunt. 1. Cor. 3. 16. 17. Iſ. 43. 6.

Nemo tamen dicat in corde ſuo: „„ Peccata carnis non curat Deus. *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Nemo ſe fallat. Sed forte ait aliquis, templum Dei animus meus eſt, non corpus meum; adjecit etiam teſtimonium: *Omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis, ut flos fœni.* Infelix interpretatio, punienda cogitatio! Fœnum dicta eſt caro, quia moritur; ſed quod ad tempus moritur, non reſurgat cum crimine. Vis noſſe apertam etiam inde ſententiam? *Neſcitis*, inquit idem Apoſtolus, *quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis a Deo?* Jam non contemnatis corporalia peccata, contemnebas corporale peccatum, contemnis, quod peccas in templum? Ipſum corpus tuum templum in te eſt Spiritus Dei; jam vide, quid facias de templo Dei. Si eligeres in Eccleſia facere adulterium intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? Modo autem tu ipſe es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum ſurgis. Vide, quid agas, vide, ne offendas templi Habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam vertaris. *Neſcitis* (inquit) *quia corpora veſtra*; (& hoc de fornicatione loquebatur Apoſtolus, ne contemnerent corporalia peccata) *Templum in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno.* Si contemnis corpus tuum, conſidera pretium tuum „„. Verba ſunt *S. Auguſt.* Serm. 82. alias 16. *De verbis Domini*, cap. 9.

1. Cor. 6.

RE-

REGULA LX.

Peccatum fit gravius ex conditione perſonæ, in quam peccatur.

Hæc Regula eſt *S. Thomæ*, 1. 2. qu. 73. art. 9. Ratio eſt, quia perſona, in quam peccatur, eſt quodammodo objectum peccati: at gravitas peccati ex objecto æſtimatur. Perſona porro, in quam peccari poteſt, triplex eſt: Deus, nos ipſi, & proximus. Quamobrem: Major peccatorum gravitas, unde repetatur.

Gravius eſt peccatum, non ſolum quod directe in Deum committitur, iis, quæ in nos ipſos, vel in alios perpetramus; verum & eo gravius eſt, quo in perſonam Deo magis conjunctam peccatur, ſive ratione virtutis, & pietatis, ut in homines ſanctos, & juſtos, ſive ratione officii, & ſtatus, ut in Sacerdotes, & Viros religioſos. Injuria nempe his perſonis illata magis in Deum redundat, ſecundum illud Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Et 3. *Regum* 19. *Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio.*

Ex parte ſui ipſius tanto aliquis gravius peccat, quanto in perſonam magis conjunctam, ſeu naturali neceſſitudine, ut in parentes, conſanguineos, affines; ſeu beneficiis, ſeu quocunque alio vinculo; ſic enim in ſeipſum gravius peccat, ſecundum illud Eccl. 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit?* Hinc Scriptura ſacra ſpeciatim damnat peccata in perſonas propinquas perpetrata. Michææ 7. *Filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum ſuam; & inimici hominis domeſtici ejus.*

Ex parte vero proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum plures tangit; & ideo peccatum quod fit in perſonam publicam, v. gr. Regem, aut Principem, qui gerit perſonam totius reipublicæ, gravius eſt peccato, quod committitur contra perſonam privatam. Unde Exod. 22. dicitur: *Principi populi tui non maledices.* Et ſimiliter injuria, quæ fit alicui perſonæ inſigni, & celebri, gravior eſſe videtur, quia *In ſcandalum, & in tribulationem plurimorum redundat.*

REGULA LXI.

Alienorum peccatorum pluribus modis participes eſſe poſſumus, ſcilicet cooperatione, auxilio, conſilio, conſenſu, juſſione, favore, ſuaſione, adulatione, ſilentio, prava doctrina, & malo exemplo.

Apoſtolus enim recenſitis graviſſimis peccatis ad *Rom.* 1. ait: *Qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Ad Epheſ. 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Matth. 18. ait Chriſtus: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a ſcandalis.* Iſai. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.* Ezech. 13. *Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Matth. 15. *Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

Quinam ſint alienorum peccatorum participes.

Quamobrem alienorum ſunt peccatorum participes, qui ipſis cooperantur, & auxilium præbent, v. gr. qui in ſingulari certamine amicis comites, & adjutores ſe adjungunt, aut eorum nomine provocant adverſarium. Qui ſuam aliis operam locant, vel dant gratis ad homicidium perpetrandum, vel ad verberandum proximum, ſeu ad damnum quodlibet corpori, bonis, famæ, ac imprimis animæ cujuſpiam inferendum; qui ad expugnandam mulieris alicujus pu-

pudicitiam, ad litem injuſtam proſequendam, cauſamque vincendam, auxilium, patrocinium, favorem præbent: qui fures recipiunt; vel cum poſſint, ac debeant, non deferunt ad magiſtratus; qui res alienas cum ipſis dividunt, conſumunt, ſervant, vel celant; qui peccata quælibet non impediunt, non prohibent pro viribus, non arguunt, cum ex officio teneantur, ut Prælati, Principes, Magiſtratus, Patres-familias; ſed conniventia ſua, & ignavia peccatores fovent in crimine. Alienorum ſunt participes peccatorum, quicunque filiis, aut ſervis auctores ſunt imperio, conſilio, vel conſenſu, ut peccatum aliquod committant. Idemque judicium eſto de Ducibus reſpectu militum. Nam *Qui facit per alium, eſt perinde, at ſi faciat per ſeipſum*, ut habet Regula juris. Item quicunque dolo, vi, metu, lenocinio, adulatione alios ad peccatum impellunt, vel allíciunt, aut occaſionem peccandi ſubminiſtrant; qui a Statu religioſo, a Clericatu, a S. Virginitatis profeſſione, abſque legitima cauſa, alios avocant; qui a frequentatione Sacramentorum, a quolibet pietatis opere, quempiam deterrent, aut abducunt; qui monachos, aut moniales ab Ordine, provincia, monaſterio, in quibus ſtrictior obſervantia viget, ad laxioris, & mollioris vitæ inſtitutum transferunt, vel transferri curant, abſque juſta cauſa. Item qui a Deo non vocatos, aut ferendis vitæ religioſæ oneribus impares, in monaſteria protrudunt invitos, aut recipiunt. Qui dignitatem aliquam, aut officium procurant iis, quos ſcientia, induſtria, probitate, aliiſve dotibus ad illud recte gerendum, & exercendum neceſſariis inſtructos non eſſe norunt; & præſertim, qui ad eccleſiaſtica beneficia indignos nominant, eligunt, aut confirmant, imo non nominant, eligunt, inſtituunt, vel confirmant digniores. Idem eſto de monaſticis Præfecturis judicium. Alienorum etiam peccatorum ſunt participes, qui falſam, erroneam, periculoſam, aut ſcandaloſam doctrinam, in materia fidei, aut morum diſſeminaverint, vel docuerint.

Item Confeſſarii, qui pro gravioribus peccatis leves pœnitentias injungunt, aut Abſolutionem ſacramentalem non recte diſpoſitis impertiunt. Denique alienorum ſunt participes peccatorum mulieres, quæ fucis, & pigmentis, vanique ornatus luxu, & pompa, hominum oculos, & animos in ſe convertere geſtiunt; & quicunque pravo exemplo alios ad ſuorum peccatorum imitationem pertrahunt, vel alliciunt; ii præſertim, qui majoris ſunt auctoritatis, & qui aliis probitatis, virtutis, & ſanctimoniæ exempla præbere debent ratione ſui ſtatus, ordinis, vel officii; vel qui probitatis famam obtinuerunt. Hi enim pravis exemplis tribuunt ſimiliter peccantibus auctoritatem; & quamdam, licet inanem, & injuſtam excuſationis occaſionem. Inanem dico, quia debemus attendere ad legem Dei, non ad exempla hominum, nec in majorum peccatis quærere debemus nobis patrocinia peccandi. Hinc *S. Auguſt.*, Enar. in Pſ. 50. de lapſu Davidis agens: „ Multi (*inquit*) cadere volunt cum David, & nolunt ſurgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propoſitum eſt, ſed ſi cecideris, reſurgendi. Attende, ne cadas; non ſit delectatio minorum lapſus majorum, ſed ſit caſus majorum tremor minorum. Ad hoc propoſitum eſt, ad hoc ſcriptum eſt, ad hoc in Eccleſia ſæpe lectum, atque cantatum: Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant. Audiant qui ceciderunt, ut reſurgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Eccleſia. Audiunt male audientes, & quærunt ſibi patrocinia peccandi, attendunt, unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant, quod non commiſerunt, & dicunt, ſi David, cur non ego? Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia David fecit, ideo pejus, quam David fecit. David nullum ſibi ita ad exemplum propoſuerat, ut tu; ceciderat lapſu cupiditatis, non patrocinio ſanctitatis. Tu tibi tanquam ſanctum proponis, ut pecces, non imitaris ejus ſanctitatem, ſed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod

In majorum peccatis quærere non debemus patrocinia peccandi.

quod in ſe odit David. .. Librum Dei, ut pecces, inſpicis; Scripturas Dei ad hoc audis, ut facias, quod diſplicet Deo. Hoc non fecit David; correptus eſt per Prophetam, non lapſus eſt in Propheta „ „.

Obſervandum tamen, non ita nos participes dici alienorum peccatorum, quod nobis extrinſecus duntaxat imputentur, ut pro illis puniamur: *Sed* quia his, quos explicui, modis noſtra fiunt. „ „ Quiſquis enim conſenſerit peccatori, non alienis, ſed ſuis gravatur. Conſenſio enim ad peccatum alterius tuum fit peccatum; & non eſt quare quæraris, quod peccata aliena te premant. Dicitur enim tibi: Premunt te, ſed tua. Vidiſti furem, cucurriſti cum eo. Quid eſt hoc? Pedibus ambulaſti ad furtum; imo mente conjunxiſti te furi; quod ipſius ſolum erat, factum eſt & tuum; quia placuit tibi „ „. Verba ſunt *S. Auguſt.*, Enar. in Pſ. 129.

Hujus explicationem Regulæ concludant præclaræ ejuſdem S. Doctoris ſententiæ. 1. lib. *de Moribus Manichæorum*, cap. 17. „ Nihil intereſt, utrum ipſe ſcelus „ admittas, an propter te ab alio admitti velis „.

Altera lib. 3. *de libero Arbitrio*, cap. 10. „ „ Cum duæ ſint origines peccatorum, una ſpontanea cogitatione, alia perſuaſione alterius, quo pertinere arbitror, quod Propheta dicit: *Ab occultis meis munda me* Pſ. 18. 13. *Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Utrumque voluntarium eſt quidem; nam ſicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum conſentit male ſuadenti, non utique niſi voluntate conſentit; ſed tamen gravius eſt, non ſolum nullo ſuadente propria cogitatione peccare, ſed etiam peccandum alteri per invidentiam, dolumque ſuadere, quam ad peccandum alterius ſuaſione traduci „ „.

REGULA LXII.

Peccata ex ſubreptione provenientia propter infirmitate m humanæ naturæ, minus imputantur illis, qui virtute ſunt præſtantiores.

Peccata ſubreptionis quibus minus imputentur.

Minus enim negligunt hujuſmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino vitare infirmitas humana non ſinit; (inquit *S. Thom.* 1. 2. qu. 73. art. 10.) quod de peccatis præſertim venialibus intelligendum eſt. Hinc *Ezechias* Rex orans pro ſubditis poſt celebrationem Paſchæ, ad quam eos ex univerſis regni partibus convocaverat, 2. Paral. 30. *Dominus bonus* (inquit) *propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum ſuorum; & non imputabit eis, quod minus ſanctificati ſunt.*

REGULA LXIII.

Peccata ex deliberatione commiſſa tanto graviora ſunt, quanto perſona peccans major eſt.

Unde major gravitas peccatorum ex deliberatione commiſſorum repetatur.

Prime, quia facilius poſſunt reſiſtere peccato majores, qui nimirum ſcientia, & virtute cæteris antecellunt. Und Dominus ait Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non feciit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

Secundo, propter ingrati animi vitium; quia omne bonum, & meritum, quo inſignis, & cæteris excellentior fit homo, Dei beneficium eſt, in quem ingratus eſt peccando. Unde quælibet excellentia, & magnitudo, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat ſecundum illud Sap. 6. *Horrende & cito apparebit vobis; quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.*

Quanto major perſona peccat, tanto gravius peccatum eſt.

Tertio, propter ſingularem repugnantiam actus peccati cum magnitudine perſonæ peccantis; ſicut ſi Princeps juſtitiam violet, qui juſtitiæ cuſtos, & vindex a Deo conſtitutus eſt; & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vovit.

Oſee 9.

Quarto, propter pravum exemplum, ſive ſcandalum. „ „ Hinc ſcriptum eſt per Prophetam: *Laqueus ruinæ populi mei Sacerdotes mali.* Nemo quippe amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſe agens, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc

hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, ſi veritatis ſententiam ſolicita cordis aure penſarent, quæ ait: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. 6. Per molam quippe aſinariam, ſecularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur; & per profundum maris extrema damnatio deſignatur. Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo cæteros deſtruit, vel exemplo; melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quam ſacra Officia in culpa cæteris imitabilem demonſtrarent; quia nimirum ſi ſolus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret „„ (*inquit S. Gregorius magnus* p. 1. *Paſtoralis*, cap. 2.) Hanc Regulam quadruplici ratione firmatam tradit *S. Thomas*, 1. 2. qu. 73. art. 10.

Hanc confirmat *S. Iſidorus Hiſpalenſis* lib. 2. *Sentent.* ſive *de Summo Bono*, cap. 18. „„ Tanto majus (*inquit*) cognoſcitur peccatum eſſe, quanto major, qui peccat, habetur. Creſcit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, & ſæpe quod minoribus ignoſcitur, majoribus imputatur „„. Hinc ad peccati filii ſui *Ruben*, qui paternum cubile violaverat, gravitatem oſtendendam, *Gen.* 49. præmittit Jacob: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei; prior in donis, major imperio.* Quod propterea facit, *Ut gravius notetur in crimine, qui virtus patris habebatur;* ut obſervat *Origenes* Hom. 17. in Geneſim. Hinc Ducem de tribu Simeonis cum filia Principis Madianitarum fornicationi indulgentem *Phinees* interfecit, ut refertur num. 25. *Ut oſtenderet carnales illecebras in eminentioribus perſonis acrius perſequendas*; inquit *B. Petrus Damiani* Ep. 6. lib. 1. ſimilem etiam rationem reddens, cur propter fornicationis crimen omnibus commune juſſum fuerit Moyſi

cunctos Principes populi contra ſolem patibulo ſuſpendere; quia ſcilicet *Reatus adulterii in perſonis clarioribus debet durius vindicari.* Hinc Lev. 4. pro peccato ſolius Sacerdotis idem ſacrificium, quod pro totius populi peccato præſcribitur, quia *Quo major auctoritas, eo majus eſt eorum, qui peccant, ſupplicium*; (inquit *S. Joan. Chryſoſtomus* in Pſ. 6.) Hinc *S. Bern.* lib. 2. *de Conſideratione* cap. 13. „ Inter ſeculares, nugæ (*inquit*) nugæ ſunt; in ore Sacerdotis blaſphemiæ... Conſecraſti os tuum Evangelio; talibus januam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt „.

Hæc denique morum Regula profanis ipſis auctoribus ſolo rationis lumine nota fuit, ut oſtendunt verſus illi *Juvenalis* Satyra 7.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto, qui peccat, major habetur.

REGULA LXIV.

Graviora ſunt peccata, quæ a Chriſtianis poſt Baptiſmum committuntur, quam quæ a Paganis, Turcis, Judæis, vel etiam Catechumenis perpetrantur.

Sess. 14. c. 8. Triplex ratio, cur peccata poſt baptiſmum commiſſa graviora ſint.

Hanc Regulam tradit Conc. Trid. triplici ratione firmatam. Prima eſt, quod per ignorantiam facta ſint peccata, quæ Baptiſmum præcedunt, & ab infidelibus committuntur; quæ vero poſt Baptiſmum a Chriſtianis, mentem ſupponunt cognitione Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti imbutam, & illuminatam. Unde ſolemne fuit Patribus vocare tempus Baptiſmum præcedens tempus ignorantiæ, & non baptizatos Dei ignaros; atque ea de cauſa longo tempore eos in Catechumenatu fidei myſteria diligenter edocebant. Quod quidem acceperant ab Apoſtolis. S. enim Paulus Act. 17. ait; *Tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* Et ad Eph. 3. ſcribit ſibi datam eſſe gratiam: *Illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſeculis in Deo.* Quamobrem Baptiſma *Illuminationem*, Baptizatos *Illuminatos*

græ-

græci Patres vocarunt. Idque rurſus hauſerunt ex Apoſt. ad *Heb. 6.* Hinc *Tertullianus*, lib. *de Pœnitentia*, c. 5. & 6. „„ Nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptiſque ejus admiſſis, denique pœnitentia delictorum functus, (*quæ fit ante Baptiſmum*) rurſus te in delicta reſtituis. Ita, in quantum ignorantia ſegregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam ſi idcirco te deliquiſſe pœnituerat, quia Dominum coeperas timere, cur, quod metus gratia geſſiſti, recindere maluiſti, niſi quia metuere deſiiſti? Neque enim timorem alia res quam contumacia ſubvertit. Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pœna (quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cœleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet) quantum cognitum deſpici periculoſum eſt? Deſpicit porro, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, jam reſumens, intellectui ſuo, id eſt, Dei dono contumeliam facit; reſpuit datorem, cum datum deſerit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei poteſt placere, cujus munus ſibi diſplicet? Ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam ingratus apparet „„.

Hinc veteres peccata omnia ante Baptiſmum commiſſa catechumenis, vel infidelibus ad Baptiſmum accedentibus facilius condonari aſſerunt, eo quod *In veteri homine deliquiſſe videantur.* Hunc loquendi modum uſurpant Synodi illiberitanæ Patres, can. 45. & *Innocent. I.* Ep. 22. eumque a *S. Paulo* acceperant ad Rom 6. ad Epheſ. 4. ad Coloſſ. 3. *Nolite* (inquit) *mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem.* Igitur vetus ille homo ignarus, novus cognitione prædicatur; & propterea facilius remittuntur peccata in veteri homine commiſſa. Hinc *Richardus a S. Victore*, lib. *de Poteſtate ligandi, & ſolvendi*, cap. 22. ait: „„ Quidquid ab infideli

committitur, inter peccatum ignorantiæ deputatur. Nam etſi ſciat ſe peccaſſe, cum peccat, neſcit tamen examinare pondus peccati; neſcit enim illud non poſſe expiari niſi per mortem hominis Dei. Caligo itaque hujuſmodi ignorantiæ ſupra modum levigat immanitatem culpæ. Chriſtiani vero, qui ſe cognoſcunt redemptos a morte per mortem Chriſti, proculdubio non poſſunt per hujuſmodi ignorantiam excuſari. Ad plenam itaque ſatisfactionem pro peccato illis hoſtia conceditur; iſtis omnino non relinquitur... Infideli itaque converſo, & in Chriſti fide baptizato nulla ſatisfactio, nulla carnis afflictio injungitur, cui propter priorem ignorantiam ad expiationem peccati hoſtia conceditur. Nam per paſſionem, & mortem Chriſti ab omni reatu ad plenum purgatur. Criminoſus autem Chriſtianus quoniam per infidelitatis ignorantiam de ſuis criminibus nullatenus excuſatur, in propria carne punitur, & quaſi voluntarie peccanti poſt acceptam veritatis notitiam voluntaria ſatisfactio injungitur „ „.

Secunda ratio, cur peccata poſt Baptiſmum commiſſa graviora ſint, inde petitur, quod per Baptiſmum Dei templum, Spiritus ſancti habitaculum facti, Chriſto conſecrati ſumus; quæ ſanctitatis, conſecrationis, & dignitatis pignora peccato mortali poſt Baptiſmum perpetrato violantur, non ante, cum iis peccator nondum inſtructus, & ornatus ſit.

Tertia ratio, quod Chriſtiani peccantes injurioſi ſint, & contumelioſi Spiritui ſancto. Gratiam enim ab eo per Baptiſmum acceptam; imo ipſum Spiritum ſanctum ludibrio habent, cum a ſe tam levi de cauſa projiciunt Sanguinem Chriſti, quo redempti ſunt, & Spiritui ſancto operante ſanctificanti, conculcant; pactumque, & fœdus in Baptiſmo initum, quo mundo, ejuſque pompis ſolemniter renuntiarunt, temerant, & polluunt.

Pactũ cum Deo initum in Baptiſmo.

Duas illas poſteriores rationes Patres pariter afferunt. *S. Greg. Nazianz.* Orat. 40. „ „ Nihil aliud (*inquit*) eſſe vim, & facultatem Baptiſmi exiſtimare debemus,

mus, quam ſecundæ vitæ, ac purioris vivendi rationis pactum, & fœdus cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes eſſe, atque omni cuſtodia noſtras animas ſervare debemus, ne hoc pactum violaſſe comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quantum quæſo periculum eſt, ne fœdera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur? idque cum nulla jam poſthac altera regeneratio ſit, nec inſtauratio, nec in veterem ſtatum reſtitutio, quamlibet maxime eam cum multis gemitibus, & lacrymis requiramus, quibus quidem cicatrix ægre tandem obducatur... Grave enim eſt facilioris medicinæ loco, quæ ſine labore eſt, difficilorem, & multi laboris adhibere, ac projecta miſericordiæ gratia, ſuppliciis ſeipſum obnoxium reddere... Quantam enim lacrymarum vim impendemus, ut ea cum Baptiſmi fonte exæquari poſſit „ „.

S. Auguſt. Serm. 413. alias 41. inter Hom. 50. „ „ Qui nondum accepit Baptiſmum (*inquit*) nondum violavit Sacramentum; qui autem violavit Sacramentum male, & perdite vivendo, & ideo remotus eſt ab altari, ne judicium ſibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur, dum vivit, dum ſanus eſt „ „. Violatio Sacramenti.

Concil. Pariſienſe 6. cap. 9. „ „ Pactum, quod cum Deo in Baptiſmate fit, a multis ex toto, a multis ex parte tranſgreditur. Ex toto quippe tranſgreditur, quando quis poſt acceptam Baptiſmatis gratiam; aut ad infidelitatem, aut ad hæreſim, aut certe ad ſchiſma prolabitur. Ex parte vero, quando quis aut ad ſuperbiam aut ad invidiam, aut ad cætera vitia ſpiritualia, quæ ex radice ſuperbiæ prodeunt, labitur. Unde Dominus in Evangelio; *Qui autem* (inquit) *ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud; non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur.* Conſtat igitur unumquemque fidelem Deo in Baptiſmate duarum Pactum Baptiſmi. Matth. 13.

na-

pactionum nexibus ſe obligare, altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; altera vero qua ſe in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum credere profitetur... Cum ergo poſt hujuſcemodi abrenuntiationem quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea, quibus renuntiavit, redit; necnon & poſt tantæ fidei perceptionem in apoſtaſiam, aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni ſchiſmatis prolabitur, proculdubio utriuſque pactionis tranſgreſſor efficitur. Quarum altera, quia Baptiſmi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemoſynarum largitionibus, cæteriſque bonorum operum exhibitionibus dilui poteſt. Altera vero, quæ prædictæ contagionis lepra commaculata fuerit, niſi hac primum per Chriſti caruerit gratiam, & ad unitatem Eccleſiæ redierit, mundari, & priſtinæ fidei colorem, ſanitatiſque vigorem recuperare non poterit... Omnibus fidelibus ſtudendum eſt, ut pactionis, & ſponſionis, quam cum Deo in Baptiſmate fecerunt, ſemper memores exiſtant, caveantque, de quibuslibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolum eundem ſibi reaccendant ignem, verum etiam immundum ſpiritum a ſe tempore Baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum numero ſibi addito ad ſe quoquomodo redire faciant, fiantque illis, ut Dominus ait: *Noviſſima pejora prioribus* & implea-
2. 21. tur in eis quod B. Petrus Apoſtolus ait: *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato*, apteturque eis illud, quod idem ait: *Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti* „„.

Tres illas rationes majoris pravitatis peccatorum, quæ poſt Baptiſmum fiunt, complectitur *S. Pauli* Sententia ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt* (inquit) *eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum cru-*

crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima; cujus conſummatio in combuſtionem.

Hinc *S. Thomas*, 2. 2. q. 10. art. 3. ad 3. „ Cæteris paribus (*inquit*) gravius peccat fidelis, quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide; tum propter Sacramenta fidei, quibus eſt imbutus, quibus peccando contumeliam facit „.

Concil. denique Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. has rationes paucis complectitur. „ Divinæ (*inquit*) juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ „.

REGULA LXV.

Ignorantia invincibilis non eſt peccatum; neque etiam imputantur ad culpam, quæ ex ignorantia hujuſmodi fiunt.

De peccatis ignorantiæ.

Ita *S. Thom.* 1. 2. q. 76. art. 2. „ Non imputatur (*inquit*) homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt; unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt; & propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum „. Et qu. 90. art. 4. docet, legem non habere vim obligandi, niſi quatenus applicatur hominibus, & ad eorum no-

titiam pervenit promulgatione. Ex quo ſequitur, illam non obligare, ſi ſit penitus ignota, & ea quidem ignorantia, quæ nullo ſtudio ſuperari poſſit. Et quodlibeto 1. art. 19. ubi quærit, utrum peccet, qui propter ignorantiam, Conſtitutionem ſummi Pontificis non ſervat: „ „ Ignorantia (*inquit*) eſt peccatum, quando ignorat quis, quod poteſt ſcire, & tenetur. Conſtitutionem autem Papæ omnes ſuo modo ſcire tenentur. Si ergo aliquis neſciat propter negligentiam, non excuſatur a culpa, ſi contra conſtitutionem agat. Si vero ſufficiens habeat impedimentum, propter quod ſcire non potuerit, puta, ſi fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas conſtitutio non pervenit, vel propter aliquod impedimentum ſimile, talis ignorantia excuſat, ut non peccet contra Conſtitutionem Papæ agens „ „. Et certe nullum peccatum eſt niſi voluntarium; ignorantia autem invincibilis tollit voluntarium; voluntarium enim dicitur, quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione finis. Manifeſtum igitur eſt, ignorantiam invincibilem, & quæ ex ea fiunt, non eſſe peccata. Hinc illud a *S. Auguſt.* toties repetitum: *Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt.* At, qui præceptum, vel prohibitionem ignorat ea ignorantia, quæ nullo ſtudio vinci valeat, non poteſt id agere, quod præcipitur, aut id vitare, quod prohibetur; vitio itaque ipſi non eſt vertendum, ſi omittat, quod præceptum eſt, vel agat, quod vetitum.

Ignorantiam invincibilem non eſſe peccatum S. Script. docet, S. Auguſt. confirmat.

Verum Scripturæ ſacræ auctoritate firmata imprimis eſt hæc Regula, Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Quibus ſignificat, eos a peccato infidelitatis excuſatum iri, quibus non eſt annuntiatum Evangelium. Hos porro ignorantia inſuperabili laborare perſpicuum eſt. Hinc *S. Auguſt.* Tract. 89. *in Joannem*, hunc locum explicans: „ „ Nunquid (*inquit*) ſine peccato erant Judæi, antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis hoc, vel ſtultiſſimus dixerit? ſed quoddam ma-

magnum peccatum, non omne peccatum quaſi ſub generali nomine vult intelligi. Hoc eſt enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unuſquiſque ſi non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc eſt autem, quia non crediderunt in Chriſtum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum, ſi non veniſſet, non utique haberent „ „ *Et Ep.* 194. *alias* 105. *ad Sixtum Romanum Presbyterum:* „ „ Non utique, *inquit*, peccatum ullum haberent, qui pleni erant aliis magnis, multiſque peccatis; ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, quo, cum audiſſent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excuſationem non habere aſſerit, qua poſſint dicere, non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur eſſe, quod peccat. Secundum hanc excuſationem, inexcuſabiles dicit Scriptura divina, quoſcunque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt. (*Non quod illis imputetur ignorantia invincibilis, aut peccatum ex illa commiſſum; ſed quod propter peccatum originale, cujus pœna eſt ipſa ignorantia, & propter alia peccata, quæ ſcientes volentes commiſerunt, a Deo puniantur.*) Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, quo male uſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum. Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis, qui Rom. 1.

qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio. Ideo autem divina eloquia eos inexcuſabiles dicunt, qui non ignorantes, ſed ſcientes peccant, ut ſecundum judicium ſuperbiæ ſuæ, quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis, ſe inexcuſabiles videant; quia de ignorantia jam non habent excuſationem ſuam, & nondum eſt juſtitia, cui præſumebant ſufficere voluntatem „„.

Si autem interdum a Veteribus appellentur peccata, quæ ex ignorantia inſuperabili fiunt, id latiori quadam, & minus propria ſignificatione intelligendum eſt. „„ Nam (*inquit S. Auguſt. lib. 3. de libero Arbitrio, cap.* 19.) illud quod ignorans quiſque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libere voluntatis originem ducunt, illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, id eſt, formam, tenoremque verborum, ſecundum quem modum alia dicitur lingua Græca, alia Latina; ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab ſciente committitur, ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt„„.

Janſenii Yprenſis Epiſcopi objectioni reſpondetur.

Fruſtra vero objicit *Janſenius Yprenſis* Epiſcopus, dogma Pelagianorum aſſerentium: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*, fuiſſe damnatum in Synodo paleſtina, ut refert *S. Auguſt.* lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 18. Hanc autem ignorantiam, quæ ſecundum neceſſitatem evenit, eſſe ignorantiam invincibilem.

Ex illo enim erroneæ opinionis ſuæ præſidio facile deturbatur *Janſenius*. Si quidem Pelagiani ignorantiam tam juris poſitivi, quam naturalis, quin etiam facti, tam ſuperabilem, quam inſuperabilem, peccato ſubjacere negarunt; ut conſtat ex exemplis, qui-

quibus ipſos urgent *SS. Hier.*, & *Auguſt.* Primum eſt Regis *Abimelech*, qui ignorantia facti alienam ſibi deſponsare voluit uxorem. Secundum eſt Apoſtoli, qui Chriſtianos perſecutus, miſericordiam conſecutus eſt, quoniam ignorans fecerat in incredulitate. Tertium eſt illorum, qui non ſponte, ſed per ignorantiam, vel jactu lapidis, vel impulſione manus, vel joco, vel laſciva infelicitate magis quam voluntate hominem occiderunt; & tamen non ſunt puri criminis; unde perpetuo damnantur exilio, *Num.* 35. Quartum eſt *Davidis* Deum orantis, ut ſibi peccata ex ignorantia commiſſa condonet: *Delicta* (inquit) *juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Pſ. 24. 7. 1. Reg. 14. Quintum eſt *Jonathæ* in periculum mortis adducti, quod paululum mellis extremo ſceptro deguſtaſſet, ignorans a patre præceptum, ne quiſquam comederet, donec victoria compleretur. Hæc autem exempla ad ignorantiam juris poſitivi, aut ad ignorantiam facti, vel ad ignorantiam, quæ ſuperari humano ſtudio poſſit, manifeſtum eſt pertinere. Id confirmat ratio, qua paleſtinæ Synodi Patres, & *SS. Hieron.* & *Auguſt.* Pelagianos refellunt: *Cum in Lege*, inquiunt, *ſacrificia pro ignorantia ſicut pro peccato offerantur.* At pro ignorantia facti, & juris poſitivi præſcripta Sacrificia conſtat ex *Levitici* cap. 5. & 22.

Nec obſtant illa verba, quæ in *Cæleſti* Propoſitione vim rationis habent: *Quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.* His enim poſtremis verbis illam quidem excludit ignorantiam, cujus voluntas ipſa cauſa eſt, quam Theologi directe volitam appellant, quia ſecundum voluntatem evenit, illam affectantem, & procurantem; ſed eam non excludit, quæ indirecte dumtaxat volita nuncupatur, quia ſcilicet ad eam propulſandam voluntas nullam, aut certe non omnem diligentiam adhibet, quam tenetur, & poteſt. Unde ſecundum neceſſitatem dicuntur potius evenire, quæ ex ea fiunt, quam ſecundum voluntatem. Hanc autem ignorantiam non ſubjacere peccato negabant Pelagiani, & in eo erra-

bant. Sed & *Janſenius* erravit, aſſerens ignorantiam inſuperabilem ſubjacere peccato, ſive peccatum non excuſare.

REGULA LXVI.

Nulla in homine eſſe poteſt legis naturæ inſuperabilis ignorantia, quantum ad præcepta univerſalia, & primaria, qualia ſunt, quod tibi non vis fieri, alteri non feceris; Deum cole, & ama: honora patrem, & matrem; non occides; non furtum facies; non mœchaberis; non loqueris contra proximum falſum teſtimonium, &c.

Primaria legis naturæ præcepta invincibiliter non ignorantur.

Hæc Regula firmatur Apoſtoli teſtimonio, ad *Rom.* cap. 1. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Et cap. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere dicuntur, non quod ſine gratia legem implere poſſint; (quæ fuit Pelagianorum hæreſis,) ſed quod lex naturalis eis oſtendat, quid ſit agendum, & in ipſo lumine rationis cognoſcant, & naturalia præcepta in tabulis cordis carnalibus habeant inſculpta; quamvis eam legem non habeant, quam in tabulis lapideis ſcriptam Judæis per Moyſen Deus tradidit. „ „ Naturam enim per ſeipſam diſcendo, factore annuente, recipit omnis boni ſcientiam; (*inquit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Julianum*

Apo-

Apoſtatam.) Et per inſitas leges Deus bene commonſtratur, quas omnium cordibus inſculpſit opifex „„.

Lex naturæ in cordibus hominum ſcripta.

Hinc ante ipſum *Tertullianus*, lib. *de Coronâ militis*, cap. 6. „„ Omne, *inquit*, quod contra naturam eſt, monſtri meretur notam penes omnes; penes nos vero etiam elogium ſacrilegii in Deum naturæ Dominum, & auctorem. Quæris igitur Dei legem? Habes communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet provocare, ut cum in velamine feminæ penes naturam vos, *inquit*, docet? Ut cum ad Romanos, natura facere dicens nationes ea, quæ ſunt legis, & legem naturalem ſuggerit, & naturam legalem „„. *Et lib. 5. Contra Marcionem*, cap. 13. „„ Si judicabit Deus occulta hominum, tam eorum, qui in lege deliquerunt, quam eorum, qui ſine lege; quia & hi legem ignorant, & natura faciunt, quæ ſunt legis, utique his Deus judicabit, cujus ſunt & lex, & ipſa natura, quæ legis eſt inſtar ignorantibus legem „„.

Hinc *S. Ambr.* Epiſt. 41. quæ eſt ad *Irenæum*, *ſcribit*: „„ Si naturalem legem, quam Deus Creator infudit ſingulorum pectoribus, homines ſervare potuiſſent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis ſcripta lapideis implicavit, atque innodavit magis humani infirmitatem, quam elaqueavit, atque abſolvit. Eſſe autem legem naturalem in cordibus noſtris, etiam Apoſtolus docet, qui ſcribit, quia plerumque & gentes naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, & cum legem non legerint, opus tamen legis ſcriptum habent in cordibus ſuis; ea igitur lex non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus, vel futuri judicii metu ſervare; cujus teſtis conſcientia noſtra tacitis cogitationibus apud Deum ipſa ſe prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum ſemper pa-

teat Domino, tum maxime in die judicii manifeſtabitur, quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio occultorum ſibi nequaquam noceret; ſi lex naturalis ineſſet pectoribus humanis; (*id eſt, ſi ad eam homines attenderent*) Eſt enim ſancta, ſine verſutia, ſine fraude, conſors juſtitiæ, expers iniquitatis „„.

His concinit *S. Auguſt.*, lib. *de Spiritu & Litera* cap. 28. „„ Non uſque adeo (*inquit*) in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut extrema lineamenta remanſerint. Unde merito dici poteſt, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere, ſi hoc eſt, quod dictum eſt: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ ſunt legis, faciunt, & ſcriptum habent opus legis in cordibus ſuis*; id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cum creantur, impreſſum eſt „„.

Et lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 9. „„ Quando illi valent intelligere (*inquit*) nullam eſſe animam quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus? Quis enim ſcripſit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus? De qua lege Apoſtolus ait, *Cum* enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, hi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conteſtante conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam excuſantium, in die, qua judicabit Dominus occulta hominum „„.

Denique lib. 2. *Confeſſionum*, cap. 4. de lege contra furtum ſpeciatim agens, occaſione illius furti; quod cum ſociis poma diripiendo adoleſcens commiſerat: „ Furtum certe (*inquit*) punit lex tua, Domine, & „ lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa „ quidem delet iniquitas, quis enim fur æque animo „ furem patitur „?

Idem

Idem confirmat *S. Greg. magnus*, lib. 27. *Moralium*, cap. 16. „ „ Creator (*inquit*) omnipotens a cunctis inſenſibilibus, irrationabilibuſque diſtinctam rationabilem creaturam hominem condidit; quatenus, quod egerit, ignorare non poſſit. Natura enim lege ſcire compellitur, ſeu pravum, ſive rectum ſit, quod operatur. Nam ad judicium pro actione cur venit, ſi potuit neſcire, quod egit? Et ipſi ergo, qui præceptis dominicis erudiri contemnunt, utrum bona, an mala ſint, quæ faciunt, ſciunt. Nam ſi bona ſe facere neſciuntur, cur de aliquibus factis in oſtentatione gloriantur? Rurſum ſi mala ſe agere ignorant, cur in eiſdem factis alienos oculos declinant? Ipſi enim ſibi teſtes ſunt; quia ſciunt malum eſſe, quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum eſſe non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde & bene per quemdam ſapientem dicitur: *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationi*, quia dum facto ſuo conſcientiam pulſans timor redarguit; ipſa ſibi teſtimonium perhibet damnabile eſſe, quod agit; quo contra per Joannem dicitur; *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.* Fugiant ergo iniqui humanos oculos, ſemetipſos certe fugere non poſſunt. Quia enim malum, quod faciunt, noverunt, habent teſtem conſcientiam, habent judicem rationem ſuam „ „. Sap. 17. 1. Joan. 3.

REGULA LXVII.

Præcepta ſecundaria, & minus principalia legis naturæ ignorari a quibuſdam inſuperabiliter poſſunt.

De ignorantia invincibili.

Hujus generis ſunt: Omnium bonorum jactura potius ſubeunda eſt, quam vel leve mendacium proferendum. Falſum teſtimonium dicere non licet ad ſervandam hominis vitam, utque vel a patibulo, vel etiam ab æterna morte liberetur.

Quamvis porro deleri poſſit ex quorumdam hominum cordibus lex naturæ quantum ad præcepta Decalo-

calogi, quæ ſecundaria *S. Thomas* alio ſenſu vocat, quia ex univerſaliſſimis pleraque derivantur, cum tamen ſint in ſuo genere prima, ex iiſque velut fontibus alia etiam profluunt; non ſequitur tamen, quod hujuſmodi præceptorum ignorantia inſuperabilis dari poſſit; quia obliteratio legis naturalis, quoad hæc præcepta fit vel malis perſuaſionibus, vel pravis conſuetudinibus, vel habitibus corruptis, ut ait *S. Thomas*, 1. 2. q. 94. art. 6. Malas autem perſuaſiones, pravas conſuetudines, & habitus corruptos, inſuperabiles non eſſe conſtat, cum oriantur ex vitio voluntatis ad legem naturæ non attendentis, & illius vocem extinguentis. „ Ad legem naturalem (*inquit*) pertinent primo quidem quædam præcepta communiſſima, quæ ſunt omnibus nota; ſecundario autem quædam præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia; lex naturalis nullo modo poteſt a cordibus hominum deleri in univerſali; deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem. Quantum vero ad alia præcepta ſecularia, poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones; vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos; ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Rom. 1. „

Et qu. cap. *art.* 1. „ Cum (*inquit*) moralia præcepta ſint de his, quæ pertinent ad bonos mores; hæc autem ſunt, quæ ratione conveniunt; omne autem rationis humanæ judicium aliqualiter a naturali lege derivatur; neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda, vel non facienda, ſicut: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*,

tuam, non occides, non furtum facies: & hujuſmodi ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis a ſapientibus judicantur eſſe obſervanda; & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua minores a majoribus inſtruantur, ſicut illud: *Coram cano capite conſurge*; & *Honora perſonam ſenis*, & alia hujuſmodi. Quædam vero ſunt, ad quæ judicanda ratio humana indiget inſtructione divina, per quam erudimur de divinis; ſicut eſt illud, non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum „ „. Hæc *S. Thomas*. Lev. 19.

REGULA LXVIII.

Ignorantia, quæ cauſa eſt actus peccati, ſi ſit omnino involuntaria, excuſat peccatum.

De peccatis ignorantiæ.

Eſt autem ignorantia illius actus cauſa, quem ſcientia oppoſita prohiberet; unde talis actus, ſi ſcientia adeſſet, contrarius eſſet voluntati. Cum igitur nullum ſit peccatum, niſi ſit voluntarium, ignorantia illa excuſat peccatum, quia facit actum involuntarium, ut docet *S. Thomas* 1. 2. qu. 76. art. 3. Talis fuit ignorantia *Noe* ſeſe vino inebriantis, cujus vim neſciebat: talis ignorantia *Jacob Liam* cognoſcentis, quam putabat uxorem, neſciens ſoceri dolo ſibi ſubſtitutam pro *Rachele*. Unde & *Noe* a peccato ebrietatis, & *Jacob* a peccato adulterii omnino excuſantur.

REGULA LXIX.

Ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed illum conſequitur, vel concomitatur, non excuſat peccatum.

Quamvis enim hujuſmodi ignorantia abeſſet, nihilominus opus fieret; unde opus peccati illi conjunctum non fit involuntarium. Talis eſt illius ignorantia, qui feram ſe occidere putans, & adhibens neceſſariam diligentiam, ne hominem occidat,

hoſtem interficit, de quo nequidem cogitabat; ita tamen animo erat affectus, ut ſi ſciviſſet eſſe inimicum, nihilominus ipſum interfeciſſet. Hanc Regulam tradit ibidem *S. Thomas.* Sed nec hujuſmodi ignorantia peccatum auget, vel minuit, cum non ſit illius cauſa, nec minuat, augeatve voluntarium; ut docet *S. Thomas* art. 4.

REGULA LXX.

Ignorantia ſolius circumſtantiæ peccatum aggravantis, aut ad aliam ſpeciem transferentis, non excuſat omnino peccatum, cujus malitia nota eſt, ſed illud ſolum quod eſt ignorantia circumſtantiæ, idque, vel ex toto, cum ignorantia circumſtantiæ inſuperabilis eſt; ex parte vero, ſi vinci potuerit.

Ignorantia enim eatenus excuſat peccatum, quatenus ignoratur aliquid eſſe peccatum. Poteſt autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi noſſet, deterreretur a peccato, & tamen adhuc cognoſcit illud opus, quod aggreditur, eſſe peccatum; v. gr. ſi quis alterum percutiens, ſciat quidem eſſe hominem, (quod ſufficit ad peccatum,) neſciat autem eſſe patrem, quæ circumſtantia eſt conſtituens novam ſpeciem peccati; reus quidem ille non eſt parricidii niſi vinci potuerit ignorantia illius circumſtantiæ; ſed tamen homicidii reus eſt. Talis fuit ignorantia *Judæ* cum *Thamare* ſe commiſcentis. Reus enim fornicationis fuit, accedens ad mulierem, quam ſciebat non eſſe ſuam, imo potius meretricem eſſe putabat: ſed reus non fuit inceſtus, quia nurum ſuam eſſe ignorabat, & quidem ignorantia inſuperabili, cum *Thamar* faciem ſuam velaſſet, ne poſſet agnoſci. Hinc *S. Auguſt.* lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 61. „ „ Et ſi gravius peccaſſet (*inquit*) ſi nurum ſciens, concumbere cum ea voluiſſet; tamen eum (quantum in ipſo erat) deformiter cum meretrice cubaſſe non dubium eſt „ „.

RE-

REGULA LXXI.

Ignorantia rerum, quas aliquis ſcire tenetur, & poteſt, ſive directe, ſive indirecte tantum volita ſit, illius peccatum omnino non excuſat.

Cum enim ignorantia illa voluntaria ſit, & eorum eſſe ſupponatur, quæ homo ſcire tenetur, & poteſt, tantum abeſt, ut peccatum excuſet, ipſa gravve peccatum eſt. Nam, ut ait *S. Thomas*, 1. 2. q. 76, art. 2. „ „ Quicunque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis. Unde, propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum „ „. Ea porro triplicis ſunt generis; primi, ſunt myſteria fidei, Symboli apoſtolici duodecim articulis comprehenſa. Secundi, quæ pertinent ad mores bene informandos, ut Dei, & Eccleſiæ præcepta generalia. Tertii, quæ ſpectant uniuſcujuſque ſtatum. Alia enim tenetur ſcire Parochus, quam Parochiani; alia Epiſcopus, quam parochus; alia medicus, vel Judex, aut Advocatus, quam artifex. „ „ Aliquis ſcire tenetur illa (*inquit S. Thomas*) ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere; unde omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta; ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant „ „.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Auguſt.* lib. 3. *De libero Arbitrio*, cap. 19. „ „. Cum ubique (*inquit*) ſit præſens, qui multis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem,

tem, ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec labora[illegible] „.

Et cap. 22. „ „ Ignorantia, & difficultas, ſi naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in ſtudiis optimis, atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propria voluntate neglexerit, juſte in graviorem, quæ jam pœnalis eſt, ignorantiam, difficultatemque præcipitatur, decentiſſimo, & convenientiſſimo rerum moderamine in inferioribus ordinata. Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit; & quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit. Loqui enim non noſſe, atque non poſſe, infanti naturale eſt; quæ ignorantia, difficultaſque ſermonis non modo inculpabilis ſub Grammaticorum legibus, ſed etiam humanis affectibus blanda, & grata eſt; non enim ullo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut ullo vitio, quam compararat, amiſit. Itaque ſi nobis in eloquentia eſſet beatitudo conſtituta, atque ita crimin duceretur, cum peccatur in linguæ ſonis, quemadmodum cum peccatur in actibus vitæ, nullus utique argueretur infantiæ, quod ab ea eſſet exorſus ad conſequendam eloquentiam; ſed plane merito damnaretur, ſi ſuæ voluntatis perverſitate, vel ad eam recidiſſet, vel in ea remanſiſſet. Sic etiam nunc, & ignorantia veri, & difficultas recti naturalis eſt homini, unde incipiat in ſapientiæ, quietiſque beatitudinem ſurgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit. Sed ſi proficere noluerit, aut a profectu retrorſum relabi voluerit, jure, meritoque pœnas luet „.

Et Epiſt. 194. *alias* 105. „ Ignorantia (*inquit*) in „ eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione pec„ catum eſt „.

Confirmatur ex *Innocent. III.* cap. *Per tuas*, Ext. *De Simonia*, pronuntiante, reum eſſe ſimoniæ Subdiaconum, qui certum titulum non habens, quemdam

Pres-

Presbyterum rogavit, ut ipſum ad Eccleſiæ ſuæ titulum præſentaret; quod cum ille facere recuſaret, ipſe promiſit ſe nullam portionem in ejus Eccleſia unquam petiturum poſt præſentationem; ſua cujus promiſſi fide præſentatus, ſacrum Ordinem ſuſcepit; *Nec ſe in hoc illicitum aliquid egiſſe intellexit.* Hunc (inquam) nihilominus velut ſimoniæ reum, ad ſuperiores Ordines aſcendere, vel in Ordine ſuſcepto miniſtrare Pontifex prohibet; *Niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum.* Scire quippe tenebatur hujuſmodi pactum eſſe ſimoniacum, illudque ſcire poterat interrogando peritiores.

Confirmatur ſecundo ex *S. Thoma*, 1. 2. qu. 19. art. 6. „ „ Si ratio (*inquit*) vel conſcientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur; tunc talis error rationis, vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala. Si autem ſit error, qui cauſet involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala: puta, ſi ratio errans dicebat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala, eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur. Si autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem ſummiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas ejus, ut non ſit mala; quia error iſte ex ignorantia circumſtantiæ provenit, quæ excuſat, & involuntarium cauſat „ „.

REGULA LXXII.

Sicut in aliis peccatis omiſſionis tunc ſolum homo actu peccat, cum præceptum affirmans obligat; ita non continuo ignorans actu peccat; ſed ſolum cum tempus eſt acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur.

Hanc

Hanc Regulam iisdem verbis tradit *S. Thomas*, 1. 2. qu. 76. art. 2. ad quintum.

REGULA LXXIII.

Ignorantia directe, & per se volita peccatum auget; tantum abest, ut minuat.

Quæ ignorantia peccatum augeat.

Talis est ignorantia ejus, qui sua sponte nescit aliquid, ut liberius peccet. Hæc enim auget voluntarium; siquidem *ex intentione*, & affectu vehementi, seu ardore „ voluntatis ad peccandum „ provenit, quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi „; (*inquit S. Thom.* 1. 2. q. 76. art. 4.) Et q. 3. *De Malo*, art. 8. „„ Cum (*inquit*) aliquis directe vult ignorare, ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte, sed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit, ad hoc quod libere peccato inhæreat. *Talis* iniquus (*Ps.* 35.) *qui* dixit, ut delinquat in semetipso *id est*, *apud se proposuit peccare*, *adeoque* noluit intelligere, ut bene ageret „„. Quem locum *S. Augustt.* sic explicat: „„ Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo, ut bene vivat, non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim, quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam... Aliud autem quando pernicioſius agit adversus se ipsum cor humanum, ut quod posset intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc autem fit; dum amant peccata sua, & oderunt præcepta Dei. Sermo enim Dei adversarius tuus est, si tu amicus sis iniquitatis; si autem tu adversarius sis iniquitatis tuæ, sermo Dei amicus tuus est; & adversarius iniquitatis tuæ. Si ergo odisti iniquitatem tuam, jun-

jungis te ſermone Dei; & eritis duo adverſus illam perimendam; tu, & ſermo Dei. Tu enim per te ex viribus tuis nihil potes; adjuvat te ille, qui tibi ſermonem miſit, & vincitur iniquitas. Si tu illam odiſti, & Deus dimiſit, & eris liber; ſi autem ipſam diligas; contrarium eſt tibi intelligere, quidquid contra illam dicitur „„

REGULA LXXIV.

Ignorantia indirecte volita minuit peccatum.

Quæ ignorantia peccatum minuat.

Talis eſt ignorantia illius, qui ſtudio incumbere negligit; vel qui vinum largius bibit, ex quo ſequitur ebrietas. Hæc (inquam) ignorantia minuit peccatum, quia minuit voluntarium, ut docet S. Thomas. „„ Cum enim aliquid non cognoſcitur eſſe peccatum, non poteſt dici, quod voluntas directe, & per ſe feratur in peccatum, ſed per accidens; unde ibi eſt minor contemptus, & per conſequens minus peccatum „„. De hujuſmodi ignorantia, quam Theologi ſimplicem vocant, *S. Auguſt.* lib. *de Gratia, & libero Arbitrio*, c. 3. *ait*: „„ Aliud eſt neſciſſe, aliud facere noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet, ſed fortaſſe, ut minus ardeat. Non enim ſine cauſa dictum eſt: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt* „„. Pſ. 35. 4. Pſ. 78. 6.

Et lib. 1. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. 9. tract. in illud S. Jacobi 4. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*; eamdem veritatem confirmat. „„ Nunquid (*inquit*) ideo non peccatum eſt illi etiam, qui neſcit bonum facere, & ideo non facit? Utique peccatum eſt; ſed hoc gravius, ſi etiam ſciat, & non faciat; nec illud ideo nullum, quia minus. Ut ergo eodem modo utrumque dicamus,

mus, ſicut quicunque dimiſerit uxorem, excepta cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur; ita quicunque ſcit bonum facere, & non facit, peccat. Sed quemadmodum hic recte dici non poteſt, ergo ſi neſcit, non peccat; ſunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora, quam ſcientium; ita nec illic recte dici poteſt, ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur; eſt enim mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; ſed utique minor quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt „„.

Et lib. 1. *De Baptiſmo*, cap. 5. „„ Accipere itaque (*Baptiſmum*) in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum? Illi vero, qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minus peccant: ſacrilegio tamen ſchiſmatis vulnerantur. Non ideo non graviter, quo alii gravius. Cum enim dictum
Matth. 10. eſt quibuſdam: *Tolerabilius erit Sodomis in die judicii, quam vobis*; non ideo dictum eſt, quia Sodomitæ non torquebuntur, ſed quia illi gravius torquebuntur „„.

Denique lib. 6. *contra Julianum*, cap. 16. „„ Ex hoc (*inquit*) concupiſcentia pejor eſt quam ignorantia, quia ignorantia ſine concupiſcentia minus peccat. Concupiſcentia vero ſine ignorantia gravius peccat „„.

REGULA LXXV.

Attentio animi ad actionis pravitatem non eſt neceſſaria, ut peccatum imputetur: unde falſum eſt, nunquam peccari, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio exſtimuletur.

Erroneum peccati Philoſophi.

Hæc Regula firmiſſimis argumentis e Scriptura ſacra depromptis fulcitur. Abſurdum enim eſt

a

a peccato excuſare perſecutores Apoſtolorum; qui tamen præviam mentis illuſtrationem circa illius peccati malitiam non habebant, nec illud vitandi deſiderio ſtimulabantur; cum potius hac in perſecutione obſequium ſe præſtare Deo arbitrarentur juxta illud Chriſti diſcipulos alloquentis oraculum: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo; & hoc facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me.* Joan. 16. 2.

ci figmentum refellitur.

Secundo, Apoſtolus, dum perſequebatur Eccleſiam, proculdubio graviter peccabat, ut ipſe fatetur 1. ad Tim. 1. *Fui blaſphemus*, inquit, *& perſecutor, & contumelioſus.* Sed præviam illam animi illuſtrationem, & attentionem ad actionis pravitatem non habebat, imo potius ſe laude dignum ob illud facinus exiſtimabat, dum ſe abundantius ſupra coætaneos ſuos paternarum traditionum æmulatorem agnoſcebat, juxta illud Epiſtolæ ad *Gal.* cap. 1. *Audiſtis converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos, in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Non ergo neceſſe eſt ad peccatum, ut attendat peccator ad actionis pravitatem.

Tertio idem probat Chriſti Domini pro ſuis crucifixoribus oratio, Luc. 23. *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* At tantum abeſt, ut ſe prave agere arbitrarentur; imo juſtitiam ſe adimplere exiſtimabant, cum Chriſtum ſeductorem, & malefactorem haberent, non Dominum gloriæ cognoſcerent.

Quarto, illos peccare certum eſt, quos Deus *dimiſit vias ſuas ingredi*, quoſque *tradidit in deſideria cordis eorum.* At illi non modo ad actionis pravitatem non attendunt, non deſiderii ab ea abſtinendi ſtimulis agitantur; quin potius cum gaudio, & oſtentatione quadam nefaria perpetrant facinora. Non eſt igitur neceſſe ad imputationem peccati, ut homo ad ejus pra-

pravitatem attendat, ejuſque vitandi deſiderio moveatur. His omnibus exemplis *S. Bernardus* in Tract. *ad Hugon. a S. Victore*, probat in magnis ignorantiæ tenebris eos verſari, qui peccari poſſe per ignorantiam non agnoſcunt.

Adde illa Pſalmorum Oracula: Pſal. 9. *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus.* Pſal. 49. *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat.* Pſal. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.*

Peccatum imputatur, qui volens facit voluntate facti, etſi non voluntate peccati.

Confirmatur ex *S. Auguſt.* lib. 1. *Retractationum*, cap. 15. „ Nam & qui neſciens peccavit (*inquit*) non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt, quamvis & ipſe, quod neſciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique ſicut defixa eſt, animi motus fuit, nullo cogente ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiſcendum. Quod enim ſi noluiſſet, non feciſſet, non coactus eſt facere. Quia voluit, ergo, fecit, etiamſi non quia voluit, peccavit neſciens peccatum eſſe, quod fecit. Ita nec peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit „. At ſi neceſſaria erit attentio ad actionis pravitatem, nunquam peccaret, qui neſcit peccatum eſſe, quod facit, neque ſola facti voluntate; ſed etiam voluntate peccati, quodlibet peccatum eſſet voluntarium.

Manichæis affingebat Julianus Pelagianus errorem illum, quod a peccato immunem eſſe dicerent eum, qui flagitium aliquod perpetraverit ad malitiam ejus non attendens, nec repugnante conſcientia illud committens, imo exultante id perpetrans audacia, & quaſi ſe bene agere exiſtimans. Quid ad hæc S. Aug.? De Manichæis ipſis id credere refugit, cæterum aſſertionem horret ut catholicæ Fidei repugnantem lib. 4. contra Julianum Pelagianum, cap. 8. *Quid autem*

tem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, ſi quis homicidium conſcientia formidante commiſerit, reus eſt, quia timuit; ſi autem aliquod facinus exultante perpetrarit audacia, velut credens ſe ex fide facere, quod male fecit, evaſit culpam? „ Quod quidem nunquam audivi dicere Manichæos. Sed quid „ ad nos, ſive dicant, ſive etiam ipſis calumnieris; „ cum hoc catholica Fides non dicat, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus „? Et ego id erroris monſtrum a Chriſtianis, & religioſis viris hoc ſeculo fuiſſe renovatum ægre mihi perſuaderem, niſi eorum libri, ſcripta publicis in Scholis dictata Theſes loquerentur, & clamarent. Auctorum nominibus parco lubens ex veritate charitatis; quorum errorem oppugno ex charitate veritatis. Satis nobis eſt, quod *Hoc catholica Fides non dicat, quam tenemus, & cujus pondere eos urgemus.*

Propoſitiones damnatæ.

Præterea, hanc Propoſitionem: „ Nunquam peccatur, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio exſtimuletur „, pleriſque galliarum Epiſcopi, & Pariſienſis Academia, *Falſam eſſe, & viam aperire ad excuſandas excuſationes in peccatis*, olim pronuntiarunt.

Non minus erronea eſt illa Prop. „„ Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum „„. Quæ propoſitio Atheos, & infideles omnes, & peccata quantumvis gravia perpetrantes, necnon Chriſtianos excæcatos, & obduratos, a peccato abſolvit, a pœna immunes facit; ut felicior illorum conditio hac ex parte videatur, quam Fidelium, qui Deum noverunt, & nondum in illam cæcitatis abyſſum prolapſi ſunt. Paganos in ignorantiæ tenebris ſedentes peccata nihil

ominus æterna pœna digna commiſiſſe, teſtatur Apoſt. ad Epheſios 4. *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Et cap. 5. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Et 1. ad Theſſ. 4. *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum; & nemo ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum; quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.* Ad Romanos denique cap. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi, primum & Græci... Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.*

Superflua certe diceretur paterna Dei erga nos ſolicitudo, inutilis charitatis divinæ Filium unigenitum pro ſalute hominum dantis commendatio cenſeretur, labores apoſtolici pro revocandis ab errore hominibus, ut vani abjicerentur, ſi prava illa opinio recepta eſſet. Ad quid enim verbi divini Prædicatores in regiones remotiſſimas proficiſcuntur, ſi gentes chriſtianorum dogmatum inſciæ nullatenus Deum offendant, nec peccata mortalia, & æterna pœna digna committant; imo in ſalutis diſcrimen vocentur documentis & adhortationibus Concionatorum, qui illos ad cogitandum de Deo, & de Lege divina excitant, quam alias ſine mortalis peccati, & æternæ pœnæ reatu violarent, ut peccati philoſophici inventoribus, aut propugnatoribus viſum eſt? Non eſſet cur parentes de ſua, filiorumque ſalute ſoliciti, tam ſedulam in illorum inſtitutione operam collocarent; cur paſtores e ſacris pulpitis verbum, legemque Dei tam accurate exponerent; ſiquidem homi-

homines in ignorantia Dei; legumque divinarum relicti voluptatibus tranquillo ſervirent animo, & abſque peccati formidine. Denique tam exiguus non eſſet electorum numerus, tam *Arcta non eſſet via, quæ ducit ad vitam.* Non diceret Propheta: *Longe a peccatoribus ſalus, quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.* Quæ verba *S. Hilarius* expendens Tract. in Pſ. 118. lit. 26. „„ Non habet veniam, *inquit*, ignoratio voluntatis, quia ſub ſcientiæ facultate neſcire, repudiatæ magis quam non repetitæ ſcientiæ eſt reatus. Ob id enim longe à peccatoribus ſalus eſt, quia non exquiſierunt juſtificationes Dei; cum non utique ob aliud conſignatæ literis maneant, quam ut ad univerſorum ſcientiam notionemque defluerent „„.

Peccati philoſophici commentum ab Eccleſia damnatum.

Merito itaque *Alexander VIII.* Pontifex maximus diſtinctiunculam illam peccati philoſophici, & Theologici, & opinionem, quæ hoc veluti cæſdine nitebatur, damnavit ut *ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam.* Excommunicationem ipſo facto incurrendam, Sedique apoſtolicæ reſervatam tulit in eos omnes, qui hanc Propoſitionem, atque opinionem docuerint, defenderint, ediderint; aut de ea etiam diſputaverint, publice ſeu privatim (niſi forſan impugnando) tractaverint. In virtute denique ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii omnibus Chriſti Fidelibus prohibuit, ne damnatam propoſitionem ad praxim deducant. Decreto edito die 24. Auguſti, anno Domini 1690.

Clerus etiam gallicanus hanc Propoſitionem anno 1700. damnavit: „„ Si peccatores conſummatæ malitiæ, cum blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hiſce actionibus non peccare „„. His autem verbis ab illuſtriſſimo, & reverendiſſimo Clero confixa eſt.

„„ Hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blaſphemias, alias

que peccata excuſat, & ut talis a Clero gallicano jam damnata eſt „ „.

REGULA LXXVI.

Ignorantia facti a culpa excuſat, ſi ſit inſuperabilis, non vero ignorantia legis debito modo promulgatæ, & cujus notitia ad eum, qui contra ipſam agit, pervenire potuerit.

Quæ ignorantia culpam excuſet.

Eſt Regula juris 13. in ſexto, ignorantia facti, non juris excuſat. Si vero lex debito modo non fuerit promulgata, vel ejus notitia pervenire non potuerit ad eum, qui contra ipſam agit. ſeu illam non obſervat, a culpa excuſatur, quia & juris ignorantia tunc inſuperabilis cenſenda eſt, ut colligitur ex cap. *Cum in tua*, Ext. *De his qui Matrimonium accuſare poſſunt* Pronuntiat ſcilicet *Innoc. III.* ab accuſatione matrimonii repellendum eſſe, qui ſolemnium denuntiationum tempore tacuit, niſi probet denuntiationem ad ipſum non potuiſſe pervenire. „ „ Si tempore, *inquit*, denuntiationes præmiſſæ, is, qui jam conjunctos impetit, extra diœceſim exiſtebat, vel alias denuntiatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut puta, ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans ſanæ mentis patiebatur exilium; vel in annis tam teneris conſtitutus, quod ad comprehenſionem talium ejus ætas ſufficere non valebat; ſeu alia cauſa legitima fuerit impeditus, ejus excuſatio debet audiri. Alioquin cum rationabiliter præſumatur, quod denuntiationem publice factam idem exiſtens in ipſa diœceſi minime ignoravit, tanquam ſuſpectus eſt proculdubio repellendus, &c. „ „

Cæterum ſtatim atque diſcuſſa eſt, vel diſcuti potuit ignorantia etiam facti, reus eſt, qui contra legem agit. „ „ Si enim conſcientia propterea lædi non potuit, quia neſcivit; nunc incipit lædi, quia ſcivit; velut ſi tunica de latrocinio neſciens veſtiretur. ex illo ſit iniquitatis veſtis illa, ex quo cognoverit, &

ipſe

ipſe iniquus, niſi abjecerit; & qui neſciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, niſi diſceſſerit „„. *Verba ſunt S. Auguſt.* lib. 2. *contra Creſconium Donatiſtam*, cap. 26.

REGULA LXXVII.

Inſuperabilis ignorantia juris Cenſuras illo jure ſtatutas avertit ab eorum capite, qui contra illud ignorantes agunt.

Quæ ignorantia excuſet.

Id colligitur ex cap. *Ut animarum*, tit. *De Conſtit.* in ſexto. „ Ut animarum periculis obvietur (*inquit*) ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes „. Eademque omnino ratio eſt de juris communis ignorantia, cum nulla pœna infligatur niſi propter peccatum, & ignorantia inſuperabilis a peccato penitus excuſet; nec Cenſuræ ferantur niſi in contumaces; & cenſeri contumax non poſſit, qui laborat ignorantia, quæ humano ſtudio vinci non poteſt.

REGULA LXXVIII.

Animi perturbatio antecedens minuit peccatum, conſequens aggravat.

Quæ animi perturbatio peccatum aggravet, quæ minuat.

Paſſio enim, ſive animi perturbatio antecedens dicitur, quæ præcedit judicium rationis, & motum voluntatis eamque trahit, vel inclinat. Quod autem ratio, & voluntas operantur ex paſſionis impulſu, minus liberum eſt, quam id, quod omnino ex ſe agunt. Ratio namque perturbata minus accurate ſingulas operis circumſtantias cognoſcere, & expendere poteſt. Quidquid porro minuit libertatem, minuit peccatum. Contra vero paſſio conſequens, ita nuncupata, quod motum, & imperium voluntatis ſequatur, ut dum aliquis ultionem de inimico ſuo expetens, & meditatus, iram excitat, ut vehementius agat; peccatum auget, graviuſque facit, qui voluntatis ardorem, & propenſionem ad peccandum auget, aut illius certe indicium eſt.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, 1. 2. q. 77. art. 6. „„ Paſſio (*inquit*) ſecundum quod præcedit actum peccati, ſic neceſſe eſt, quod diminuat peccatum; actus enim in tantum eſt peccatum, in quantum eſt voluntarius, & in nobis exiſtens; eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem; unde quanto ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt, non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens; & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Paſſio autem conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum demonſtrat intenſionem, *ſeu vehementem affectum*, *& ardorem* voluntatis ad actum peccati; & ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat „„.

Præterea, quanto major tentatio eſt, tanto minus eſt peccatum, quia præceptum facilius obſervari poteſt nulla ex adverſo tentatione urgente. Unde *S. Auguſt.* lib. 14 *de Civ. Dei*, cap. 12. de præcepto *Adamo* primo parenti impoſito ait: „„ Tam leve præceptum ad obſervandum, tam breve ad memoria tenendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat (quod de pœna tranſgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt) tanto majore injuſtitia violatum eſt, quanto faciliore poſſet obſervantia cuſtodiri „„. Eo porro gravior tentatio eſt, quo vehementior concupiſcentia. *Unuſquiſque* enim *tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*, ut dicitur *Jac.* 1.

REGULA LXXIX.

Animi perturbationes, quæ uſum rationis prorſus tollunt, ab omni culpa excuſant, niſi forte fuerint volitæ; tunc enim peccata ex illis ſecuta imputantur homini, ut volita in ſua cauſa.

De peccatis ex animi

Ita *S. Thomas*, 1. 2. q. 77. art 7. „„ Paſſio, *inquit*, quandoque eſt tanta, quod totaliter aufert uſum ratio-

rationis, ſicut patet in his, qui propter amorem, vel iram inſaniunt; & tunc ſi talis paſſio a principio fuerit voluntaria, imputetur actus ad peccatum: quia eſt voluntarius in ſua cauſa, ſicut de ebrietate dictum eſt, (*ei qui ſponte inebriatur, imputari tanquam voluntarium, quod per ebrietatem committit.*) Si vero cauſa non fuerit voluntaria, ſed naturalis, puta, cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſa incidit in paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter a peccato excuſatur. (*Sic phreneticus patrem vel matrem percutiens a peccato excuſatur, quia præ violentia febris in phreneſim incidit.*) Quandoque vero paſſio non eſt tanta, quod totaliter intercipiat uſum rationis, & tunc ratio poteſt paſſionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne ſuum conſequatur effectum; quia membra non applicantur operi niſi per conſenſum rationis. Unde talis paſſio non totaliter excuſat a peccato „„. perturbatione commiſſis.

Et 2. 2. q. 150. art. 4. ad 3. „„ Concupiſcentia, *inquit*, non totaliter ligat rationem ſicut ebrietas; niſi forte ſit tanta, quod faciat hominem inſanire, & tamen paſſio concupiſcentiæ diminuit peccatum, quia levius eſt ex infirmitate, quam ex malitia peccare. „„.

Denique Regula generalis eſto, ſecundum *S. Thomam*, 1. 2. qu. & art. ſupra laudatis: „„ Secundum hoc ſolum actus de genere ſuo malus totaliter a peccato excuſatur, quod totaliter involuntarius redditur; unde ſi ſit talis paſſio, quæ totaliter involuntarium reddat actum ſequentem, totaliter a peccato excuſat, alioquin non totaliter „„.

REGULA LXXX.

Peccatum ex animi perturbatione commiſſum, ſi ex genere ſuo mortale ſit, nunquam ita minuitur, ut veniale fiat, exceptis ſubitis motibus.

De peccatis ex animi perturbatione commiſſis.

Peccatum enim mortale poſitum eſt in averſione ab ultimo fine, qui eſt Deus; quæ quidem averſio pertinet ad rationem deliberantem. Hinc ergo ſolummodo contingere poteſt, ut inclinatio animæ in aliquid contrarium ultimo fini non ſit peccatum mortale: „ Quia ratio deliberans non poteſt occurrere; quod contingit in ſubitis motibus (*inquit S. Thomas*, 1. 2. *q.* 77. *art.* 8.) Cum autem ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubito; unde ratio deliberans poteſt hic occurrere, poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire paſſionem. Unde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale; ſicut videmus quod multa homicidia, & multa adulteria per paſſionem committuntur „ „ Hinc Apoſt. ad Rom. 7. ait: *Paſſiones peccatorum operantur in membris noſtris ad fructificandum morti.* Fructum autem mortis afferre, proprium peccati mortalis eſt; peccatum igitur ex paſſione commiſſum poteſt eſſe mortale.

Subiti motus.

Comprimendæ ſunt malæ cupiditates.

Quamobrem paſſiones, & cupiditates pravæ frœnandæ ſunt, iiſque ratio pervigil occurrere debet, ne limites tranſgrediantur, ac motus earum coercere, & frangere; ſicut Deus præcepto ſuo fluctus maris erumpentes in litore comprimit, frangitque, ne terram abſorbeant: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Job 38. 11.

Ad Deum confugiendum.

Et ſæviente paſſionum tempeſtate, naufragiumque ſpirituale minitante, ad Deum confugere debemus, & cum Apoſtolis orando clamare: *Domine ſalva nos, perimus.* Matth. 8. Ita Jeſus in corde noſtro dormiens excitabitur, imperabitque ventis, & mari, paſſionum tempeſtatem ſedabit, & fiet tranquillitas magna. Elidendæ ſunt pravæ cupiditates, & præfocandæ, ubi primum naſcuntur. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*; (inquit Propheta, de Babylonia loquens.) „ „ Quid ſunt parvuli Babyloniæ? naſcentes malæ cupiditates; *inquit S. Auguſt. Enar. in illud Pſal.* Quando naſcitur cupiditas, antequam robur faciat adverſum te mala conſuetudo, cum

Pſal 136.

par-

parvula eſt cupiditas, elide illam; ſed times, ne eliſa non moriatur? ad petram elide; petra autem erat Chriſtus „ „.

Adverſus cupiditates pugnandum.

De pugna rationis cum concupiſcentia, gratia Chriſti adjuvante, præclare diſſerit *S. Auguſt.* Enar. in Pſ. 143. „ „ Trahis, *inquit*, concupiſcentiæ propaginem, & traducem mortis; habes, contra quod pugnes in te, habes, quod expugnes in te. Sed habes, quem invoces, ut pugnantem adjuvet te, & vincentem coronet te, qui non exſiſtentem fecit te. Cum confligis, aliud eſt opus; cum vincis, aliud opus eſt; cum pacem, & requiem habes, aliud opus eſt. Suggeritur aliquod lucrum, delectat; habet fraudem, ſed magnum eſt lucrum, delectat, non conſentis; pugnam vide; adhuc ſuadetur, adhuc inſtatur, adhuc deliberatur; ergo qui pugnat, periclitatur. Vidimus pugnam, cætera videamus. Contempſit jubet, iam, ut fraudem faceret, victus eſt; contempſit lucrum, ut juſtitiæ ſerviret; vicit. In his tribus, victum doleo, pugnanti metuo. victori congaudeo. Sed etiam ille, qui vicit, nunquid omnino egit in ſe, ut prorſus eum pecunia non attentet, aut nihil in eo excitet delectationis, quamvis ſuperabilis, quamvis contemptibilis, quamvis non ſolum cui non conſentiat, ſed cum qua nec pugnare dignetur? Ineſt tamen aliqua delectationis titillatio. Ista titillatio, & ille hoſtis jam nec pugnat, nec regnat; ineſt tamen, & quaſi moratur in carne mortali, quod non erit. Ducetur enim totum in victoriam, ſed poſtea: Modo autem, corpus quidem mortuum eſt, propter peccatum, & ideo eidem corpori ineſt peccatum, etſi non regnat peccatum; Spiritus autem vita eſt propter juſtitiam. Si autem qui ſuſcitavit Chriſtum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ibi jam nec, quod pugnet, erit, nec quod titillet; totum cedet in pace. Non enim contraria natura contra aliam naturam pugnat, ſed tanquam in domo maritus, & uxor. Si adverſus ſe diſſentiant, moleſtus, & periculoſus la-

Rom. 8.

bor; ſi maritus vincatur, & uxor dominetur, pax perverſa; ſi autem uxor marito dominanti ſubjiciatur, pax recta; non tamen aliud ex alia natura, quia ex homine facta mulier viro. Caro tua, conjux tua, famula tua; quodlibet deputata, opus eſt, ut ſubjicias; & ſi pugnas, ut profit pugna. Hoc enim expedit, inferius ſubjici ſuperiori; ut & ille, qui ſibi ſubjici vult, quod eſt inferius ſe, ſubjiciatur ſuperiori ſe. Agnoſce ordinem, quære pacem. Tu Deo, & tibi caro. Quid juſtius? Quid pulcrius? Tu majori, minor tibi; ſervi tu ei, qui fecit te, ut tibi ſerviat, quod factum eſt propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus, tibi caro, & tu Deo; ſed tu Deo, & tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a ſervo. Nunquid ſi non prius tu Deo, ut deinde tibi caro, poteris dicere hæc verba: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum?* Præliari vis indoctus, damnaberis victus. Prime ergo ſubdas te Deo; deinde illo docente te, & adjuvante te præliaris, & dicas: *Qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum.* Et cum præliaris, quia dum præliaris, periclitaris, dic, quæ ſequuntur, in præliandi periculo conſtitutus: *Miſericordia mea non vincar* „„.

Pſal. 143.

Ex his patet ſequentium Propoſitionum damnanda falſitas: „„ Pleraque peccata, *de quibus ait Apoſtolus*, quod qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt, & quæ expreſſe adverſantur præceptis Decalogi, mortalia dici poſſunt, quoniam horum facinorum rei, aut amiſere omnem charitatis ſenſum, aut exiguum retinent, ita, ut ipſis omnino dominetur cupiditas „„.

„„ Id tamen intelligi poſſet adhibito eo temperamento, ut qui plane repugnantes, ac velut inviti iſta perpetraſſent, aut gravis mali impendentis metu, aut æſtu libidinis abrepti, ita ut ab iſtis anguſtiis liberati acri dolore tangerentur ob commiſſum peccatum; tam certo affirmari non poteſt excidiſſe illos gratia, aut incurriſſe pœnam damnationis; quamquam enim

hoc

hoc momento dominata cupiditas, brevis, & tranſitoria potuit eſſe hujuſmodi dominatio, qua voluntatis intima diſpoſitio non mutatur. Hoc temperamentum naturaliter conſequitur ex doctrina S. Auguſtini „„.

Merito itaque generalis Cleri gallicani Conventus anno 1700. has Propoſitiones damnavit, ut „ falſas, „ erroneas, verbo Dei contrarias, ad excuſanda, & „ imminuenda cujuſvis generis peccata viam aperientes, & imponentes S. Auguſtino „.

REGULA LXXXI.

Peccatum ex malitia gravius eſt peccato, quod ex animi perturbatione, ſive paſſione committitur.

Peccata ex malitia graviora ſunt.

Hanc Regulam triplici ratione firmat *S. Thomas*, „ 1. 2. q. 78. art. 4. Primo, quanto motus ad „ peccatum eſt magis proprius voluntati, tanto peccatum eſt gravius, cæteris paribus. Cum autem ex „ certa malitia peccatur, motus ad peccatum eſt magis proprius voluntati, quæ ex ſeipſa in malum movetur, quam cum ex paſſione peccatur, quaſi ex „ quodam intrinſeco impulſu ad peccandum. Unde „ peccatum hoc ipſo, quod eſt ex malitia, aggravatur, & tanto magis, quanto fuerit vehementior „ malitia; ex eo vero, quod eſt ex paſſione, diminuitur tanto magis, quanto paſſio fuerit magis vehemens.

„ Secundo, quia paſſio voluntatem inclinans ad „ peccandum, cito tranſit, & ſic homo cito redit ad „ bonum propoſitum, pœnitens peccati; ſed habitus, „ quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens; & ideo, qui ex malitia peccat, diuturnius „ peccat.

„ Tertio, quia peccans ex certa malitia, eſt male „ diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt princi„ pium in moralibus; & ſic ejus defectus eſt periculo„ ſior, quam ejus, qui ex paſſione peccat, cujus pro„ poſitum ſecundum habitum ſpectatum, tendit in „ bonum finem, licet ad horam interrumpatur propter

„ pter paſſionem. Defectus autem principii ſemper eſt „ peſſimus.

Denique gravius peccatum eſt, quod graviorem pœnam meretur; at peccatum ex induſtria, ſeu ex malitia commiſſum graviorem pœnam meretur, ſecundum illud, Job 34. *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium, qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo.* Quem locum explicans *S. Gregor.* lib. 25. *Moralium*, cap. 21. „ Gravius quidem, *inquit*, infirmitate, quam „ ignorantia, ſed multo gravius ſtudio quam infir„ mitate peccatur „.

REGULA LXXXII.

Peccata ex pravo habitu, & conſuetudine commiſſa, graviora ſunt peccatis ex infirmitate commiſſis.

De peccatis ex habitu, & conſuetudine.

Qui enim utitur habitu vitioſo (inquit *S. Thomas*, 1. 2. qu. 78.) *neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet.* Peccatum autem ex certa malitia gravius eſt peccato ex infirmitate. Id autem de illis habitibus intelligendum eſt, quibus non repugnat peccator, nec illis deſtruendis, & extirpandis per pœnitentiam, & bonorum operum frequentationem adlaborat.

Præterea vix abſque contemptu peccat, qui prava peccandi conſuetudine perſeverat, ut *S. Thomas* docet 2. 2. q. 186. art. 9. ad tertium.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Iſidoro* lib. 2. *de Summo Bono*, cap. 23. „ „ Peccatum, *inquit*, admittere, cadere eſt in puteum; conſuetudinem vero peccandi facere, os putei eſt coangustare, ne is, qui cecidit, valeat exire. *Et paulo poſt*: Malum eſt peccare, pejus eſt peccandi conſuetudinem facere. Ab illo facile, ab hoc magno cum labore reſurgitur, dum malæ conſuetudini repugnatur. Male agendi conſuetudinem receſſum eſſe Propheta aſſerit in profundum, cujus uſu, quaſi quadam lege, homo tenetur adſtrictus, ut etiam quando non vult, peccatum admittat. *Et rurſus*: Iteratio peccati gravior

vior eſt, ſicut morbus ſuper morbum veniat; ſicut ſi imber ſuper imbrem occurrat „.

Hinc cap. *Tanto*, Ext. *De conſuetudine*, Greg. IX. ait: „ Tanto ſunt graviora peccata, quanto diutius „ infelicem animam detinent alligatam „.

Hinc etiam can. *Diaconi ſunt*, diſt. 93. dicitur: *Aſſidue peccanti Deus non miſeretur*; id eſt, iterato non miſeretur facile, ut explicat Gloſſa. *Nam vulnus iteratum ſanatur tardius, frequenter peccans, & lugens vix veniam meretur*, ut habetur can. *Inanis*; diſt. 3. *de Pœnitentia*.

Miſerabilis ſtatus hominis peccandi conſuetudine irretiti.

Hominis pravo habitu, & diuturna conſuetudine peccandi irretiti miſerabilem ſtatum ſub *Lazari* in monumento quatriduani, jamque fœtentis typo adumbratum non ſemel docet *S. Auguſt.* ejuſque converſionem, uti & Lazari reſurrectionem, difficiliorem eſſe. Ita Serm. 98. alias 44. *De Verbis Domini*, cap. 5. „ „ Qui faciendo quod malum eſt, *inquit*, etiam mala conſuetudine ſe implicant, ut ipſa conſuetudo mali non eos ſinat videre, quia malum eſt, fiunt defenſores malorum factorum ſuorum; iraſcuntur, cum reprehenduntur; in tantum, ut Sodomitæ quondam dicerent viro juſto reprehendenti nequiſſimam voluntatem: Habitare veniſti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, ut jam nequitia eſſet juſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quam factor. Tales conſuetudine maligna preſſi, tanquam ſepulti ſunt. Sed quid dicam, Fratres? Ita ſepulti ut de Lazaro dictum eſt; jam putet. Moles illa impoſita ſepulcro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis, qua premitur anima, nec ſurgere, nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem: *Quatriduanus eſt*. Revera ad iſtam conſuetudinem quarto quodam progreſſu pervenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertium factum, quarta conſuetudo. Sunt enim, qui res illicitas obvias cogitationibus ſuis prorſus ita abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt, qui delectantur, & non conſentiunt; non-

Gen. 19.

Joan. 11.

Gradus quibus ad pravam conſuetudinem pervenit anima.

nondum perfecta mors eſt, ſed quadam modo inchoata. Delectationi accedit conſenſio, jam eſt illa damnatio. Poſt conſenſionem in factum proceditur; factum in conſuetudinem vertitur; & fit quædam deſperatio, ut dicatur: *Quatriduanus eſt, jam putet.* Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia; & difficultatem quamdam oſtendit ibi. Infremuit ſpiritu, oſtendit multo clamore objurgationis opus eſſe ad eos, qui conſuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta ſunt vincula neceſſitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus eſt Lazarus vivus. Liberat enim & de mala conſuetudine Dominus quatriduanos mortuos, nam & ipſe quatriduanus Chriſto reſuſcitare volenti dormiebat. Sed quid ait? Videte genus reſuſcitationis. Proceſſit de monumento vivus, & ambulare non poterat; & Dominus ad diſcipulos; *Solvite eum, & ſinite abire.* Ille ſuſcitavit mortuum, illi ſolverunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam Majeſtatem Dei ſuſcitantis. Increpatur aliquis in mala conſuetudine poſitus, verbo veritatis; quam multi increpantur, & non audiunt? Quis ergo agit intus cum illo, qui audit? Quis vitam inſpirat intrinſecus? Quis eſt, qui ſecretam pellit mortem, ſecretam dat vitam? Nonne poſt objurgationes, poſt increpationes, dimittuntur homines cogitationibus ſuis, & incipiunt ſecum volvere, quam malam vitam gerant, quam peſſima conſuetudine premantur? Deinde diſplicentes ſibi, mutare vitam inſtituunt. Reſurrexerunt iſti, revixerunt, quibus diſplicet, quod fuerunt; ſed reviviſcentes ambulare non poſſunt. Hæc ſunt vincula ipſius reatus. Opus eſt ergo, ut qui revixit, ſolvatur, & ire permittatur. Hoc officium diſcipulis dedit, quibus ait: *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta ſunt & in cælo* „ „.

Ex prava conſuetudine moralis quædam peccandi

Ex prava conſuetudine moralis quædam peccandi neceſſitas emergit, libertatem non minuens, ſed augens, quia in illam homo voluntate prolapſus eſt. De qua *S. Auguſt.* lib 8. *Confeſſionum*, cap. 5. „ „ Suſpirabam,

bam, *inquit*, ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus. *Et infra*, Lex *inquit*, peccati, eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur „„. neceſſitas emergit.

Pravus habitus, & peccati conſuetudo ad duritiem cordis ſenſim perducit. „„ Primum tibi importabile videtur aliquid (*inquit S. Bernardus lib. 1. De Conſideratione*, cap. 2.) proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeo grave, paulo poſt & leve ſenties, paulo poſt nec ſenties, paulo poſt etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem. Sic gravior, & continuus dolor citum habiturus eſt exitum, aut ſanitatem profecto, aut inſenſibilitatem. Vereor, ne in mediis occupationibus, dum diffidis finem, frontem dures, & ita ſenſim te ipſum quodammodo prives ſenſu juſti, utiliſque doloris. Multo prudentius te illis ſubtrahas, vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipſis, & duci certe paulatim, quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Nec pergas quærere, quod illud ſit, ſi non expaviſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis ſalutem unquam adeptus eſt, niſi quem forte miſerans Deus abſtulit ab eo, juxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præ- Ezech. 11.

teri-

teritorum obliviſcens, præſentia negligens, futura non prævidens. Ipſum eſt, cui præteritorum præter ſolas injurias nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla, niſi forte ad ultiſcendum, proſpectio, ſeu præparatio eſt. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur „ „

Neceſſitas voluntaria.

Et Serm. 81. in Cantica: „ „ Quod ſurgere (*inquit*) anima per ſe jam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioſo amore languelcens, & jacens, amorem paritet juſtitiæ non admittit. Ita neſcio, quo pravo, & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem fecit, ut neceſſitas cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas cum ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens; unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat; inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus: *Domine*, inquit, *vim patior, reſponde pro me.* Sed rurſus ſciens, quod non juſte cauſaretur adverſus Dominum, cum voluntas ſua ipſius potius in cauſa foret, attende quid intulerit: *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* Premebatur jugo, non alio tamen, quam voluntariæ cujuſdam ſervitutis. Et erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cum libera eſſet, ſervam fecit peccati, peccato aſſentiendo; voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntarie ſerviendo... Ita anima miro quodam, & malo modo ſub hac voluntaria quadam, ac male libera neceſſitate, & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem; & quod magis mirum magiſque miſerum eſt, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo li-

Pſal. 38.

libera. Miſer ergo homo, quis me liberabit a calumnia hujus pudendæ ſervitutis? Miſer, ſed liber. Liber, quia homo; miſer, quia ſervus. Liber, quia ſimilis Deo; miſer, quia contrarius Deo. *O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi*: Poſuiſti enim, cum non prohibuiſti. Alioquin enim ipſe me poſui, *& factus ſum mihimetipſi gravis.* Juſtiſſime quidem, ut hoſtis tuus hoſtis ſit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego vero, qui tibi, ego, qui mihimet contrarius factus ſum; atque in membris meis invenio, quod contradicat & menti meæ, & legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? Non enim, quod volo, hoc ago; ſed me, non alio prohibente: Et, quod odi, illud facio; ſed me, non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulſio, ita eſſet violenta, ut non eſſet voluntaria, forſitan enim ſic poſſem excuſari; aut certe ita eſſet voluntaria, ut non violenta: profecto enim ſic poſſem corrigi. Nunc vero nuſquam exitus miſero patet, quem & voluntas (ut dixi) inexcuſabilem, & incorrigibilem neceſſitas facit. *Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui?* Quærit quis, de quo querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus „ „. Job 7. 20. Pſal. 70. 4.

Hoc in ſtatu obdurationis poſitus peccator: *Divitias bonitatis, & longanimitatis Dei contemnit, ignorans, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam illum adducit*: Ille autem *ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor, theſaurizat ſibi iram in die iræ, & juſti judicii Dei*, (ut ait Apoſtolus.) Hæc enim obſtinatio, cordiſque durities ad impœnitentiam perducit, quod peccatum eſt in Spiritum ſanctum, in hoc, & in futuro ſeculo irremiſſibile. Eſt enim *Frigus Dei*, qui *deſerit peccatorem, non vocat, non aperit ſenſum, non infundit gratiam*; (ut docet *S. Auguſt.* Enarr. in Pſal. 147.) Rom. 2. Matth. 12.

REGULA LXXXIII.

Violentia omnino excuſat a peccato.

Violentia excuſat a peccato.

Nullum enim eſſe poteſt abſque voluntate peccatum. At violentia involuntarium cauſat, ut docet *S. Thomas* 1. 2. qu. 6. art. 5.

Confirmatur ex Concilio ancyrano, can. 3. cujus hæc ſunt verba: „„ Qui fugientes comprehenſi ſunt, vel a domeſticis traditi, vel ademptis facultatibus ſuſtinuere tormenta, aut in cuſtodiam truſi proclamaverunt, ſe Chriſtianos eſſe, & eo uſque adſtricti ſunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funeſtis ſacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per neceſſitatem ſumere cogerentur; confitentes jugiter ſe Chriſtianos eſſe, & luctum rei, quæ contingit, inceſſabiliter oſtendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ; hos velut extra delictum conſtitutos, a communionis gratia non vetamus „„. Refertur Canon *Presbyteros*, diſt. 50. Idemque docet *Innocent. III.* cap. *Majores*, Ext. *De Baptiſmo, & ejus effectu*; cujus hæc ſunt verba: „„ Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem ſuſcipit Sacramenti... Sicut, nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans, thurificare idolis cogitur violenter „„.

Violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervetur.

Hinc etiam virgo vi oppreſſa inſons eſt. Unde *S. Lucia* dicebat Tyranno: *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. S. Auguſt.* Ep. 228. alias 180. ad *Honoratum*, *ait*: „„ Violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur: Quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur. *Et lib.* 1. *De Civ. De cap.* 18. At enim (*inquit*) ne, vel aliena polluat libido metuitur? Non polluet, ſi aliena erit; ſi autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem,

qua

qua potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire decernit; nullus autem magnanimus, & pudicus in poteſtate habeat, quid de ſua carne fiat; ſed tantum quid annuat mente, vel renuat; quis eadem ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam; ſi forte in apprehenſa, & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit; nec pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur, ſed in bonis corporis numerabitur; qualia ſunt vires, pulchritudo, ſana integraque valetudo, ac ſi quid hujuſmodi eſt; quæ bona, etiamſi minuantur, bonam juſtamque vitam omnino non minuunt. Quod ſi tale aliquid eſt pudicitia, ut quid pro illa, ne amittatur, etiam cum periculo corporis laboratur? Si autem animi bonum eſt, etiam oppreſſio corpore non amittitur. Quin etiam ſanctæ continentiæ bonum, cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur; & ideo cum eis non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, nec de ipſo corpore perit ſanctitas, quia eo ſancte utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas. Neque enim eo corpus ſanctum eſt, quod ejus membra ſunt integra, aut eo, quod nullo contrectantur attactu; cum poſſit diverſis etiam caſibns vulnerata vim perpeti, & medici aliquando ſaluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret aſpectus. Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem manu velut explorans, ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, perdidit. Non opinor quemquam tam ſtulte ſapere, ut huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita. Quocirca propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ. An vero ſi aliqua fæmina mente corrupta, violatoque propoſito, quod Deo voverat, pergat vitianda

ad deceptorem ſuum, adhuc eam pergentem ſanctam, vel corpore dicimus, ea ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur, amiſſa, atque deſtructa? Abſit hic error, & hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo; ſicut amittitur corporis ſanctitas, violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto „ „.

Hinc *S. Leo* Epiſt. 1. alias 87. ad Epiſcopos africanos Provinciæ mauritaniæ Cæſarienſis, can. 8. de Virginibus vi barbarica oppreſſis reſpondet: „ „ Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare Virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur; & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui; minus tamen hoc illis oberit, ſi quod potuerunt animo non amittere, doleant ſe, vel corpore perdidiſſe „ „. Refertur can. *Ille autem*, 14. cauſa 22. qu. 5.

Non ſufficit ad perfectam violentiam, quæ a peccato excuſet, ut mens repugnet facinori, niſi vir, aut mulier opere etiam externo renitatur, quantum poteſt.

Non ſufficit tamen ad perfectam violentiam, quæ involuntarium facit, & a peccato penitus exculat, ut mens repugnet facinori, ſed neceſſe eſt, ut homo etiam opere externo renitatur, quantum poteſt. Unde ſi virgo per vim opprimatur, animo quidem repugnans facinori, ſed vel clamore, vel totis etiam viribus non reſiſtens ſtupratori, perfectam violentiam paſſa non cenſetur, nec a peccato eſt immunis. „ „ Voluntarium enim poteſt aliquid dupliciter dici (*inquit S. Thomas loco ſupra laudato, ad ſecundum.*) Uno modo ſecundum actionem, puta cum aliquis vult aliquid agere; alio modo ſecundum paſſionem, ſcilicet cum aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non eſt ſimpliciter violentum; quia licet ille, qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati. Unde non poteſt dici involuntarium „ „.

Quam-

Quamvis autem non omnino insontes sint, quibus infertur violentia, si mente sola, non autem opere exteriori vel toto conatu, viribusque facinori reluctantur, tamen minus rei sunt iis, qui nec mente repugnant, sed plene consentiunt. Tales erant, qui ad profana, & sacrilega Ethnicorum Sacrificia ducti, vel compulsi, totis quidem viribus non reluctabantur, sed repugnantem voluntatem externis mœroris signis, & externo habitu obtendebant. Unde mitiorem illis pœnitentiam Conc. Ancyranum imponendam decrevit can. 4. „ „ De his (*inquit*) qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in idolio, quicunque eorum, cum ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt; placuit eos inter audientes uno anno constitui; succumbere vero (*sive prosterni*) tribus annis; in oratione autem communicare biennio; & tunc ad perfectionis gratiam (*id est, ad Eucharistiæ communionem*) pervenire. Quotquot autem ascenderunt Templa veste lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere discubitus, si compleverint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio subjecti pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio consequantur „ „.

REGULA LXXXIV.

Metus ita gravis & vehemens, ut hominem sui compotem non relinquat, a peccato penitus excusat.

An metus Peccatum excuset, vel minuat.

Non enim vitio vertuntur, quæ ex mentis deliberatione non processerunt, cum sint penitus involuntaria.

REGULA LXXXV.

Metus etiam gravis non excusat omnino a peccato hominem, quem sui compotem relinquit, in iis, quæ sunt per se, & intrinsece mala.

Metus vulgo dividitur in levem, & juſtum. Levis dicitur, quo leve malum timetur, aut grave quidem, ſed ex cauſa levi, nec probabili. Quo metu perſonæ leves, & meticuloſæ percelli ſolent. Juſtus vocatur, quo ex cauſa probabili grave malum timetur, vel futurum vel imminens. Et quia hujuſmodi metu etiam graves, & conſtantes viros percelli contingit, dicitur metus cadens in conſtantem virum. Mala autem gravia, quæ, dum verisimiliter imminent, metum juſtum incutiunt, ſunt mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, carcer, exilium, ſervitus, damnatio ad triremes, proſcriptio, vel gravis jactura bonorum, ablatio inſtrumentorum artis, ex quo homo victum quærit, infamia gravis, nec facile abolenda, excommunicatio injuſta.

Quod autem metus gravis non excuſet omnino a peccatis hominem ſui compotem, in iis, quæ ſunt per ſe, & intrinſece mala, inde probatur, quod ea, quæ per ſe mala ſunt, nullo eventu deſinant eſſe mala; & voluntarium ſit ſimpliciter, quod fit ex metu, quatenus ſpectatur ſecundum accidentia circumfuſa, ſive ſecundum circumſtantias, quamvis ſecundum ſe, & ſeclusis illis circumſtantiis involuntarium ſit; ſic projectio mercium in mare ad navim, & vitam ſervandam; imminente naufragio, voluntaria eſt, quæ alias voluntati repugnaret. „„ Illud *ergo*, quod per metum agitur, abſque conditione eſt voluntarium, id eſt, ſecundum quod actu agitur; ſed involuntarium eſt ſub conditione, id eſt ſi talis metus non immineret (*inquit S. Thomas*, 1. 2. *qu.* 6. *art.* 6.) *Et* 2. 2. *qu.* 125. *art.* 3. Si aliquis (*inquit*) propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, ſic diſpoſitus eſt, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod eſt præceptum in lege divina; talis timor eſt peccatum mortale „„. Et certe, ſoli peccato mortali debetur pœna inferni, quæ tamen debetur timidis, ſecundum illud Apoc. 21. *Timidis, & incredulis... pars erit in ſtagno ignis, & ſulphuris, quod eſt mors ſecunda.*

Et

Et art. 4. „ „ Si aliquis per timorem fugiens mala, quæ ſecundum rationem ſunt minus fugienda, incurrat mala, quæ ſecundum rationem ſunt magis fugienda; non poſſet totaliter a peccato excuſari, quia timor talis inordinatus eſſet. Sunt autem magis timenda mala animæ, quam mala corporis; corporis autem magis, quam mala exteriorum rerum. Et ideo ſi quis incurrat mala animæ, id eſt, peccata, fugiens mala corporis, puta, flagella, vel mortem; aut mala exteriorum rerum, puta, damnum pecuniæ; aut ſi ſuſtineat mala corporis, ut vitet damnum pecuniæ, non excuſatur totaliter a peccato „ „. At quæ ſunt per ſe, & intrinſece mala, ſemper peccata ſunt: Igitur ſunt magis timenda ipſa morte corporis, quæ *Omnium terribilium terribiliſſimum* in Scriptura ſacra vocatur. Quamobrem in his, quæ ſunt per ſe mala, metus non excuſat ex toto a peccato.

Confirmatur ex *S. Auguſt.* lib. *De Agone Chriſtiano*, cap 33. ubi docet, diabolum per timorem, & cupiditatem tanquam per duas januas intrare. „ „ Perfecta charitas (*inquit*) nec cupiditatem habet ſeculi, nec timorem ſeculi, id eſt nec cupiditatem, ut acquirat res temporales, nec timorem, ut amittat res temporales. Per quas duas januas intrat, & regnat inimicus, qui primo Dei timore, deinde charitate pellendus eſt „ „. At per timorem non intraret, & regnaret inimicus, ſi timor a peccato omnino excuſaret.

REGULA LXXXVI.

Metus gravis aliquatenus excuſat, minuitque peccatum, etiam in iis, quæ ſunt intrinſece mala.

An metus peccatum excuſet vel minuat.

Minuit enim voluntarium, ac libertatem ejus, qui metu id agit, quod alioquin facturus non erat, ut docet *S. Thomas*, 1. 2. qu. 125. art. 4. „ „ Diminuitur tamen (*inquit*) ſecundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium eſt, quod ex timore agitur. Imponitur enim homini quædam neceſſitas aliquid faciendi propter timorem imminentem „ „.

Confirmatur ex Conc. Ancyrano, Can. 5. Pœni-

tentiam quidem publicam; ſed breviorem, minuſque gravem imponente. „ His, qui minis tantum ceſſere „ poenarum, aut privatione facultatum territi, aut „ demigratione, ſacrificaverunt „.

Confirmatur ſecundo ex *S. Leone*, Ep. 129. alias 79. ad *Nicetam* Epiſcopum Aquilejenſem, cap. 5. ubi reſpondet: His, qui captivi cum eſſent, idolothyta fame, vel metu compellente comederant, leviorem imponendam eſſe poenitentiam. „„ De his autem Chriſtianis (*inquit*) qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis aſſeruntur eſſe polluti, conſultationi Charitatis tuæ hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus, ut poenitentiæ ſatisfactione purgentur, qua non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt. Et ſive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cum hujuſmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro Religionis veneratione ſit ſumptus „„.

Et cap. 6. Cum his etiam humanius agendum eſſe reſpondet, qui metu, vel errore ſunt rebaptizati. „„ His vero (*inquit*) de quibus Dilectio tua ſimiliter Nos credidit conſulendos, qui ad iterandum Baptiſmum, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram nonniſi per poenitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus, Communionis recipiant unitatem, tempora poenitudinis tuo conſtituente judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos „„.

Confirmatur tertio ex Can. *Imprimis*, cauſa 2. q. 1. ubi *S. Gregorius* jubet, ut Epiſcopis, qui alterius Epiſcopi depoſitioni metu judicis conſenſerant, levior imponatur poenitentia: „„ Si autem (*inquit*) Epiſcopi in præjudicium condemnationis, vel depoſitionis memorati Stephani, ſe metu judicis conſenſiſſe, & talia feciſſe non ſua ſponte profeſſi fuerint, tempus eis abbreviandum eſt, & modus poeniten-

tiæ

tiæ temperandus „„. Sumptum eſt ex Ep. 50. lib. 11. ad *Joannem Defenſorem* data.

Confirmatur quarto ex cap. *Sacri*, Ext. *De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, ubi *Innocent. III.* aliter cenſendum reſpondet de eo, qui cum excommunicatis coactione adſtrictus communicat, & de eo, qui metu adductus hujuſmodi communione polluitur. „„ In primo caſu (*inquit*) talem non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur. In ſecundo, licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorſus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari „„.

Metum aliquatenus minuere culpam dixi, quia non ita minuit, ut de mortali venialem faciat; ſed quod relinquendo peccatum intra limites mortalis, ſi ſit ex ſe mortale, faciat, ut ſit levius, quam alias eſſet, ſecluſo metu. Unde nuſquam a mortali peccato excuſantur, qui metu tormentorum quantumcunque gravium, aut etiam mortis pejerant, Chriſtum negant, falſam Religionem ſimulant, Sacramenta violant, furta, aut homicidia committunt, fornicantur, aut hujuſmodi peccatis cooperantur, vel conſentiunt. Quævis enim atrociſſima ſupplicia potius toleranda ſunt, & mors ipſa perferenda, quam ut Deum offendamus. Atque in eo maxime Chriſtianam fortitudinem exercere debemus, quæ *Uſque ad mortem certat pro juſtitia*, ut præcipit Deus *Eccleſ.* 4. Hæc fortitudo Martyrum noſtrorum animos in bono virtutis confirmavit, ut fidem, & juſtitiam propter metum perſecutionum, ſuppliciorum, quæ intentabat, exquiſitiſſima crudelitas, & mortis ipſius, non deſererent. Primo ſcilicet homini dictum eſt: *In quacunque die comederis, morte morieris.* Chriſtiano homini dicitur, *Morere, ne pecces.* Quod illę accepit in pœna, hoc contemnunt homines pro victoria. Primis parentibus „„ Mortem comminatus eſt Deus, ne peccarent; mortem Martyribus inimicus comminatus eſt, ut peccarent. Illi, ut morerentur, peccaverunt:

Martyres mortui ſunt, ne peccarent. Unde illis pœna inflicta, inde iſtis gloria ſuſcitata „„; (*inquit S. Auguſt.* Serm. 318. alias 25. inter editos a *P. Sirmondo.*)

Ex his patet, quam merito damnata ſit inter alias ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo hæc Propoſitio. „ Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum „ Adminiſtrationem ſimulandi „.

Item iſta: „„ Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id facit metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur „„.

Ex iiſdem principiis damnata eſt & iſta ab *Alexandro VII.* inter alias: „ Vir equeſtris ad duellum pro„ vocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis no„ tam apud alios incurrat „.

REGULA LXXXVII.

Gravius illorum peccatum eſt, qui futurorum malorum, quam eorum, qui præſentium metu peccant.

An metus peccatum excuſet, vel minuat.

Minus enim terrent futura mala, quam præſentia; minus itaque rationem perturbant, libertatemque minuunt. Inſignis eſt hanc in rem *S. Cypriani* locus, Tract. *De Lapſis*, ubi de illis, qui metu exilii, aut proſcriptionis bonorum, & de illis, qui vi tormentorum, Chriſtum negaverant, & idolis immolaverant, ſic loquitur. „„ Nec eſt, proh dolor! juſta aliqua, & gravis cauſa, quæ tantum facimus excuſet. Relinquenda erat patria, & patrimonii facienda jactura. Cui enim naſcenti, atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonii ſui facienda jactura eſt? Ut Chriſtus non relinquatur, ſalutis, ac ſedis æternæ jactura timeatur... Sed tormenta poſtmodum ventura erant, & cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis poteſt,

qui

qui per tormenta ſuperatus eſt : Excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt in dolore, poteſt rogare talis, & dicere : Certare quidem fortiter volui, & Sacramenti mei memor, devotionis, ac fidei arma ſuſcepi ; ſed me in congreſſione pugnantem cruciamenta varia, & ſupplicia longa vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt ; ſed cum duriſſimi judicis recrudeſcente ſævitia, jam fatigatum, jam laſſum corpus nunc flagella ſcinderent, nunc fuſtes contunderent, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt cito proficere ad veniam cauſa talis ; poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis. Sic Caſto, & Æmilio aliquando Dominus ignovit ; ſic in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent ; & unde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat. Nunc vero, quæ vulnera oſtendere victi poſſunt ? Quas plagas hiantium viſcerum ? Quæ tormenta membrorum, ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit ? Nec excuſat oppreſſum neceſſitas criminis, ubi crimen eſt voluntatis „ „.

REGULA LXXXVIII.

In iis, quæ non ſunt per ſe, & intrinſece mala, ſed ideo tantum mala, quia probibita, metus gravis, ut plurimum, a peccato penitus excuſat.

Lex enim, ſive naturalis, ſive divina, ſecundum præcepta poſitiva ſpectata, non ſemper obligant cum vitæ, aut gravis mali periculo : Multo minus vero ita obligat ſemper, vel ut plurimum humanæ leges : In his igitur interdum, imo ſæpe a peccato penitus excuſat metus gravis. An metus peccatum excuſet, vel minus.

De præceptis poſitivis Legis naturalis perſpicua pro-

propoſitio eſt. Lex enim de reddendo depoſito non obligat eum, cui ex redditione depoſiti mors imminet. Lex de eleemoſyna eroganda graviter indigenti, non obligat eum, qui fame moriturus eſt, ſi panem, quem unicum habet, alteri tribuat. Lex de ſecreto ſervando non obligat eum, cui mortem, membrorum mutilationem, graviſſima verbera, durum carcerem, perpetuam infamiam allatura eſſet ejus obſervatio, niſi ſit ejuſmodi arcanum, cujus obſervantia ſit majoris momenti, quam vita, fama, libertas cujuslibet privati, qualia ſunt arcana Religionem ſpectantia, ut ſecretum Confeſſionis ſacramentalis; vel ea, quibus Eccleſiæ, aut Reipublicæ commune bonum, Regiſve ſalus, & vita conſiſtunt, & quorum revelatione in diſcrimen adducerentur.

De præceptis Legis divinæ poſitivæ res non minus explorata eſt. Nam David urgente neceſſitate comedit panes Propoſitionis, ut refertur 1. *Reg.* 21. Quos alioquin comedere iis, qui ex familia Sacerdotali non eſſent, Lex vetabat, *Lev.* 24. Davidiſque factum Chriſtus approbat *Matth.* 12. eadem ratione excuſans diſcipulos, quod Sabbato ſpicas vellerent. Et Sabbati Sacerdotes in Templo Sabbatum violabant ſine crimine, ut ibidem Salvator ait. *Nam Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum*, ut idem rurſus ait *Marci* 2.

De Legibus humanis, tam eccleſiaſticis, quam civilibus, idem communi ſuffragio Theologi cenſent, excuſari, v. gr. a Jejunio, a Miſſa diebus Feſtis audienda, ab Horis Canonicis recitandis, a vitandis excommunicatis, aliiſque ſimilibus, eos, qui ſine vitæ, aut alterius gravis incommodi periculo præcepta illa ſervare non poſſunt. Hinc *S. Thomas*, 2. 2. qu. 147. art. 4. ad primum: „„ Præcepta (*inquit*) Dei ſunt præcepta juris naturalis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis; ſed præcepta Eccleſiæ ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ. Et ideo poſſunt eſſe aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad obſer-

ſervanda Jejunia hujuſmodi non tenentur „ „. Idem eſto de legibus civilibus judicium. Cum enim legum ferendarum poteſtas data ſint hominibus propter bonum commune, quod nec ſemper, nec ut plurimum poſtulat, ut ſubditi ad ea, quæ præcipiunt, exequenda cum periculo vitæ obligentur, certum eſt, leges ab ipſis conditas, cum periculo tam gravi non obligare; adeoque juſtum gravis periculi metum ab earum obſervantia ſæpius excuſare.

In his metum gravem a peccato, ut plurimum excuſare dixi: Certi enim ſunt caſus, quibus etiam humanæ leges, cum vitæ periculo obligant, ubi de Eccleſiæ, vel Reipublicæ communi bono agitur, quod procurari non poteſt, niſi privatorum vita, qui corporis eccleſiaſtici, aut politici membra ſunt, periculo exponatur. Quamobrem Epiſcopus, & Parochus ſæviente in univerſum gregem Chriſtianum perſecutione, aut graſſante peſte, vel obſidionis, aut excidii imminente periculo, manere in Diœceſi, vel Parochia, & fidem confiteri, prædicare, Fideles in ea confirmare, Sacramenta adminiſtrare tenentur, ut docet *S. Auguſt.* Ep. 228. alias 180. ad *Honoratum.* Si enim fugiant, Chriſtiana Plebe manente, miniſteriumque ſubtrahatur, non bono Paſtori, ſed mercenario ſimiles ſint, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, quia non eſt illi cura de ovibus. „„ Quod enim ad nos attinet, qui in hac re non falluntur errore, ſed formidine ſuperantur; quare non potius contra ſuum timorem Domino miſerante, atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala ſine comparatione graviora, quæ multo amplius ſunt tremenda, contingant? Fit hoc, ubi Dei charitas flagrat, non ubi mundi cupiditas fumat. Sed charitas ex Deo eſt. Oremus ergo, ut ab illo detur, a quo jubetur. Et per hanc magis timeamus, ne oves Chriſti ſpiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocunque, quocunque mortis genere morituri ſunt. Magis timeamus, ne ſenſu interiori corrupto pereat caſtitas fidei, quam,

Certi caſus, in quibus humanæ leges etiam cum vitæ periculo obligant.

quam ne feminæ violenter conſtuprentur in carne. Quia violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur. Magis timeamus, ne lapides vivi extinguantur deferentibus nobis, quam ne lapides, & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præſentibus nobis. Magis timeamus, ne membra Corporis Chriſti deſtituta ſpiritali victu necentur, quam ne membra corporis noſtri oppreſſa hoſtili impetu torqueantur. Non quia iſta non ſunt vitanda, cum poſſunt, ſed quia potius ferenda ſunt, quando vitari ſine impietate non poſſunt. Niſi forte quiſquam contenderit, non eſſe Miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahit miniſterium pietati neceſſarium, quando magis eſt neceſſarium. An non cogitamus, cum ad iſtorum periculorum perventum extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blaſphemia de abſentia Miniſteriorum, & Miniſtrorum? Vide, quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum „„.

Epiſcopos quidem, & quoſdam alios Miniſtros ipſis auctoribus, recte aliquando fugere talibus imminentibus malis, ut ſe pro utilitate Eccleſiæ temporibus tranquillioribus ſervent, cum *S. Auguſt.* fatemur; ſed tunc tantum „„ Recte hoc fit a quibuſdam, quando non deſunt alii, per quos ſuppleatur eccleſiaſticum Miniſterium, ne ab omnibus deſeratur „„: Quod *S. Athanaſio* factum eſt, cum eum apprehendere *Conſtantius* cuperet Imperator, nequaquam a cæteris Miniſtris deſerta Plebe catholica,

quæ

quæ Alexandriæ commanebat. „„ Sed quando eſt commune periculum, magiſque timendum eſt, ne quiſquam id facere credatur, non conſulendi voluntate, ſed timore moriendi, magiſque fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio, nulla ratione faciendum eſt. Denique S. David, ne ſe committeret periculis præliorum, & fortaſſis *extingueretur*, ſicut ibi dictum eſt, *lucerna Iſrael*, a ſuis hoc petentibus ſumpſit, non ipſe præſumpſit; alioquin multos imitatores feciſſet ignaviæ, qui eum crederent hoc feciſſe non conſideratione utilitatis aliorum; ſed ſuæ perturbatione formidinis „„.

Sive autem ſecedat Epiſcopus, Eccleſiæ utilitate exigente, ſive maneat poſtulante neceſſitate, & officio charitatis urgente, Parochi, & alii Sacerdotes ab Epiſcopo conſtituti, ut eccleſiaſtica Miniſteria ſuppleant, cum periculo vitæ parere tenentur Epiſcopi præcepto; ſicut & Milites duci præcipienti, ut in ſtatione maneant, ut excubias agant, ut hoſtiles muros aſcendant, ut cum hoſte congrediantur, ut per mare navigent, etiam cum vitæ periculo. Nullus itaque metus, quantumvis juſtus, & gravis, utriuſque Militiæ viros excuſat a peccato, ſi officio ſuo deſint, & Superiorum præceptis his in caſibus non pareant.

Sed & alia exceptio adhibenda eſt circa legum humanarum obſervationem cum periculo vitæ, aut graviſſimi cujuſque incommodi. In iis enim caſibus, & circumſtantiis, in quibus legis violatio vergeret in contemptum Fidei, aut Religionis, vel eccleſiaſticæ, aut regiæ Poteſtatis, lex humana obligat cum periculo vitæ; quia pluris refert, Fidem, Religionem, & eccleſiaſticam, vel regiam Poteſtatem non contemni, quam vitam corporis conſervari. Quamobrem ſi cui metus mortis incutiatur, niſi carnes die jejunii comedat, niſi Miſſam audire prætermittat, niſi Sacrum coram excommunicatis celebret, niſi Regis edictum palam violet; idque fieri conſtet, aut veriſimile ſit in contemptum Fidei,

Re-

Religionis eccleſiaſticæ, vel regiæ Poteſtatis; ſive ad oſtendendum, Fidem, & Religionem chriſtianam catholicam veram non eſſe, aut talem a nobis non credi, conſtanterque teneri; aut Leges eccleſiaſticas, vel civiles eſſe flocci faciendas, nec Eccleſiæ, aut Regi parendum eſſe; ſive ad hujuſmodi leges fugillandas, & auctoritatem, qua conditæ ſunt, ludibrio exponendam; vel ſi grave ſcandalum ex hujuſmodi legum violatione alias oriatur, mortem potius oppetere neceſſe eſt, quam leges illas violare. Unde nullus metus, quantumcunque gravis, & juſtus; in his caſibus, & circumſtantiis, excuſat penitus a peccato legum illarum violatores.

IN-

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM, ET RERUM, QUÆ IN HOC TOMO SEXTO TRACTANTUR.
LIBER SECUNDUS.
TRACTATUS
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT I. De Natura, & institutione Matrimonii. pag. 1
Varia Matrimonii nomina. ibid.
ART. I. Quid sit Matrimonium. 3
ART. II. Quotuplex sit acceptio Matrimonii. 5
ART. III. De Matrimonio, quatenus naturæ officium est. 9
Propositio I. Matrimonium ut officium naturæ a Deo institutum est, tum naturæ lege, tum positiva. ibid.
Propositio II. Matrimonii contrahendi non est omnibus posita lex. 13
Articuli Consectaria Praxim spectantia. 16
Regula I. Qui potestatem adhuc habent Nuptiarum, & continentiæ consilium capere non possunt, Matrimonium inire tenentur. ibid.
Regula II. Qui continentiæ voto sunt adstricti, sanctiora remedia quærere, & adhibere debent, ut continentiæ donum a Deo impetrent; cum votum necessario servandum sit. 17
Regula III. Conjugibus, quos a mutuo consortio, vel diuturnus morbus, vel absentiæ necessitas, vel justa divortii causa separat, nullum carnali commercio quærere licet continentiæ remedium, sed continentiam omnino servare tenentur. 18
Regula IV. Reges, ac Principes, eorumque filii, & filiæ nubere debent, cum ex eorum cœlibatu periculum imminet Religioni, aut reipublicæ tranquillitati, & paci. 19
Regula V. Matrimonium contrahendo graviter peccant, qui ad contrahendum aliis rationibus, finibusque moventur, præter eas, ob quas a Deo institutum est. ibid.
ART. IV. Matrimonium ut Sacramentum est. 24
Propositio I. Matrimonium est verum, proprieque dictum novæ Legis Sacramentum. ibid.
Propositio II Matrimonii Sacramentum gratiam conferre, dogma fidei est. 28
Consectarium I. 33
Consectarium II. Matrimonium infidelium non est proprie dictum Sacramentum. ibid.
Consectarium III. Dubium est, an matrimonium per procuratores inter Fideles absentes contractum sit vere Sacramentum 34
ART. V. De materia, forma, & ministro Sacramenti matrimonii. 35
§. I. ibid.
§. II. 39
ART. VI. De Polygamia. 44

INDEX

Propoſitio I. Polygamia a matrimonii natura aliena eſt. ibi
Propoſitio II. Accuſandi non ſunt priſci Patres, qui veteris Legis tem
pore plures uxores duxerunt.
ART. VII. De Indiſſolubilitate matrimonii.
Propoſitio I. Conjugii vinculum nulla re niſi morte ſolvitur. ibi
Propoſitio II. Ne adulterii quidem cauſa conjugii vinculum diſſol
poteſt.
Propoſitio III. Matrimonium ratum, non conſummatum, monaſtica Pr
feſſione diſſolvitur.
Articuli Conſectaria, ſeu Regulæ praxim ſpectantes.
Regula I. Conjuges facto ob adulterium alterutrius divortio, continer
tiam ſervare tenentur, aut conjugibus adulteris reconciliari. ibi
Regula II. Nec filiorum gignendorum cauſa licet alteram ducere, d
miſſa adultera.
Regula III. Crimen geminat, qui uxorem adulteram occidit, vel mo
tem illi procurat, ut ducere alteram poſſit.
Regula IV. Nec voto ſimplici continentiæ, nec Ordinis ſacri ſuſcepti
ne, nec profeſſione religionis a Sede apoſtolica non approbatæ, n
vita Eremitica matrimonium non conſummatum ſolvitur.
Regula V. Novis conjugibus ante matrimonii conſummationem duo mer
ſes conceduntur ad deliberandum de ingreſſu religionis, intra quo
temporis intervallum iis, qui ea de re deliberat, conſummare no
tenetur, quamvis altera pars urgeat.
Regula VI. Si conjugum alterum ante matrimonii conſummationem i
gredi monaſterium, habitumque religioſum ſuſcipere contingat, alt
novum matrimonium contrahere non poteſt, niſi poſt illius profeſſi
nem.
Regula VII. Si mulier ſuſcepto velo, in domo propria remanere veli
quaſi propoſitum caſtitatis in ſeculo ſervatura; nihilominus conſum
mandum eſt matrimonium jam contractum; niſi ſe voto ſolemni adſtri
xerit ad obſervantiam regularem, in quo caſu compelli poteſt, ut r
licto ſeculo religionis propoſitum exequatur. ibi
Regula VIII. Conſummato matrimonio, neutri conjugum licet, abſqu
alterius conſenſu, monaſterium ingredi, ſeu continentiam vovere; quo
ſi voverit, irritum ipſo jure votum eſt, poteſtque conjux repete
conjugem, qui matrimonii jugum inconſulto excutere voluit. Si ver
ex conſenſu voverint, continentiam ſervare tenentur. ibi
Regulæ IX. X. & XI.
Regula XII. Si conjugum alter a Fide catholica defecerit, pars, qu
in fide perſeveravit, ad vitæ monaſticæ profeſſionem libere convola
poteſt, altera nolente, etiamſi ab infidelitate revertatur.
Regula XIII. Conjux, quæ continentiam vovit, cohabitare debet viro
qui ejus voto ad tempus conſenſit, nec perpetuam vovit continer
tiam; ſeque invicem debent maritali affectione tractare. ibi
Regula XIV. Mulier, quæ maritum mortuum credens, habitum religi
nis aſſumpſit, & profeſſionem emiſit, viroque reverſo de monaſteri
educta, & ipſi reſtituta eſt, debitum illi reddere tenetur, exigere no
poteſt. ibi
Regula XV. Alter conjugum, altero in ſeculo remanente, ad regulari
vitæ profeſſionem non eſt recipiendus, &c.

Re-

INDEX

Regula XVI. Matrimonium legitime contractum; ratumque, etsi non consummatum, romanus Pontifex dirimere non potest. ibid.
ART. VIII. De Bonis Matrimonii. 81
CAP. II. De causa efficiente matrimonii. 85
ART. I. De Consensu contrahentium. ibid.
Propositio I. Mutuus contrahentium consensus, per verba de præsenti expressus, est causa efficiens matrimonii. ibid.
Articuli Consectaria, seu Regulæ praxim spectantes. 88
Regula I. Consensus fictus per verba de præsenti expressus, ad matrimonium non sufficit, si desit consensus interior. ibid.
Regula II. Qui ficte, ac simulate matrimonium cum aliqua contraxit, eam ducere tenetur. Hanc tamen Regulam certis exceptionibus Theologi merito temperant. 89
Regula III. Qui post matrimonium ficte contractum cum una; secundum sincere contraxit cum altera, non tenetur, nec potest tuta conscientia redire ad priorem, etiamsi Judicis ecclesiastici sententia, censurisque compellatur. 90
Regula IV. Proles ex matrimonio ficte contracto suscepta, antequam fictio alteri conjugi innotescat, vel probetur, legitima censenda, ac judicanda est. 91
Regula V. Cum unius conjugum affirmat sibi defuisse consensum, non statim licet alteri novum conjugium inire. ibid.
Regula VI. Consensus ex metu gravi, & in virum constantem cadente, ad matrimonii firmitatem non sufficit; sed ita contractum, nullum, & irritum est. 92
Regula VII. Consensus ex metu, quo vir constans affici, concutique possit, juste illato sufficit ad matrimonii firmitatem. 94
Regula VIII. Metus a causa naturali, vel interna proveniens irritum non facit Matrimonium. 95
Regula IX. Metus injuste incussus irritum non facit Matrimonium ex eo contractum, si ad extorquendum consensum in Matrimonium illatus non sit. 96
Regula X. Nullus metus in virum constantem cadens compellere potest hominem, ut debitum reddat mulieri, cum qua Matrimonium contrahere coactus est, si Matrimonium istud nullum sit defectu consensus, aut propter canonicum impedimentum. 97
Regula XI. Ratum est Matrimonium ex metu reverentiæ contractum. ibid.
Regula XII. Matrimonium defectu consensus irritum, si inter personas alioqui legitimas, coram parocho, & testibus contractum sit, novo conjugum, qui metu compulsi, vel ficte contraxerant, consensu privatim, taciteque præstito convalescit. 98
Regula XIII. Matrimonium contractum inter personas, quæ illegitimæ erant propter aliquod impedimentum dirimens, impetrata dispensatione convalescere non potest, nisi novus utriusque consensus accedat, verbis, aut signis expressus. 99
Regula XIV. Filii præcepto patris cogi non possunt ad matrimonium contrahendum, vel ad hanc ducendam, aut illum accipiendum, regulariter, seu quibuscunque de causis patrem ad id moventibus. 101
Regula XV. Causæ quædam justæ, ac legitimæ interdum occurrunt, ob quas pater filium consiliis, monitis, & quandoque præcepto inducere

INDEX

poteſt, ut uxorem ducat, atque etiam, ut hanc, vel illam accipiat, & ſimiliter filiam ut huic, vel illi nubat 102
Regula XVI. Conſenſus conditionatus ad matrimonium non ſufficit; nec illud ratum eſt, niſi conditio evenerit, ſeu impleta fuerit, ſi poſſibilis, ac honeſta ſit, & de futuro. 104
Regula XVII. Si conditio licita, honeſta, & poſſibilis impleta non fuerit, ſed tamen contrahentes a conditione per contrarium factum receſſerint, ratum eſt, & perfectum Matrimonium. 106
Regula XVIII. Matrimonium coram parocho, & teſtibus contractum ſub conditione de præterito, vel de præſenti, nullum eſt ab initio, ſi conditio defuerit, nec ſubſecuta copula convaleſcit, ac perficitur. ibid.
Regula XIX. Conditiones, quæ matrimonii ſubſtantiæ, aut bonis adverſantur, Matrimonium nullum, aut irritum reddunt. 108
Regula XX. Conditiones turpes, aut impoſſibiles, ſed Matrimonii bonis alioqui non contrariæ, non impediunt, quin Matrimonium ratum, firmumque ſit. ibid.
Regula XXI. Quid agendum parocho, ſi ſub conditione contrahat. 109
Regula XXII. Furioſi, & amentes contrahere matrimonium non poſſunt. 110
ART. II. De Conſenſu clandeſtino. 111
Propoſitio I. Eccleſia Matrimonia clandeſtina ſemper prohibuit, quamvis ante Conc. Trid ea irrita non declaraverit. ibid.
Propoſitio II. Eccleſia Matrimonia clandeſtina non ſolum prohibere potuit, ſed irrita declarare. 114
Propoſitio III. Tridentina Synodus Matrimonia clandeſtina deinceps irrita declaravit; eaque irrita ſunt, ubicunque Concilii Decretum promulgatum eſt. 115
Regulæ praxim ſpectantes. 116
Regula I. Ad Matrimonium rite celebrandum ſufficit præſentia unius parochi, etiamſi contrahentes ſint ex diverſis parochiis. ibid.
Regula II. Sufficit parochus viri etiam in parochia mulieris. ibid.
Regula III. Validum eſt matrimonium celebratum in parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam a parocho viri, etſi parochiæ non ſint in eadem Diœceſi conſtitutæ. ibid.
Regula IV. Ut Sacerdos, qui non eſt proprius contrahentium parochus, ipſos matrimonio conjungere poſſit, neceſſaria eſt ſpecialis, & expreſſa licentia, vel ſaltem generalis adminiſtrandi omnia Sacramenta. 117
Regula V. Cujuſcunque Sacerdotis, licentiam ab Epiſcopo contrahentium habentis, præſentia ſufficit, ut matrimonium ratum, ac validum ſit, etiam abſque conſenſu parochi. 118
Regula VI. Qui in parochia aliqua vere commoratur, quamvis decreverit ibi diu non manere, coram parocho illius loci valide contrahit matrimonium. ibid.
Regula VII. Proprius vagorum hominum parochus eſt quilibet parochus locorum, ad quæ divertunt. Peccant tamen graviter parochi, ſi temere, & abſque Ordinarii licentia hujuſmodi vagos homines matrimonio conjungant 120
Regula VIII. Clandeſtinum eſt, & irritum Matrimonium contractum coram Presbytero, qui neque ſit alterius contrahentium parochus, neque ab ipſo parocho, vel ab Ordinario auctoritatem habeat, ſive licentiam. 121

INDEX

ula IX. Matrimonium contractum coram parocho, cui Ordinarius rohibuit, ne illius celebrationi intereſſet, aut tales matrimonio con- ngeret, ratum, ac validum eſt, quamvis graviter peccaverit paro- hus, ac plectendus ſit. 122
ula X. Matrimonium præſente, & intelligente parocho contractum, uamvis non conſentiente, nec ullum aliud miniſterium obeunte, ra- m, ac validum eſt. 123
ula XI. Peccatum eorum, qui ficte contrahunt. 124
ula XII. Eorum item, qui domicilium ex induſtria mutant. ibid.
ula XIII. Parochus extra parochiæ ſuæ fines parochianos ſuos Matri- onio conjungere poteſt, modo denuntiationes factæ ſint in parochia. 125
ula XIV. De Matrimonio coram parocho nondum Sacerdote ibid.
ula XV. Matrimonium coram parocho ſuſpenſo, vel excommunicato ontractum, nihilominus ratum eſt ibid.
ula XVI. Matrimonium coram parocho intruſo contractum irritum ſt. 126
ula XVII. Idem de Matrimonio coram Clerico non Sacerdote, etiam e licentia parochi, vel Ordinarii. ibid.
ula XVIII. Clandeſtinum eſt, & irritum Matrimonium ſine duobus, el tribus teſtibus contractum. 127
ula XIX. Tres futuri Matrimonii denuntiationes a proprio contra- entium parocho, tribus continuis diebus Dominicis, aut Feſtis, ejuſ- em celebrationi ſunt præmittendæ. ibid.
ula XX. Denuntiationes Matrimonii futuri non ſunt neceſſariæ ne- eſſitate Sacramenti, ſed ſolum neceſſitate præcepti; adeoque clan- eſtinum, & irritum non eſt Matrimonium, quod ſine denuntiationi- us contrahitur 128
ula XXI. Lethaliter peccarent contrahentes, qui abſque diſpenſatio- e, aut cauſa legitima matrimonio jungerentur, nullis præmiſſis de- untiationibus, &c. 129
ula XXII. Epiſcopi juſtis de cauſis unam, vel duas, imo & omnes enuntiationes remittere poſſunt. 130
ula XXIII. Soli Epiſcopi, & eorum Vicarii generales necnon Vi- arii Capituli, ſede vacante, non autem Abbates, aut alii juriſdictio- em quaſi Epiſcopalem habentes, matrimonii denuntiationes remittere oſſunt. ibid.
ula XXIV. Diſpenſationes, ſeu remiſſiones denuntiationum ſine cau- a gravi, ac juſta concedi non debent, idque gratis 131
ula XXV. Caſus urgentes, in quibus matrimonium ſine denuntiatio- ibus contrahi poteſt. 134
ula XXVI. Denuntiationes ubi faciendæ. 135
ula XXVII. 136
ulæ XXVIII. XXIX. 137
ula XXX. De teſtimoniis ad matrimonium impediendum neceſſariis. 138
ula XXXI. Denuntiationes quando iterandæ. 139
ula XXXII. Matrimonium clandeſtinum vim Sponſaliorum non ha- et. ibid.
ulæ XXXIII. & XXXIV. 140
T. III. De Conſenſu parentum. ibid.
poſitio I. Rata ſunt Matrimonia filiorum familiæ ſine parentum onſenſu contracta. ibid.

INDEX

Quid leges principum hoc in casu possint. 145
Propositio II. Ecclesia Canonem condere potest, quo irrito reddantur Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta. 145
Propositio III. Lethaliter peccant filii familias, qui parentibus inconsultis, vel justa ex causa repugnantibus, & invitis, Matrimonium contrahunt. 146
Regulæ praxim spectantes. 150
Regula I. Nullatenus in Galliis parochi filios familias minores triginta annis, & puellas minores annis viginti quinque completis matrimonio conjungere debent invitis parentibus, sed eorum consensum in scriptis exigere tenentur. ibid.
Regula II. Qui patre, & matre sunt orbati, & præscriptam regiis Constitutionibus ætatem nondum attigerunt, non sunt matrimonio conjungendi, nisi Tutorum, & Curatorum consensus appareat. 154
Regula III. Parochi filios, & filias, qui præscriptam regiis Constitutionibus ætatem attigerunt, conjungere matrimonio non debent, nisi consilium parentum scripto illos rogasse constet. 153
Regula IV. ibid.
Regula V. Quamvis parentes in Galliis filios, qui absque illorum consensu Matrimonium contraxerunt, exhæredes testamento declarare possint, donationesque omnes in eorum favorem factas revocare; neque illis neganda sint Sacramenta, qui solo justitiæ studio, ad exemplum aliorum, & ad filiorum emendationem, & salutem, id præstiterint; pietas tamen postulat, ut Episcopi, parochi, & Confessarii parentes filiis placare, & reconciliare conentur, ne secundum legum severitatem in ipsos agant. ibid.
CAP. III. De Sponsalibus. 155
Sponsaliorum definitio, quibusve modis contrahatur. ibid.
Regulæ praxim spectantes. 159
Regula I. Sponsaliorum fidem frangere, lethale peccatum est, nisi legitimum impedimentum interveniat. ibid.
Regula II. Eos, qui sponsalia legitime contraxerunt, Judex ecclesiasticus ad fidem implendam, contrahendumque matrimonium compellere potest, si nullum occurrat impedimentum; maxime si Sponsalia jurejurando firmata sint. 160
Regula III. Solvuntur Sponsalia per Matrimonium, quod sponsorum alter cum alia persona valide contraxerit. 162
Regula IV. Irrita essent ipso jure Sponsalia, quæ vota solemnia in professione vitæ religiosæ emitti solita, aut vota etiam simplicia religionis, castitatis, aut suscipiendi sacros Ordines, sequerentur. ibid.
Regula V. Sponsalia ipso jure dissolvuntur per professionem monasticam. 163
Regula VI. Qui religionis ingressum vovit post Sponsalia juramento firmata, monasterium ingredi potest nulla Sponsalium habita ratione, &c. 164
Regula VII Subsequens alterutrius sponsi fornicatio Sponsalia dirimit, etiam jurata. 165
Regula VIII. Dissolvuntur Sponsalia propter affinitatem ex illicita copula, vel cognationem spiritualem supervenientia, & propter famam cujuscunque impedimenti, si fama probetur. 166
Regula IX Sponsalia dirimi possunt propter ferociam, & asperitatem morum alterutrius sponsi, si certo perspecta sit, & cognita. 167
Regula X Sponsalia dirimuntur propter paralysim, lepram, epilepsiam, alium-

INDEX

aliumve ſimilem morbum, necnon propter magnam deformitatem, vel debilitatem ſupervenientem. ibid.
Regula XI. Fraus commiſſa in ſolutione dotis, vel impotentia ſolvendi, ſeu aliam quamvis honeſtam conditionem pacto oppoſitam adimplendi, cauſa legitima eſt dirimendi Sponſalia. 168
Regula XII. Item capitales inimicitiæ. 169
Regula XIII. Sponſalia diſſolvi poſſunt, quæ ante pubertatis annos quis contraxit. ibid.
Regula XIV. Sponſalia dirimi poſſunt, cum ſponſorum alter ſine alterius conſenſu in longinquam regionem proficiſcitur. 170
Regula XV. Sponſalia dirimi poſſunt propter lapſum temporis ad ineundum matrimonium ex conventione partium conſtituti, &c. 171
Regula XVI. Sponſalia, etiam jurata, mutuo partium conſenſu dirimi poſſunt. 172
Regula XVII. Ad Sponſalia dirimenda non eſt neceſſaria Judicis eccleſiaſtici ſententia, cum ipſo jure diſſolvantur. 173
Regula XVIII. Qui ſimpliciter, vel cum juramento promiſit, ſe nunquam matrimonium contracturum cum alio, vel cum alia, contrahere non tenetur, ſed ſolum obligatur ad contrahendum cum illo, vel cum illa, ſi contrahere velit. 174
Regula XIX. Curare debent Epiſcopi, & parochi, ne ſponſi, priuſquam matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti celebraverint, non modo ſimul habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur. ibid.
Regula XX. Matrimonio conjungendi non ſunt, qui chriſtianæ Fidei rudimenta ignorant. 175
Regula XXI. Sponſalia clandeſtina prohibita. ibid.
CAP. IV. De impedimentis Matrimonii. 176
ART. I. Utrum Eccleſia poſſit conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia. ibid.
Propoſitio unica. Eccleſiam potuiſſe, ac poſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, Dogma Fidei eſt. ibid.
ART. II. Quot ſint impedimenta Matrimonii. 195
ART. III. De impedimentis erroris, & conditionis. 199
Regula I. Error circa perſonam matrimonium jure naturæ irritum facit. ibid.
Regula II. Error circa qualitatem, aut fortunam matrimonium contractum non dirimit. 200
Regula III. Error qualitatis, vel fortunæ, qui tranſit in errorem perſonæ, irritum facit Matrimonium. ibid.
Regula IV. Error conditionis Matrimonium dirimit. 201
Regula V. Servitus cognita non impedit matrimonium. 202
Regula VI. Servorum matrimonia, inconſultis etiam, & invitis dominis contracta, rata ſunt. 203
Regulæ VII. & VIII. 205
Regula IX. De ſervorum matrimonio, & prole. 206
Regula X. Quando rata fieri poſſint matrimonia ob impedimentum erroris, vel conditionis irrita. ibid.
ART. IV. De impedimentis voti & Ordinis. 207
Regula I. Votum ſolemne in religione ab Eccleſia approbata, non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed dirimit contractum. 216
Regula II. Ordo ſacer eſt impedimentum dirimens matrimonium. 217

INDEX

Regula III. Matrimonium contrahere non licet monachis, vel monialibus per vim, & metum profeſſis, aut ante legitimam ætatem, aut qui in conventibus ad probandos Novitios deſignatis probationis annum non expleverunt; niſi intra quinquennium reclamaverint, ac eorum profeſſio irrita declarata ſit ſecundum formam a Conc. Trident. præſcriptam. Eorumque profeſſio qualiſcunque matrimonium dirimit. ibid.

Regula IV. Qui contraxit matrimonium poſt votum ſimplex, illud conſummare non poteſt abſque peccato mortali, niſi diſpenſationem obtinuerit. Poſtquam autem conſummatum eſt, debitum reddere tenetur conjugi exigenti, ſed exigere non poteſt ſine lethali peccato, donec obtenta diſpenſatione fuerit voti vinculo ſolutus. 220

Regula V. Qui votum ſimplex caſtitatis, non vero religionis ante matrimonium emiſit, non tenetur ingredi monaſterium ante matrimonii conſummationem. 221

Regula VI. Simplicis voti continentiæ ante matrimonium emiſſi reus, tenetur mortua uxore continentiam omnino ſervare; ſi vero voto religionis ſit obſtrictus, religionem ingredi tenetur, ibid.

Regula VII. Conjuges, qui continentiam, vel ad tempus, vel in perpetuum mutuo conſenſu voverunt, quamdiu voto ſunt adſtricti, conjugale debitum nec exigere poſſunt, nec reddere; imo ſi alter violato voto debitum exigat, reddere alter non poteſt. 222

Regula VIII. Si conjugum alter poſt contractum matrimonium abſque alterius conſenſu continentiam voveat, & gravis peccati reus eſt, & voto nihilominus obſtrictus; quare debitum exigere non poteſt, ſed reddere tenetur exigenti. 223

Regula IX. Vota continentiæ perpetuæ conjugibus mutuo etiam conſenſu facienda, ſuadere nunquam, vix, ac ne vix quidem permittere debent Confeſſarii, niſi ambo, aut alter monaſterium ingrediatur, cum alterius conſenſu in ſcriptis conceſſo coram Epiſcopo, aut ejus Vicario generali; aut certe habitatione ſint ita diſtincti, eaque ætate, ac virtute, ut nullum incontinentiæ periculum metuendum ſit. 226

Regula X. Probabilius eſt conjugem, qui alteri conjugi licentiam dedit vovendi continentiam, ipſam revocare non poſſe, poſtquam votum emiſit. 227

Regula XI. Nemo conjugatus abſque conſenſu uxoris, & niſi illa continentiam voveat, legitime poteſt ad ſacrum Ordinem promoveri. 228

Regula XII. Uxorem, quæ viri ordinationi non præbuiſſet aſſenſum, continentiam perpetuam ſervare deceret; ſed eam vovere, aut ſervare non teneretur. ibid.

ART. V. De impedimento cognationis. 229

Regulæ praxim ſpectantes. 238

Regula I. In linea recta aſcendentium, & deſcendentium tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, una dempta, videlicet dempto ſtipite, a quo computatio initium habet. ibid.

Regula II. In linea collateralium æquali, quoto gradu duæ perſonæ diſtant a communi ſtipite, eodem gradu a ſe mutuo diſtant. 239

Regula III. In linea collateralium inæquali, eo gradu a ſe mutuo diſtant perſonæ, quo gradu diſtat remotior a communi ſtipite. 240

Regula IV. Secundum hodiernam Eccleſiæ diſciplinam, conſanguinitas collateralium matrimonium impedit uſque ad quartum gradum incluſive. Idemque de affinitate judicium eſto. 249

Re-

INDEX

Regula V. Contracta in gradibus prohibitis matrimonia adeo sunt irrita, ut nullo annorum numero defendi possint, & convalescere. ibid.
Regula VI. Infideles in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu conjuncti, si convertantur ad fidem, non sunt separandi, & eorum proles est legitima. 243
Regulæ VII. & VIII. De Cognationis legalis impedimento. 244
Regula IX. De Cognationis spiritualis impedimento. 245
Regula X. 246
Regula XI. 247
Regula XII. & XIII. 248
ART. VI. De impedimento Affinitatis. 249
Regulæ praxim spectantes. 252
Regula I. Affinitas, sicut & consanguinitas matrimonium inter ascendentes, & descendentes in quocunque gradu lineæ rectæ impedit, ac dirimit. ibid.
Regula II. Affinitas in linea collaterali matrimonium impedit, ac dirimit usque ad quartum gradum inclusive. ibid.
Regula III. Quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, eodem gradu affinitatis attinet mihi uxor. ibid.
Regula IV. Inter consanguineos uxoris, & viri nulla intercedit affinitas, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. 253
Regula V. Affinitas ex illicita copula matrimonium infra secundum gradum contractum non dirimit, nec impedit. 254
Regula VI. Qui cognovit consanguineam uxoris suæ in primo, vel secundo gradu, debitum petere non potest, reddere tamen tenetur. 255
Regula VII. Subsequens affinitas non dirimit matrimonium, sed nec præcedens, nisi legitime probata. 256
Regula VIII. Ex hoc, quod unus frater ab una sororum, quam in matrimonium duxit, jure separetur propter impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, alterum fratrem ab altera sorore, quam pariter duxit uxorem, propterea separari, minime necesse est. 257
Regula IX. Qui bona fide in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, ea durante non peccant, si affectu conjugali cohabitent, & matrimonii jure utantur. Verum cognito impedimento continere debent, donec dispensationem impetraverint. ibid.
Regula X. Non facile sunt audiendi, qui matrimonium in facie Ecclesiæ, secundum formam Tridentini Concilii, contractum accusare, seu impedimenta dirimentia conjugatis objicere volunt. 258
Regula XI. Qui scientes volentes contrahunt in gradu prohibito consanguinitatis, vel affinitatis, in excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. 259
Regula XII. Parochi, vel Confessarii, qui occulta inter conjuges, vel Sponsos impedimenta noverunt, magna prudentia his in casibus gerere se debent, ad salutem animarum procurandam, & scandalum avertendum. 260
ART. VII. De impedimento Criminis. 262
Regula I. Homicidium cum adulterio conjunctum, matrimonium cum adultera, vel adultero contrahendum impedit, contractum dirimit, etiamli alteruter contrahentium non sit homicidii conscius. ibid.
Regula II. Occisio unius conjugum ex alterius cum tertia persona matrimonium ejus ambiente conspiratione, nullo etiam interveniente

INDEX

adulterio, eſt impedimentum dirimens matrimonium inter ejuſmodi perſonas. 263
Regula III. Si mors alteri conjugi fuerit illata, non cauſa contrahendi cum ejus conjuge, ſed alio fine, vel ob aliam cauſam, homicidium hujuſmodi matrimonium conjugis ſuperſtitis cum occiſore non dirimit. ibid.
Regula IV. Ratihabitio occiſionis ab alio factæ, etiam ab adultero, abſque conjugis ſuperſtitis mandato, aut conſilio, matrimonium ab illis contractum non dirimit 264
Regula V. Impedimentum dirimens non oritur, ſi quis ſuam, vel alterius conjugem occidit, ut poſſit contrahere matrimonium cum alia, quæ homicidii particeps non fuit, & quam adulterio non polluit. 265
Regula VI. Adulterium, ad quod accedit matrimonium vivente adhuc alterius conjuge de facto contractum, impedit, ac dirimit matrimonium cum adultero, vel adultera, etiam poſt mortem prioris conjugis. 266
Regula VII. Matrimonium cum femina conjugata, vivente adhuc, & ſuperſtite primo conjuge contractum, tunc tantum impedit, ac dirimit matrimonium poſt primi conjugis mortem inter adulteros initum, cum uterque, vir ſcilicet, ac mulier ſciunt ſe verum adulterium committere. 267
Regula VIII. Si primum matrimonium ipſo jure irritum erat; alterum, ante illius diſſolutionem contractum, ratum eſt. 268
Regula IX. Adulterium cum fide data de contrahendo matrimonio cum adultera, vel adultero, poſtquam alter conjux obierit, eſt impedimentum dirimens matrimonium inter virum, & mulierem adulteram poſtea contractum. 269
Regula X. Qui conjuge vivente dedit fidem alteri de matrimonio cum ipſa contrahendo, nec tamen ipſam ante fidem datam cognovit, gravis quidem peccati reus eſt; non tamen irritum eſt matrimonium cum ea contractum, cui fidem ſuperſtite priori conjuge obſtrinxerat. 270
Regula XI. 271
Regula XII. Solum adulterium non eſt impedimentum dirimens matrimonium poſt mortem conjugis contractum. ibid.
ART. VIII. De cultus Diſparitate 272
Regulæ praxim ſpectantes. 276
Regula I. Cum infidelibus, ubi conjugum alter ad Fidem chriſtianam convertitur, & Baptiſmum ſuſcepit, non dirimitur propterea matrimonium. ibid.
Regula II. Conjux ad Fidem chriſtianam converſus, & Baptiſmo initiatus, dimittere poteſt infidelem in infidelitate pertinacem, quamvis cum ipſo pacifice cohabitare velit; dimittere tamen non tenetur. 277
Regula III. Non expedit diſceſſio fidelis conjugis ab infidele pacifice cohabitare volente. 278
Regula IV. Si conjux infidelis, vel nullo modo cum fideli cohabitare velit, vel non ſine contumelia Creatoris; vel nonniſi eo animo, & ea conditione, ut ipſum pertrahat ad mortale peccatum, fidelis non ſolum deſerere poteſt infidelem, ſed etiam alterum matrimonium contrahere. 280
Regula V. Matrimonii vinculum non ſolvitur, niſi cum fidelis conjux aliud matrimonium contrahit, infideli ob cauſas mox expoſitas dimiſſo. 282
Regula VI. Si conjux infidelis tandem convertatur; poſtquam fidelis aliud matrimonium contraxit, illi concedi poteſt, ut alteri nubat. 283

INDEX

Regula VII. Conjugum altero in infidelitate pertinaci, filii minores con-
jugi fideli dari debent. ibid.
Regula VIII. Catholicorum cum hæreticis conjugia illicita ſunt, nec poſ-
ſunt abſque gravi peccato contrahi. 284
Regula IX. Catholicorum cum hæreticis matrimonia non ſunt irrita. 287
Regula X. Conſuetudo regionum, in quibus Catholici cum hæreticis per-
mixti ſunt, & paſſim cum illis matrimonio junguntur, ita contrahen-
tes a peccato gravi non excuſat, niſi diſpenſationem a ſummo Ponti-
fice juſtis de cauſis obtinuerint, omniſque ſubverſionis abſit pericu-
lum, & catholicæ liberorum inſtitutioni provideatur. 288
ART. IX. De impedimento Ligaminis. 290
Regulæ praxim ſpectantes ſcilicet: ibid.
Regula I. Si quis vir cum aliena uxore, legitimo ejus marito ſuperſtite;
vel mulier cum alieno viro, legitima ejus uxore vivente, matrimonium
contraxerit, ad priores conjuges redire compellendi ſunt; poſteriuſque
illud matrimonium irritum eſt, quamvis ſit carnali copula conſummа-
tum, & prior uxor cognita non fuerit. ibid.
Regula II. Appellans in cauſa nullitatis matrimonii, aliud matrimonium
contrahere non poteſt, donec Judex eccleſiaſticus, cauſa cognita, la-
taque ſententia, matrimonium irritum pronuntiaverit. 291
Regula III. Mulier, cujus maritus ſeptennio, decennio, aut etiam longiori
quovis tempore abſens fuerit, nubere alteri non poteſt, donec de illius
morte certis documentis conſtet. ibid.
Regulæ IV. 292. V. 293
Regula VI. 294
ART. X. De Juſtitia publicæ honeſtatis. 295
Regulæ praxim ſpectantes. ibid.
Regula I. Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex Sponſalibus inva-
lidis hodie non oritur; neque ultra primum gradum porrigitur. ibid.
Regula II. Publicæ honeſtatis impedimentum morte non tollitur. 296
Regula III. Ex Sponſalibus ab initio validis, ſed poſtea mutuo conſenſu
diſſolutis, oritur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. ibid.
Regula IV. Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis oritur ex matrimo-
nio rato, non conſummato, & in ea hypotheſi ad quartum gradum ex-
tenditur. 297
Regula V. 298
Regula VI. Ex matrimonio irrito ratione conſanguinitatis, affinitatis, im-
potentiæ, voti, &c ſed tamen ſecundum formam Concilii Tridentini
contracto, oritur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. ibid.
ART. XI. De Impedimento Impotentiæ. 301
Regulæ praxim ſpectantes. 302
Regula I. Impotentia perpetua ipſo naturæ jure impedimentum eſt matri-
monium dirimens. ibid.
Regula II. Qui perpetua laborat impotentia, manet abſque ſpe conjugii;
alius nubere poteſt, cui vult, in Domino. 303
Regula III. Impotentia perpetua matrimonium dirimit, ſive alteri conjugi
cognita ſit, ſive incognita. ibid.
Regula IV. 304
Regula V. Impotentia matrimonium ſecuta ipſum non dirimit. ibid.
Regula VI. Nullam impotentiam reſpectivam ex cauſa naturali proceden-
tem,

INDEX

tem, matrimonium dirimere censent S. Thomas, aliique Theologi nonnulli. Opinio tamen contraria in foro ecclesiastico prævaluit. 306
Regula VII. Impotentia perpetua judicari non debet, quæ per opus humanum absque gravi corporis periculo removeri potest. ibid.
Regula VIII. 307
Regula IX. Si perpetuitas naturalis impotentiæ signis evidentibus, aut legitimis documentis certo constet, statim vir, & mulier separandi sunt: at si certa probatio ex tempore non suppetat, triennii tempus ad experiendum statuit Ecclesia, &c. 308
Regula X. Congressus, & inspectio media sunt ad probandam impotentiam minus convenientia, & plerumque incerta 309
Regula XI. Cum matrimonium ob impotentiam accusatur, si vir a se cognitam uxorem suam contendat, mulier neget, viro affirmanti, ac juranti credendum est, & secundum eum pronuntiandum. 310
Regula XII. Si mulier virum arguat mendacii, ac perjurii, seque virginem per experimentum juratarum matronarum probare velit, inspectio decerni potest. 311
Regula XIII. Si vir litem de matrimonio moveat, & coram judice affirmet, se non posse cognoscere uxorem, mulier vero se cognitam fuisse contestetur, si aliæ probationes pro viro non suppetunt, mulieri asserenti fides potius adhibenda est, & in favorem matrimonii ferenda est sententia. 312
Regula XIV. Impotentia ex maleficio proveniens non prius matrimonium dirimit, quam post triennii cohabitationem juraverint conjuges cum septima propinquorum manu matrimonium consummari non potuisse. ibid.
Regula XV. Maleficium, quod humano opere, & Ecclesiæ precibus, ac Exorcismis removeri non potest, perpetuum censetur; quod ubi comperitum fuerit, matrimonium solvitur. 313 314
Regula XVI.
Regula XVII. Soluto Judicis ecclesiastici sententia matrimonio ob frigiditatem, si conjugium alterum contraxerit, qui copulæ aptus erat, & interim alter, qui judicatus est impotens, ex post facto potens deprehenditur, prius matrimonium redintegrandum est, posterius dissolvendum. ibid.
Regula XVIII. Soluto matrimonio ob impotentiam ex maleficio provenientem, si maleficium universale fuerit, & absolutam impotentiam Judex ecclesiasticus pronuntiaverit; postea vero probet eventus maleficium perpetuum non fuisse, prius matrimonium redintegrandum est. Si autem particulare maleficium fuerit, & impotentia respectiva duntaxat, conjugium posterius initum subsistit, nec ad primum datur regressus. 315 316
Regula XIX. Matrimonia impuberum irrita sunt, &c. 317 318
ART. XII. De Raptu.
Regulæ praxim spectantes.
Regula I. Raptus est impedimentum dirimens matrimonium contractum, dum puella in potestate raptoris est ibid. 319.
Regula II. ibid. 320
ART. XIII. De dispensationibus circa impedimenta matrimonii.
Regulæ praxim spectantes.
Regula I. Dispensationes absque legitima causa postulari, vel concedi non debent: alioquin graviter peccant, & qui postulat, & qui concedit. ibid.
Regula II. Optat Ecclesia, ut nunquam dispensetur in secundo gradu, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. 322

INDEX

Regula III. In gradibus prohibitis affinitatis facilius diſpenſatur, quam in gradibus conſanguinitatis. 323
Regula IV. Qui matrimonium intra gradus prohibitos ſciens contraxerit, vel ſolemnitates requiſitas neglexerit, diſpenſatione indignus eſt; & diſpenſatio abſque circumſtantiarum illarum expoſitione impetrata, nullius eſt roboris, atque irritum, & nullum matrimonium, quod ex vi illius contrahitur. Idem eſto judicium de iis, qui copulam carnalem conſummaverint ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ. ibid.
Regula V. 324
Regula VI. 325
Regula VII. 326
Regula VIII. Diſpenſatio ſubreptitia omnino invalida eſt, ac irritum, quod ex vi illius contrahitur, matrimonium. 327
Regula IX. Cum vir, & mulier in ſecundo, & tertio, vel in tertio, & quarto conſanguinitatis, aut affinitatis gradu ſunt conjuncti ad legitimam diſpenſationem obtinendam remotiorem gradum exponere ſufficit. 329
Regula X. Epiſcopi certis in caſibus diſpenſare poſſunt in impedimentis matrimonium dirimentibus. 330
Regula XI. Cum de contrahendo matrimonio agitur, vel publicum impedimentum eſt, diſpenſare non poſſunt Epiſcopi, niſi poteſtatem diſpenſandi urgente neceſſitate a ſummo Pontifice obtinuerint. 331
Regula XII. Epiſcopos nunquam poſſe diſpenſare in tertio conſanguinitatis & affinitatis gradu, imo nec in quarto de contrahendo videtur. 333
Regulæ XIII XIV 335 & XV. 336
Regula XVI. Diſpenſare nunquam poſſunt Epiſcopi in cognationis ſpiritualis impedimento. ibid.
Regula XVII. 337
Regula XVIII. Officiales, ad quos mandatum apoſtolicum de diſpenſando dirigitur, cujuſvis conſuetudinis prætextu aliquid exigere, aut recipere tuta conſcientia non poſſunt ab iis, quibuſcum Sedis apoſtolicæ nomine diſpenſant 338
CAP. V. De Conjugum officiis, uſuque Matrimonii. 339
Regula I. 352
Regula II. Uſus matrimonii non eſt inculpabilis, niſi fiat cauſa prolis procreandæ, vel debiti reddendi. 353
Regula III. 358
Regulæ IV. & V. ibid.
Regula VI. Opus conjugale ita frequenter, & intempeſtive exercere, ut impediat tempora orationi debita, gravius quidem peccatum eſt, quamſi aliis temporibus ob ſolam delectationem carnale debitum exigeretur; non tamen eſt mortale peccatum. 359
Regula VII. 362
Regula VIII. Congreſſus cum uxore gravida peccatum eſt, & mortale quidem, ſi periculum ſit perdendi fœtum, tametſi nondum animatum. Alias vero veniale. 363
Regula IX. Illicita eſt petitio conjugalis debiti tempore infirmitatis meſtruæ, non tamen ita certum eſt, an reddere ſit illicitum, ſi conjux alter pertinaciter petat, & periculum peccati gravioris illi ex repulſa timeatur 365
Regula X. Uſus matrimonii tempore puerperii illicitus eſt. 368

Re-

tione ad misericordiam Dei illud facile condonantis, distingui ostenditur. 438
ART. VI. Peccatum actuale aliud commissionis, aliud omissionis. 448
ART. VII. Peccata quædam spiritualia sunt, alia carnalia. 450
ART. VIII. Peccatum aliud in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum. 452
ART. IX. Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis est. 454
ART. X. Peccata quædam sunt ex ignorantia, quædam ex cupiditate, sive infirmitate, alia ex malitia. 458
ART. XI. Peccati divisio in septem Vitia capitalia. 473
ART. XII. De Peccatis in Spiritum sanctum. 477
CAP. II. De peccatorum gravitate. 482
CAP. III. De Effectibus peccati. 485
Macula peccati. ibid.
Animæ separatio a Deo per peccatum. 489
Reatus pœnæ. 492
Pœna æterna peccato mortali debita. 494
Pœna damnatorum duplex. 497
Pœna temporalis peccato veniali debita; vel hic, vel in purgatorio luenda. 501
Conscientiæ stimuli. 502
Unum peccatum pœna alterius peccati. 506
CAP. IV. De Regulis generalibus ad peccata cognoscenda, & dijudicanda necessariis. 508
ART. unicus. Regulæ morum, quibus velut principiis nititur Moralis christiana. ibid.
Regula I. Ad divinam Legem imprimis attendendum est, ut rectum de peccatis judicium feratur. ibid.
Regula II. In rebus moralibus standum est judicio conscientiæ ad divinam Legem compositæ. 509
Regula III. Quisquis agit contra conscientiam, etiam erroneam, vel dubiam peccat. 510
Regula IV. Cum error discuti, ac vinci potest, conscientiam erroneam deponere oportet. & contrarium ejus, quod ipsa dictabat, operari. 513
Regula V Cum error conscientiæ est invincibilis, non peccat agens secundum conscientiam erroneam, imo secundum illam agendum est. 514
Regula VI. Si conscientia errans opus aliquod lethale peccatum esse dictet, quod nullum, aut veniale duntaxat peccatum est; reus erit peccati mortalis, qui contra illam aget. ibid.
Regula VII. Errantis conscientiæ judicium præcepto superioris antetponendum est, si error dispelli, superari, ac deponi non possit. 515
Regula VIII. Ut conscientia erronea legitime deponatur, proindeque obligare cesset, necesse est, ut ratione, vel auctoritate convictus homo contrarium judicet ejus, quod antea judicaverat, &c. 516
Regula IX. Quamvis sperni debeant scrupuli, quando meros scrupulos esse compertum est; contra conscientiam tamen ex scrupulis ortam agere non licet, nisi prius error deponatur. 517
Regula X. Septem sunt Regulæ, quarum adminiculo conscientia scrupulosa deponi potest, & debet, ex S. Antonino. ibid.
Regula XI. Non spiritualibus solum, sed corporalibus interdum remediis scrupulosorum hominum quies, & tranquillitas procuranda est. 522

Re-

INDEX

Regula XII. Trepidare, ne forte Deo displiceat, quod a nobis rectum existimatur, non est scrupulositatis indicium, sed justæ cautionis officium. ibid.
Regula XIII. Cum duæ opiniones probabiles concurrunt in materia morum, quorum altera favet legi contra libertatem, altera libertati contra legem; nefas est, & illicitum, eam amplecti, & secundum illam agere, quæ stat pro libertate; rejecta altera, quæ legi consona est, ac proinde probabilior. 523
Regula XIV. Extrinseca probabilitas ex uno, vel plurimorum scriptorum auctoritate petita, opinioni morali securitatem conciliare non potest. 532
Regula XV. Morum regulæ ex Scriptura, & Traditione, non ex solis hominum opinionibus deprompendæ sunt. 536
Regula XVI. Doctrina morum a Veteribus, & Sanctis magis, quam a recentioribus auctoribus petenda est. 545
Regula XVII. In dubiis tutior pars est eligenda. 548
Regula XVIII. Tutiorem opinionem sequi non tenemur; cum oppositæ sententia verior, & probabilior est. 551
Regula XIX. Cum utraque opinio judicatur æque probabilis, tutior necessario eligenda est. 553
Regula XX. Cum ex duabus opinionibus oppositis, æque probabilibus, certum, & exploratum non est, quæ sit tutior, servandæ sunt Regulæ a jure præscriptæ 556
Regula XXI. In moraliùm Quæstionum solutione maxima sacrorum Canonum habenda est ratio. 557
Regula XXII. Sacrosancti Canones qualibet desuetudine abrogari non possunt universi, & singuli. 559
Regula XXIII. Si gravis aliqua quæstio emergat circa morum disciplinam, quæ ob sui novitatem, obscuritatem, difficultatem, solvi a Theologis non possit, roganda est Episcoporum, præsertimque romani Pontificis sententia. 561
Regula XXIV. Cum Scripturæ sacræ, Patrum, sacrorum Canonum auctoritate quæstiones morales solvi non possunt, ea sequenda est opinio, quæ melioribus rationibus nititur, & a Theologis numero, doctrina, pietate præstantioribus asseritur. 564
Regula XXV. Non licet medico in medicinæ praxi minus probabilem opinionem sequi, præbendo medicamenta, quæ probabilius nocitura sunt ægroto, quam profutura. 566
Regula XXVI. Non licet judici minus probabilem opinionem sequi, posthabita probabiliori; ac ferre sententiam in favorem partis, pro qua militent levioris momenti rationes, adversus illam, pro qua validiores proferuntur. 567
Regula XXVII. Princeps, & respublica minus probabilem opinionem licite sequi non possunt in bello indicendo. 569
Regula XXVIII. In Sacramentorum administratione sequi non licet minus probabilem opinionem relicta probabiliori. 570
Regula XXIX. In administratione Sacramenti pœnitentiæ, non licet Sacerdoti minus probabilem opinionem sequi relicta probabiliore, & tutiore; nec tenetur judicium suum accommodare opinioni minus probabili pœnitentis. ibid.

INDEX

Regula XXX. Non licet Theologo conſilium dare ſecundum opinionem, quæ videtur ipſi minus probabilis, & minus tuta. 574

Regula XXXI. Non licet varios adire Doctores, ſeu caſuum arbitros ea intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior, & tutior, ſed quæ commodior viſa fuerit. 574

Regula XXXII. Peccatum ex genere veniale, fieri poteſt mortale ex affectu, & diſpoſitione peccantis, & ſimiliter mortale ex genere interdum veniale eſſe poteſt. 575

Regula XXXIII. Peccata, quæ in Scriptura ſacra dicuntur execranda, Deo exoſa, excludere a regno Dei, eſſe digna morte, aut quibus dicitur Væ, mortalia ſunt; quæ vero verbis mitioribus notantur, vel reprehenduntur, ſunt venialia. 578

Regula XXXIV. Peccata mortalia cenſenda ſunt, quæ vel a SS. Patribus, vel a Theologis doctrina, & pietate inſignibus, unanimi conſenſu, mortalia cenſentur, & aſſeruntur; venialia vero, quæ ab eiſdem venialium loco, & numero habentur. 581

Regula XXXV. Naturalis etiam ratio plurimum conducit ad judicandum, quæ mortalia, quæ venialia peccata ſint. 582

Regula XXXVI. Quædam ſunt peccata, de quibus accurate, & certo judicari non poteſt, an mortalia, an venialia tantum peccata ſint: de quibus proinde non eſt audacter pronuntiandum, hoc mortale, iſtud veniale tantum peccatum eſt, niſi Scripturæ ſacræ, vel Sanctorum, aut Eccleſiæ auctoritate fulciatur. 584

Regula XXXVII. In judicio de mortalibus, & venialibus peccatis ferendo, non eſt habenda ratio conſuetudinis, ſed legis Dei, vel legum eccleſiaſticarum, &c. 586

Regula XXXVIII. 588

Regula XXXIX. Nulla circumſtantia peccatum ex genere ſuo veniale ad mortalis peccati genus transferre poteſt, ſi maneat in circumſtantiarum ordine 589

Regula XL. Diuturnitas non eſt circumſtantia trahens actum moralem ad aliud genus peccati, ſimiliter nec frequentia, vel aſſiduitas, niſi ex accidenti, & ratione alicujus deformitatis adventitiæ. ibid.

Regula XLI. Quæcunque peccata contra diverſa præcepta committuntur, non ideo diverſa ſunt genere. 591

Regula XLII. Quando plura præcepta ſingularem, ac diſtinctam habent cum recta ratione convenientiam, ita ut actum, qui præcipitur, ad virtutem ſpecie diverſam transferant, peccata, quæ præceptis illis opponuntur, diverſæ ſunt ſpeciei, &c. ibid.

Regula XLIII. In iis, quæ non ſunt mala, niſi quia prohibita lege aliqua poſitiva, peccata, quæ contra diverſa præcepta committuntur, ſpecie diverſa ſunt. 592

Regula XLIV. Diſtincta ſunt numero peccata, quæ circa objecta numero diſtincta verſantur; niſi objecta illa ſe habeant ad modum unius. 593

Regula XLV. Voluntas peccati cum actu exteriori conjuncta unum numero peccatum eſt; voluntas autem ab actu exteriori ſeparata, eſt diſtinctum numero peccatum. 594

Regula XLVI. Voluntas perfecta, & efficax, cui ſola facultas, aut opportunitas operis deeſt, non minus peccatum eſt, quam ſi cum externo conjuncta eſſet 596

Regula XLVII. Eventus ſequens præcogitatus, v. gr. ſcandalum, aut damnum

INDEX

aum proximi, aut ipſius peccantis, ſi in pluribus, & per ſe ſequatur; operis externi malitiam auget. 601

Regula XLVIII. Sola cogitatio moroſa, ſeu complacentia, & delectatio de re, quæ mortale peccatum eſt, ut cogitata, etiam ſine animo perficiendi opus externum peccati, mortale peccatum eſt, niſi delectatio comprimatur, & prava cogitatio repellatur, ſtatim, atque ratio periculum animadvertit, vel animadvertere poteſt. 604

Regula XLIX. Qui peccati mortalis a ſe, vel ab alio committendi, aut commiſſi cogitatione, aut recordatione animum cum voluptate paſcit, mortalis peccati reus eſt. 606

Regula L. Qui delectatur cogitationis operis, quod licitum olim ipſi fuit, aut aliquando licitum erit; ſed tamen habita præſentis ſtatus ratione illicitum eſt, & mortale, peccatum lethale committit. 607

Regula LI. Conſenſus in actum peccati procedit a ratione ſuperiore deliberante, & judicante. 608

Regula LII. 609

Regula LIII. Propoſitum perficiendi opus externum peccati ſub iis conditionibus, quibus poſitis nihilominus adhuc mortale peccatum eſſet, mortale peccatum eſt. ibid.

Regula LIV. Mortalis peccati reus eſt, qui optat, ut furtum, fornicatio, vindicta, aut alia, quæ ſunt per ſe mala, divina lege prohibita non ſint, ſive ut ea impune committere liceat. 612

Regula LV. Sola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis, & ideo quantum mala eſt intentio, tantum etiam mala eſt voluntas. ibid.

Regula LVI. In his, quæ per ſe mala ſunt, bona intentio peccatum non excuſat ex toto, quamvis interdum in eodem genere levius efficiat. 611

Regula LVII. Omne opus, quod virtuali ſaltem intentione ad Deum non refertur, malum eſt 613

Regula LVIII. Omne opus deliberatum, quatenus in individuo ſpectatur, ſive quatenus exercetur, bonum, vel malum eſt, nullum omnino indifferens. 615

Regula LIX. Peccata ſpiritualia, cæteris paribus, graviora ſunt peccatis carnalibus, quamvis iſta ſint majoris infamiæ. 625

Regula LX. Peccatum fit gravius ex conditione perſonæ, in quam peccatur. 623

Regula LXI. Alienorum peccatorum pluribus modis participes eſſe poſſumus. 624

Regula LXII. Peccata ex ſubreptione provenientia propter infirmitatem humanæ naturæ, minus imputantur illis, qui virtute ſunt præſtantiores. 627

Regula LXIII. Peccata ex deliberatione commiſſa tanto graviora ſunt, quanto perſona peccans major eſt. 628

Regula LXIV. Graviora ſunt peccata, quæ a Chriſtianis poſt Baptiſmum committuntur, quam quæ a Paganis, Turcis, Judæis, vel etiam Catechumenis perpetrantur. 630

Regula LXV. Ignorantia invincibilis non eſt peccatum, neque etiam imputantur ad culpam, quæ ex ignorantia hujuſmodi fiunt 635

Regula LXVI Nulla in homine eſſe poteſt legis naturæ inſuperabilis ignorantia, quantum ad præcepta univerſalia, & primaria. 640

Regula LXVII. Præcepta ſecundaria, & minus principalia legis naturæ ignorari a quibuſdam inſuperabiliter poſſunt 643

Regula LXVIII. Ignorantia, quæ cauſa eſt actus peccati, ſi ſit omnino involuntaria, excuſat peccatum. 645

INDEX

Regula LXIX. Ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ſed illum conſequitur, vel concomitatur, non excuſat peccatum. ibid.
Regula LXX. Ignorantia ſolius circumſtantiæ peccatum aggravantis, aut ad aliam ſpeciem transferentis, non excuſat omnino peccatum, cujus malitia nota eſt, ſed illud ſolum, quod eſt ignorantia circumſtantiæ, &c. 646
Regula LXXI. Ignorantia rerum, quas aliquis ſcire tenetur, & poteſt, ſive directe, ſive indirecte tantum volita ſit, illius peccatum omnino non excuſat. 647
Regula LXXII 649
Regula LXXIII. Ignorantia directe, & per ſe volita peccatum auget, tantum abeſt, ut minuat. 650
Regula LXXIV. Ignorantia indirecte volita minuit peccatum. 651
Regula LXXV. Attentio animi ad actionis pravitatem, non eſt neceſſaria, ut peccatum imputetur; unde falſum eſt, nunquam peccari, niſi prævia peccati cognitione illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio exſtimuletur. 652
Regula LXXVI. Ignorantia facti a culpa excuſat, ſi ſit inſuperabilis, non vero ignorantia legis debito modo promulgatæ, & cujus notitia ad eum, qui contra ipſam agit, pervenire potuerit. 658
Regula LXXVII. Inſuperabilis ignorantia juris Cenſuras illo jure latas avertit ab eorum capite, qui contra illud ignorantes agunt. 659
Regula LXXVIII. Animi perturbatio antecedens minuit peccatum, conſequens aggravat. ibid.
Regula LXXIX. Animi perturbationes, quæ uſum rationis prorſus tollunt, ab omni culpa excuſant, niſi forte fuerint volitæ. 660
Regula LXXX. Peccatum ex animi perturbatione commiſſum, ſi ex genere ſuo mortale ſit, nunquam ita minuitur, ut veniale fiat, exceptis ſubitis motibus. 661
Regula LXXXI. Peccatum ex malitia gravius eſt peccato, quod ex animi perturbatione, ſive paſſione committitur. 665
Regula LXXXII. Peccata ex pravo habitu, & conſuetudine commiſſa, graviora ſunt peccatis ex infirmitate commiſſis. 666
Regula LXXXIII. Violentia omnino excuſat a peccato. 672
Regula LXXXIV. 675
Regula LXXXV. Metus etiam gravis non excuſat omnino a peccato hominem, quem ſui compotem relinquit in iis, quæ ſunt per ſe, & intrinſece mala. ibid.
Regula LXXXVI. Metus gravis aliquatenus excuſat, minuitque peccatum, etiam in iis, quæ ſunt intrinſece mala 677
Regula LXXXVII. Gravius illorum peccatum eſt, qui futurorum malorum, quam qui præſentium metu peccant 680
Regula LXXXVIII. In iis, quæ non ſunt per ſe, & intrinſece mala, ſed ideo tantum mala, quia prohibita, metus gravis, ut plurimum a peccato excuſat. 691

Finis Tomi Sexti.

FLEX BINDING

FLEX BINDING